BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
8 E
4

XXXVII. C. 28.

14-13-f-30

~~11-22-C-21~~

~~6-39-C-11~~

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE QVÆSITIS

Per Epiſtolas a Claris Viris

RESPONSA FORTVNII LICETI GENVENSIS

In Bononienſi Archigymnaſio Philoſophi Eminentis

AMPLISSIMO

BONONIENSIS REIPVBL. SENATVI

DICATA.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BONONIÆ, Typis Nicolai Tebaldini. M DC XL.
Superioribus Annuentibus.

Digitized by Google

Illuſtriſsimis D.
D. SENATORIBVS.

AVGVSTINO MARSILIO, nunc Iuſtitię Vexillif.

Franciſco Coſpo,
Ludouico Facluinetto Marchioni,
Vincentio Bargellino,
Philippo Calderino Comiti,
Ferranti Caſali,
Herculi Bonfiliolo Comiti, & Eq.
Ferdinando Riario Marchioni,
Hieronymo Guaſtauillano,
Io. Baptiſtæ Sampetro,
Bartholomęo Lambertino,
Alamano Iſolano Comiti,
Alberto de Graſſis Comiti,
Alexio Vrſo,
Fuluio-Antonio Mareſcalcho,
Auguſtino Herculano Co. Oratori
Andreę Ghiſlardo,
Pyrrho Bianchino Marchioni,
Fabio Gozadino,
Pompeio Vizano Commendatori
Philippo Aldrouando Comiti,
Andreę Angelello,
Nicolao Ludouiſio Duci Fiani,
Principi Venoſij, & Plumbini.
Hieronymo Albergato Marchioni,
Franciſco-Mariæ Guidotto,

Achilli a Volta,
Octauiano Zambeccario,
Virgilio Maluetio Marchioni,
Camillo Paleotto,
Franciſco Bolognetto,
Cornelio Maluaſiæ,
Io. Nicolao Tanario Comiti,
Cyro Mariſcotto,
Hieronymo Pepolo Marchioni,
Io. Ludouico Bouio Equiti,
Carolo-Aloyſio Scappio,
Cæſari Bianchetto,
Io. Hieronymo Grato,
Marco-Antonio Ranutio Comiti,
Franciſco-Carolo Capraræ Com.
Marco Scitico Fibbiæ Comiti,
Berlingerio Gypſio,
Antonio Legnano Comiti,
Vgoni Boncompagno Duci Soræ,
Hannibali Campegio Comiti,
Paulo-Emilio Elephantuccio,
Philippo-Carolo Ghiſilerio,
Fuluio Bentiuolo,
Gregorio Spadæ Marchioni,
Ioanni Luparo,

atque adeo

Ampliſ-

Ampliſsimo
BONONIENSIS REIPVBL.
SENATVI

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

FORTVNIVS LICETVS B. A.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

IVſtiſſima Lege ſancitum eſt, Inclyti Senatores, non ſolum quicquid acquirit Seruus, id eum Domino ſemper acquirere; verum etiã quicquid acquirit Filius, præſertim paternarũ opum negociatione, pariter id illum Patri, non autem ſibi ſoli lucrifacere. Quare quos edocendis omnium Nationum ingenijs in Archigymnaſio Veſtro celeberrimo præfeciſtis omni tempeſtate Lectores, Coſtæos, Pendaſios, Aldrouandos, Galleſios, Papazzonios, Vizanios, Claudinos, Taliacotios, Maginos, Zoppios, Titios, Zecchios, Caſtellios, Lazaros, Corteſios, Rotas meos olim Magiſtros, & alios innumeros ingenio mirabiles Viros; quicquid honoris aut lingua præſentes erudiendo, aut calamo abſentes edocendo, conquiſiuiſſe videmus, id omne concedit in Veſtrum decus & ornamentum, Patres Conſcripti; qui tales Heroes Mineruę vel Filios genuiſtis, vel nobili ſeruitio Famulos aluiſtis. Quum igitur & ego, qui iuuenis olim ab iſta Veſtra Studiorum Matre primam originem Scholaſticam duxi, primaque Sapientiæ nutrimenta lactea ſuxi, Veſter filius litterarius iure ſim, atque profi-

Digitized by Google

tear: quique ſenex in præſentia præclaro quodam ſeruitutis genere primariam Eminentis Philoſophiæ Cathedrã Veſtram ſeſſito docens, apud Vos Heros & Dominos litterarios in illuſtri famulatu degam, de quo digne gloriari poſſum, & ingenue præter elationem animi ſuperbire: Propterea quæcunque decora mihi veniunt a litteris, ea Veſtra potius Ornamenta quam mea ſunt exiſtimanda. Qui ergo complurium annorum curriculo ſciẽtiam a Veſtris Doctoribus hauſtam negociatus, præter alia multa præclara, tandem id honoris aſſecutus ſum, vt alta ſapientia celebres, & in omni diſciplinarum genere præſtantes Viri, vel e longinquis regionibus per epiſtolas de ſummis doctrinarum difficultatibus me conſulere dignati ſint: Dignitatem hanc, vltro mihi doctis ab hominibus oblatam, non magis meam, quam Veſtram eſſe cenſeo, Proceres Illuſtriſſimi. Quod vt Vobis aliquo ſigno publico teſtarer, primum Volumen hoc mearum *Reſponſionum de Quæſitis per epiſtolas a Claris Viris* (cuius editionem a me nunc iteratis precibus exorare, ac iuſſionibus tantumnon extorquere valuerunt Amici ſummæ apud me autoritatis) non ſub alio quam ſub Ampliſſimo Nomine Veſtro promulgare debui. Suſcipite benigna manu Vobis debitum litterarium munus Litterarum Patres atque Patroni, qui Studia Studioſorumque conatus inenarrabili munificentia magnanimitateque promouere ſoletis. Valete, Senatores Optimi, Vobis, Veſtræ Studiorum Matri, & Litteratum cultoribus vniuerſis. Dabam e meo Muſeo. Kal. Auguſti. MDCXXXIX.

Quæſito-

PRAEFATIO

LVcæ Holſtenij Epiſtola prima Officioſa. pag. 1

Quæſitum 1 De Pythagorico Symbolo, Vaſis acetarij, ſiue Acetabuli, ſiue Ollæ acuminatæ remotionem iubente Lucæ Holſtenij Epiſtola II. 2

Reſponſio Liceti. 3

2 De Metro Publilij corrigendo: deque Lunæ tempore apto lignis cędendis, Cl. Viri Melchioris Goldaſti Epiſt. III. 15

Reſponſio Liceti. 16

Ioannis Beuerouicij Senatoris Dordrechtani Batavi Medici officioſa Epiſtola IV. 22

Reſponſio Liceti. 23

4 De fatali vitæ termino, ſit ne mutabilis, an immutabilis, Io. Beuerouicij Epiſtola V. 24

Reſponſio Liceti. 27

5 De duplici intellectu in eodem homine, quo vnum animal facit multa animalia, Cl. V. Aloyſij Querini Epiſtola VI. 36

Reſponſio Liceti. 37

6 De lapide in tenebris emicante, Leonis Allacij Epiſt. VII. 38

Reſponſio Liceti. 42

7 De Salluſtio philoſopho commentarijs illuſtrando, Gabrielis Naudæi Epiſtola VIII. 44

Reſponſio Liceti. 47

8 De Monſtris informibus & mutilis præcauendis, Antonini Oliuerij Medici Meſſanenſis Epiſtola IX. 49

Reſponſio Liceti. 50

9 De Neceſſitatis imperio, an violentum fuerit in Diuinis apud Platonem, Caroli Engrandi Belgæ Epiſtola X. 51

Reſponſio Liceti. 52

Aloyſij Lollini Bellunenſis Epiſcopi Officioſa Epiſt. XI. 54

10 Cur olim Romani Pultiphagi dicerentur, & an de vetuſtioribus alijs dictum id fuerit, eiuſdem Epiſc. Epiſtola XII. 55

Reſponſio Liceti. 56

11 De Licentia Poetica & Hiſtorica, eiuſdem Lollini Epiſt. XIII. 59

Reſponſio Liceti. 60

12 De Vario Muſarum numero apud Antiquos, eiuſdem Lollini Epiſtola XIV. 62 Reſponſio Liceti. 64

13 De

13 De Annulorum ferreorum & aureorum vſu apud Antiquos Romanos, eiuſdem Epiſc. Lollini Epiſtola XV. 73
Reſponſio Liceti. 74
14 An Conchæ coitu naſcantur, & oſtreacea ſtimulent ad Venerem, Ioannis Veſlingij Epiſtola XVI. 78
Reſponſio Liceti. 78
15 De Apologetico ſcribendi munere intermittendo; & de ſenſu Ariſtotelis circa Legem Hebraicam, Gabrielis Naudæi Epiſtola XVII. 82
Reſponſio Liceti. 87
16 De Apologia conſcribenda, & de Nectare, an ſomnum efficiat, Ioannis Veſlingij Epiſtola XVIII. 97
Reſponſio Liceti. 98
17 De Veterum Poetarum Acroſtichide, Meſoſtichide, ac Teloſtichide, Aloyſij Lollini Epiſtola XIX. 100
Reſponſio Liceti. 101
18 Cur vorent Struthiocameli ferrum, & an metalla nutriant, Ioannis Veſlingij Epiſtola XX. 108
Reſponſio Liceti. 109
19 De lapide ſpeculari Veterum; de Gypſo in Herculis Clypeo;
20 & de impoſtura lapidis Indici apud Thuanum, Ioannis Ar-
21 goli Epiſtola XXI. 112
Reſponſio Liceti. 115
22 De latiori Vmbra ducta ex eodem opaco mane & veſpere quam meridie, Petri Gaſſendi Epiſtola XXII. 124
Reſponſio Liceti. 131
23 De Seminis ex Cambio generatione, Ioannis Veſlingij Epiſtola XXIII. 148
Reſponſio Liceti. 150
24 De Cambij regurgitatione in venas; de oſſiculorum aurium
25 augmine, ac officio; deque vidente nato ex cæcis parenti-
26 bus, Ioannis Veſlingij Epiſtola XXIV. 153
Reſponſio Liceti. 155
27 De Mithræ luco in Chyndonactis Druidarum Principis Epitaphio, Andreæ Taurelli I.C. Epiſtola XXV. 181
Reſponſio Liceti. 185
28 De Mundi & Oui Analogia Ioannis Veſlingij Epiſtola XXVI. 194
Reſponſio Liceti. 195
29 De Platonico Mundi Fuſo & Verticulis, Ioannis Veſlingij Epiſtola XXVII. 213 Reſponſio Liceti 214

30 De

30 De ſimilitudine Dei, deque rerum Dominatione, cur in Angelo culpatæ, ſi homini conceſſæ, Ioannis Bourdelotij Epiſtola XXVIII. 221
Reſponſio Liceti. 222
31 De Mercurio turpante Ouum Simmiæ, cumque Aſino deſciſcente a via ſingularis inceſſus, Ioannis Bourdelotij Epiſtola XXIX. 227
Reſponſio Liceti. 228
32 An latenter viuendum ſit, Ioannis Bourdelotij Epiſt. XXX. 241
Reſponſio Liceti. 242
33 De Lucerna, & alijs Ferrariæ repertis in ſepulchro Cominiæ, Iulij Recalchi Epiſtola XXXI. 244
Reſponſio Liceti. 246
34 De ſuperhumano credendi modo Ariſtotelico: deque ſeria
35 confirmatione per fabularum Scriptores, Gabrielis Naudei Epiſtola XXXII. 252
Reſponſio Liceti. 256
36 De infinito corpore, num actu ſit, aut eſſe, moueriquo valeat in natura, Scipionis a Grandimonte Epiſtola XXXIII. 269
Reſponſio Liceti. 272
37 De Natura Dæmonia, non Diuina, apud Ariſtotelem, Gabrielis Naudei Epiſtola XXXIV. 285
Reſponſio Liceti. 286
38 De Monſtroſa ſpinarum pruni inſitione, ac pullulatione in humano pectore, Anonymi Epiſtola XXXV. 295
Reſponſio Liceti. 298
39 De Auerrois morte, an fuerit Rotæ affixus iuſſu Auicennæ, Franciſci Rotæ Epiſtola XXXVI. 301
Reſponſio Liceti. 302
40 De Ara Doſiadæ; de Græcorum epigrammatum Collectoribus; & cur alba corpora minus incaleſcant, & difficilius vrantur a radijs Solis, quam atra; quum tamen ab igne vulgari ſimiliter vtraque patiantur, Leonis Allatij Epiſtola XXXVII. 308
Reſponſio Liceti. 313
Peroratio.

FOR-

FORTVNII LICETI
In ſua Reſponſa de Quæſitis Clarorum Virorum
PRÆFATIO
Ad Eruditiſſimos Amicos
DON VINCENTIVM NOGHERAM, & DON DONATVM LILITELLVM.

ADEO frequentibus efflagitationibus a me petere, quin & vrgentibus adeo iuſſionibus imperare mihi iam a multo tempore nonceſſatis, inclyti Viri, mearum Reſponſionum ad Inſignium Litteratorum Quæſita per epiſtolas editionē; eo potiſſimum nomine meum pulſantes animum, quod aliter non effugero notam Inuidentis Litterario mundo pulcherrimarum difficultatum, arctiſſimorumq. nodorum in omni fere diſciplinarum, & eruditionum genere ſolutionem: vt Vobis tandem aliquando non obtemperare, ruſtici plane ſit animi, parum amicitiæ iura colentis, ac eruditiſſimorum hominum pariter & prudentiſſimorum iudicium temere contemnentis. En ergo iuſſa Veſtra capeſſens a Vobis exonari patior, & in verbo Veſtro publici iuris efficio non publici ſaporis Quæſita, quæ peregrinas mentes multum torquere potuerunt; & vna cum illis, vtinam non publici ſenſus, mea ſenſa de rebus arduis ad ſapientiæ myſtas ingenue reſcripta. Si quis forte Cenſor auſterus, aut liuidus Zoilus meum propoſitum in hoc opere culpauerit, Veſtrum amborum erit meas tueri partes, qui ad hoc volumen inuulgandum qua ſuaſionibus, qua precibus, qua clarorum hominum exemplis qui tale quid ſumma cum ſui laude factitarunt, & qua iuſſibus me cunctantem nedum, ſed tergiuerſantem, ac plane nolentem impuliſtis; adeoque tot machinis me torquentes ipſum ex me demum extorquere potuiſtis. Edacis interim liuoris dentes, ſi nequiuerint a meis dogmatibus, nec a ſumma Veſtra inter eruditos autoritate rumpi; ſaltem obſtupeſcent a doctis & elegantibus Quæſitis tot hominum excellentis litteraturæ, qui me de rebus adeo reconditis conſultum voluerunt, præclare de mea qualicunque doctrina ſentientes. Valete Viri præſtantes, meque Veſtri vtriuſque ſtudioſiſſimum amare ne deſiſtatis. Dabam e meo Muſeo. Kalen. Auguſti M DC XXXIX.

PRÆ-

Digitized by Google

Præſtantiſsimi Viri
LVCÆ HOLSTENII
Muſarum delicij

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Epiſtola Prima Officioſa.

Cl. Viro Fortunio Liceto Philoſophorum noſtri ſeculi Principi Patauium Lucas Holſtenius

Εὖ Πράττειν.

QVVM hactenus ſummam illam, & incomparabilem tuam in omni ſcientiarum, ac doctrinæ genere præſtātiam tacito quodam venerationis affectu ſim proſecutus, nunc inſignis tua humanitas fecit, Cl. Licete, vt effractis quaſi pudoris, ac ſilentij repagulis prorumpere in verba, & literis te conuenire non dubitarim. Qua in re ſi quid forte peccati a me commiſſum, tua hæc erit culpa, qui gratiſſimo librorum munere, amoris tui teſſera, ad amoris, atque officiorum certamen me prouocaſti: tum etiam Illuſtriſs. Eq. de Puteo, quo conciliatore, ac parario viam ad amicitiam tuā affectare cœpi. Et quinam ego adeo humaniter a te prouocatus affectum diutius premerē, quum tu nullo meo merito tam honorificos de me ſermones literis tuis non ſemel adſperſeris, quod me ſcripta tua pro captu, ac modulo meo admirari, atq; vti par eſt prædicare amici communes ad te renunciaſſent: quod quidem tu ita accepiſſe videris, quaſi quidquam ab ho-

A mine

mine obſcuro exiſtimationi tuæ, ac gloriæ accedere poſſet: qui tanquam aquila in nubibus longiſſime ſupra vulgus eruditorum, in quo noſtra quoque deliteſcit inertia, euectus, tot præclaris fœcundiſſimi ingenij monumentis nomen tuum æternitati inſcriptum conſecraſti: iamque famæ ſecurus in honeſti laboris præmijs, fructuque conquieſcis, maior, ac ſuperior hominum iudicijs, nullisquè amplius liuoris, vel inuidiæ telis obnoxius. Meum certe animum diuini, atque cœleſtis ingenij tui magnitudinem, & vberrimam fœcunditatem cogitantem ſacra quædam veneratio ſubit; & ſtupore defigit mens illa omnium humanarum diuinarumquè ſcientiarum ſemine completa; atque omnia, quocumque tandem vitales radios intendat, in fœtum fructumq. pulcherrimum excitans, & obſcuriſſima quæq. luce clariſſima perfundens. Tu quæſo V. Clar. mutui affectus conteſſerationem admitte hominis tuo tibi merito deuinctiſſimi, qui candorem ſine fuco veruq. amorem ſemper præſtabit. Vale. Romæ. M DC XXXV. XXV. Auguſti.

EIVSDEM AD EVNDEM

De Pythagorico Symbolo, vaſis Acetarij, ſiue Acetabuli, ſiue Ollæ acuminatæ remotionem iubente, Epiſtola II.

QVVM ex Meliteñſi itinere ad Vrbem rediſſem, pro aduentoria mihi oblati fuere duo fœcundiſſimi tui ingenij partus, quibus liliorum nomen imponere voluiſti: in quo miratus ſum cõſilij tui rationem, quod libros multiformi ſapientiæ fructu refertiſſimos florum nomine inſcripſiſti; qui vt amabili candoris ſpecie oculos oblectãt, ita odore grauiori plerosq. offendunt: niſi forte quum amicum, & vernaculum veritati candorem præſtiteris, de cętero haud ſollicitum te eſſe ſignificare volueris. Sed o felicem ingenij tui hortum, qui eiuſmodi flores gignit; ad quem laborioſiſſimi aliorum fructus meræ videantur paleæ, & retrimenta: Deumque precor vt leni benignioris fortunæ aur a eum fouere pergat; vt in ſimiles florum delicias porro exuberet. Sed quid de Epei Securi dicam

perſpi-

perſpicaciſſimo mentis tuæ acumine admentata ? nam & hæc nuperrime adeo tuo munere ad me venit: ita ergo tibi certum eſt criticorum acumen, hoc eſt, cornicum oculos configere ? an vero delphico tripodi te inſediſſe credendum eſt, qui tanta facilitate omnes veterum ambages, & ænigmata explicas. Proinde haud ægre feres Vir Clariſs. ſi & ego lucem mihi expetam ab eruditionis tuæ ſplẽdore in obſcuro Pythagorę ſymbolo, hactenus mihi, forte & alijs, non perſpecto: de quo vt tuam mihi ſententiã exponere non graueris ſummopere rogo. Symbolum hoc apud Iamblichum extat lib. 2. de Secta Pythag. pag. 141. a Τὴν ὀξίδα ἀποστρέφειν ἀπὸ σαυτοῦ πρὸς ὃν γὰρ ἂν τύχῃ ἐπιστραμμένη, ἐπίληπτος ἔσαι. Quo loco interpres ὀξίδα vas acetarium, ſiue acetabulum explicat, fortaſſis haud male: idque Pythagorei ſibi appoſitum remouere iubentur: rationem adiunctam, quæ mea tarditas eſt, plane non percipio; quæ enim reprehenſio inde ad eum, cui obuerſum eſt ? ita enim illud ἐπίληπτος ἔσαι, interpres reddit: mihi in hoc acetabulo aqua hæret, vnde nemo rectius me expediet quam tua illa b εὐστοχία. Vereor enim ne meis coniecturis indulgendo eorum reprehenſionem incurram, quibus acetum in naſo eſt. Vale Vir Clariſsime, & me tui nominis ſtudioſiſs. ama. Romæ M DC XXXVIII. poſtrid. Kal. Apr. Nobiliſsimum, & eruditiſsimum Vincentium Nogheram peramanter a me ſaluta.

a Acetabulũ auerte procul à te, apud quem enim ſi forte aderit, reprehendere licebit.

b Vir rectè coniiciendi.

Cl. V. Lucæ Holſtenio Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

QVOD nuperrime de meis Lilijs, deque Securis Epei Encyclopædia tuliſti iudicium perhonorificum, eximie Vir, mirifice me delectauit, qui tuam doctrinam, & eruditionem inſigni cum animi candore coniunctam ſuſpicio. Sed quod ais, Liliorum odore grauiore multos offendi, facile purgauero, ſi tecum eos cogitare perſuaſero, graueolentiam illã non e meis digitis, aſt e Liliorum folijs prouenire, quæ mihi neceſſario pertrita non potuerunt non tetri quidpiam halare; meque de-

buiſſe meum honorem nemini dare, veritatéq. ſartam tectam
a 1. Ethic. cap. 6. tueri ab errorum impetu; qui didicerã ab Ariſtotele, a *iuſtum eſſe, ac oportere, vt pro veritatis ſalute quilibet, ac præſertim Philoſophi ſua quoque propria refutent; ſanctumq. eſſe veritatem in honore omnibus anteponere.* Cęterum de Pythagorico ſerupo quid ita, diſertiſsime virorũ? Oedipus iſte tuus a meo Dauo griphi ſolutionem habere percupit, ac efflagitat? quem a præclariſsimo Luca ſplendorem non acquirit obſcurũ ænigma, ſortiri valebit ab alio? ſed quia par eſt, Oedipi domini Dauum ſeruũ iuſſa capeſſere, promptè pareo; meas tamen coniecturas de propoſito communicare tibi velim hac lege, cenſuram vt ingenuam tuam omnino ſubeant, quam ad me mittas vna cum tua ſymboli declaratione. Pythagoras itaque dicẽs,
† Acetabulũ remoue procul à te; apud quem enim ſi forte aderit; eũ reprehendere licet. † τὴν ὀξίδα ἀποστρέφειν ἀπὸ σαυτοῦ. πρὸς ὃν γὰρ ἂν τύχῃ ἐπεστραμμένη, ἐπίληπτος ἔσται. meo iudicio reprehendit eos, qui à ſe non remouent appoſitum ſibi obuerſumque vel acetabulum, vel acetarium vaſculum, vel ſi placet etiam, ollam acuminatam; tria hæc enim ſignari per vocem ὀξίδα, certum eſt. Porrò ſi τὴν ὀξίδα vertamus *acetabulum*; id ego cenſeo caliculum ex eorum genere, quibus præſtigiatores aſtantium oculos fallendo præſtringunt; atque hoc ſymbolo Pythagoram præcipere, ne quis animum adhibeat ad ea, quæ veritati fucum facere valeant; ſed his omnino procul abiectis, & a ſe remotis, vni veritati conſequendæ, propagãdęq. ſtudeat: quam explicationem haurire mihi videor a Seneca, præſtigiatorum acetabula fallaci diſciplinæ comparante, dum
b Epiſt. 45. talia ſcribit, b *Tota illo mente pergendum eſt, vbi prouideri debet, ne res nos, non verba decipiant. Quid mihi vocum ſimilitudines diſtinguis, quibus nemo vnquam, niſi dum diſputat, lapſus eſt? res fallunt: illas diſcerne: pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optauimus: pugnant vota noſtra cum votis, conſilia cum conſilijs. Adulatio quam ſimilis eſt amicitiæ? non imitatur tantum illam, ſed vincit, & præterit; apertis, & propitijs auribus recipitur & in præcordia ima deſcendit, eo ipſo gratioſa quo lædit: doce quemadmodum hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim: venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub*

titulo

titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignauia: pro cauto timidus accipitur: in his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Cæterum qui interrogatur an cornua habeat, non eſt tam ſtultus, vt frontem ſuam tentet; nec rurſus tam ineptus, aut hebes, vt non habere ſe neſciat, quod tu illi ſubtiliſſima collectione perſuaſeris. Sic iſta ſine noxa decipiunt, quomodo præſtigiatorum acetabula, & caliculi, in quibus fallacia ipſa delectat: effice vt quomodo fiat intelligam, perdidiſti vſum. Idem de iſtis captionibus dico: quo enim nomine potius ſophiſmata appellem? Dum ergo Pythagoras eos reprehendit, qui prorſus à ſe non remouent acetabulum, iam ſophiſtam & deceptorem increpat; præcipitq; repellendam eſſe ſub acetabuli nomine captionem omnem, omnemq. penitus deceptionem.

Si verò *τὴν ὀξίδα* transferamus *vas acetariũ*, quatuor præcepta continere mihi videtur ænigma, iuxta quatuor res, quas poſſumus in aceto ſpectare; ſunt autem hæ, aceti natura, impuritas, vires aceti propriæ, atque mordacitas, ſiue actio rerum ſimul cum aceto genitarum: eſt autem aceti natura vinũ corruptum, ſeu vini putrefactio; impuritas eſt tum ob putridum calorem, tum ob vermiculos in eo genitos, & perreptantes; vires aceti propriæ ſunt, ratione variarum partium, ſimul & calefacientes, & refrigerantes; at mordacitas, & actio rerum cum aceto genitarum, eſt a' vermiculis in aceto degentibus mire mordicantibus. Quam theoriam ex *Ariſtotele*, Theophraſto, Galeno, & ex omnium certiſsimo magiſtro experimento, deducere poſſumus; etenim Galenus ait, c *Sed ad reliqua nunc liquidorum medicaminum tranſibimus: inter quæ vel maxima controuerſia eſt de aceto, alijs frigidum, alijs contra calidum adſtruentibus; nonnullis calorem quidem quendam illi concedentibus, ſed quendam etiam auferentibus, velut qui acetum vinum eſſe mortuum aſſerunt: nam hi propriam vini caliditatem perdidiſſe quidem, verum ex putredine aſſumpſiſſe aliã quandam contendunt. Itaque ego ſane non multum abeſt, quin illorum laudem ſententiam, in eamque prompte accedam, pro hac aſſertione, atque opinione pericula omnia ſubeam, ſi quam machinam, aut artem inuenire queam, ſicut in lacte contrariarum partium ſeparationis, ita hic quoque, &c.* Quam varietatem partium

c 1. de ſimpl. med. fac. cap. 17.

Digitized by Google

d Lib. 4 c. 3. tium d poſterius in aceto dignoſcit, inquiēs, *Nam quaſi omnia ſimilarium forent partium, ita differunt; nec concedunt neque vinum, neque oleum, neque reliquorum vllum ex diuerſis facultate partibus conſiſtere; immo multo magis miranturſi de aceto audeamus dicere, ipſum ingenitam vini caliditatem perdidiſſe; ceterum ex putredine aliam adeptum: cuius ſane ſententiæ eſt tum Ariſtoteles, tum Theophraſtus: nam vinoſa vini partes, dum ipſum in acetum tranſit, refrigerantur: at aqueum recremētum putreſcens adſcititiam caliditatem obtinet, veluti cetera omnia, quæ putreſcunt: fitque acetum quiddam ex cōtrariæ qualitatis partibus compoſitum, partim refrigerantibus, partim calidis, ſicut vſtorū lignorū omnes cineres.* Adijcitque paullo poſt,

e cap. 12. e *Nam ſi omphax acida eſt, vua vero dulcis, ac fructibus omnibus maturatio prouenit a Solari calore; planum eſt, imperfectius, & frigidius eſſe, quod acidum; perfectius autem, & calidius, quod dulce fuerit. Quum ergo vinum perfrictione rurſum aceſcat; manifeſtum eſt, in eum illud conuerti humorē, ex quo prouenerat. Diuerſis tamen hactenus viribus omphacis ſuccus, acetumq. conſtant; quod aceto accedat ex putrido calore acrimonia quædam; proinde Ariſtoteles recte dixit, acetum proprio quidem vini calore eſſe frigidum, adſcititio calidum; at Omphacis ſuccus adſcititium non habet, ac proinde neque acrimoniam.* Sed acrimonia prouenit in aceto non tantum a calore putrido, verum potiſſimum ab innumeris vermiculis vna cum aceto genitis ex corruptione vini, ſemper in aceto permanentibus; quemadmodū enim e feruente muſto volucellarū myriades, quaſi apum examina, vbique attolluntur, quos alij muſciliones, Ariſtoteles autem vinarios culices appellat; & ex vermiculis, qui fœce vini

f 5. hiſt c. 19. aceſcente gignuntur, originem habere fatetur, aſſerens, f *Vinarij culices ex vermiculis, qui fæce vini aceſcente gignuntur, originem trahunt*: ita par eſt, ex defœcati vini aqueo recremento aceſcente vermiculos oriri, qui nunquam emiſsis alis in aceto ſemper commorantur: quos autem nudis oculis inconſpicuos vulgo non cernimus, adiuti dædaleis quibuſdā dioptris minoribus, quas Pariſij arte fieri cōſtat, ipſos videre poſſumus per aceti corpulentiā repentes, atq; natantes, anguium more; vt ſæpe ſe vidiſſe non ſemel mihi teſtati ſunt Viri Clariſs. Scipio a Grandi-monte Gallus, & Ioſeph Aromatarius Venetijs Medicinam

dicinam

Digitized by Google

dicinam faciens. Acetum autem oriri ex vini corruptione, ac eſſe vinum corruptum, ac veluti vini cadauer, Ariſtoteles aperte confitetur in Metaphyſicis, inquiens, g *Aqua potentia vinum, & acetum; huius quidem*, nempe vini, *ſecundum habitū, & ſecundum formam potentia eſt; illius vero*, nimirum aceti, *ſecundum corruptionem, & priuationem ſecundum naturam. At quædam dubitatio eſt, cur vinum non ſit materia aceti, neque potentia acetum, tametſi fiat ex eo acetum, & viuens potentia mortuus. An non, ſed ſecundū accidens corruptiones: ipſa vero animalis materia ſecundum corruptionē mortui potentia, & materia: aqua quoque aceti eſt: fiunt enim ex illis, quemadmodum ex die nox; & quæcunque ita inuicem tranſmutantur, ad materiam oportet redire: vtpute ſi ex mortuo animal, primum ad materiam, deinde animal; & acetum ad aquam, deinde vinum.* Quo loci dicit Alexander, *Quia materia animalis poteſt mortui effici materia, idcirco ex accidenti dicitur materia mortui: cui ſimilis eſt ratio in vino; quia enim aqua, quæ vini materia eſt, poteſt eſſe aceti materia, ideo vinum ex accidenti aceti materiā eſſe dicimus: nam vt ex die nox efficitur, non tamen dies noctis eſt materia; ſic ex animali mortuus, & ex vino acetum. Si vero, inquit, ex mortuo debet animal generari, mortuus in quatuor elementa reſoluetur, & ſic ex ipſis naſcetur animal: & pari ratione acetum in aquam, quæ materia vini eſt; & ſic vinum generabitur* iterum ex aceto, quod ex vino genitum fuit, ſiue vt aſſeruit Galenus ex aqueo vini recremento.

g *Lib. 8. t. 14*

Quibus ita ſe habentibus, Pythagoras multiplici ratione reprehendit eos, qui vas aceto refertum ſibi ad vſum appoſitum a ſe non repellunt. Prima quidem eſt, quoniam acetum continet animalcula viuentia, licet inadſpectabilia viſui nudo, quæ morſibus, & lancinationibus mortem veluti ſuam vleiſcentia, linguam acriter feriunt; quum Pythagoras ab animalium omnium cæde, ac eſu, ſemper abſtinendum eſſe præceperit hominibus. Altera vero eſt, quoniam acetum eſt corpus impurum, ob participationem tum caloris putridi, tum etiam vermiculorum, adeoq. Pythagoras, vt fabarum eſum interdixit, quod alimentum flatuoſum procreent, ac ſpiritus in ſanguine turbidos, perturbare natos imagines notionum in phantaſia, diuinatorijs inſomnijs, & ſublimium rerum contemplationibus

neceſſa-

neceſſarias: ita vult ab aceto, velut ab impuro liquore, prorſus abſtineri, qui puritatem in veſtibus etiam præcipit, nedum in rebus intrinſecus ingerendis: acetique ſigno remouere ſatagit homines ab omni penitus impuritate; *eſt enim*, vt ait Hierocles, h *in ſymbolicis præceptis id obſeruare, quod nominatim cauetur, & id ipſum, quod intus ſignificatur*.

h *in Pyth. au. carm.*

Tertia autem eſt, quod acetum contrarias vires obtinet, refrigerandi nimirum, & calefaciendi; quod præter Galenum ex Ariſtotelis, ac Theophraſti doctrina, decreuit etiam Alexander in Problematibus, inquiens, i *Cur nonnulla ex medicamentis ſimplicibus vires contrarias ſimul contineant; vt experimento latiſſime patet? maſtiche enim & abſtergit, & digerit, & firmat: acetum calfacit, & frigefacit. Dixerim vires illas contrarias propterea contineri, quoniam eorum particulæ indiuiduæ per appoſitionem, non per confuſionem coeunt: vt arena ſi lento conglutinetur humore, inque vnũ corpus coagmentetur, non per confuſionem corpuſculorum ſuorum in corpus, quod vnum videtur, concreſcit; ſed per coniunctionem, contactumq. conſiſtit. Ergo, ſi ita eſt, contrarias qualitates diuerſis particulis maſtichæ, aut aceti inditas, confundiq. inuicem recuſantes, exiſtimaſſe abſurdum non eſt*. Quare bilinguis, ac mendacis hominis typus eſt acetum: quum autem Pythagoras veritatem, ac vnitatem ſimplicitatemq. morum, atque doctrinæ præciperet; interdicens vſum aceti, reprehendit eos, qui non remouent a ſe vas acetarium, occaſionẽ ſcilicet mentiendi, contrariaq. dicendi. Quam ſẽtẽtiam Pythagoricã illuſtri apologo pridem Aeſopus comprobauit, inducens ſub perſona Satyri, fugientis hominem, e cuius ore modo calidus, modo frigidus halitus exibat, virum philoſophum vitantem commercium, ac ſocietatẽ bilinguium, & contraria loquentium hominum. Quarta demum ratio eſt, quod acetum ob acrimoniam eſt mordacitatis ſymbolum; nam in ſermonibus Horatius acetum pro mordacitate dixit, obſeruatu Parœmiographi,

i *lib. 1. probl. 105.*

At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto
Perſius exclamat. . . . .

Quum igitur Pythagoras, adnotatu Steuchi, k præcepiſſet alumnis ſuis, ſi ad conuicia ab iracundia impulſi fuiſſent, priuſquam Sol occumberet, dextras amplexari, & exoſculari, atque

K *10. de peren. phil. c. 13*

recon-

reconciliari; ſic ante illum Plutarchus agens de amore fraterno ſcribit, *Imitandique ſunt hoc loco Pythagorei, qui non generis, ſed doctrinæ duntaxat ſocietate iuncti, ſi quando per iram ad maledicta prorupiſſent, ante Solis occubitum dextris mutuo datis, & ſalutatione facta, gratiam redintegrauerunt:* vaſis acetarij remotione præcipit Pythagoras vt a conuicijs, verbiſq. abſtineamus, & ab ira; quin & ab irriſione; ſiquidem Adagiographi notatu, *Aceto perfundere,* prouerbij ſpeciem habet pro *Irridere,* ſicut & illud Horatij,

Ad idem quod ſale multo
Vrbem defricuit charta laudatur eadem.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

Quod quidem præceptum vt apte datur prouocantibus, qui mordent, ac irrident alios, a quibus ipſi læſi non fuerint; ita nō attingit eos, qui laceſsiti, ac pro veritatis tutela, proprięq. famę defenſione repugnant, & reluctantur acriter calumniatoribus; ac veritatē opprimere ſatagentibus; contra quos nos animat, & incitat ipſe Salomon, aſſerens. l *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens eſſe videatur.* Quid, ſi dicamus, hoc ſymbolo Pythagoram, itidem Salomoni conſentientem, nos excitare ad arguendos, refellendosq. dictis etiam acribus, atq; mordacibus calumniatores, ac famæ noſtræ, veritatisq. depreſſores, & oppreſſores? reprehendit enim eos, non qui ſe remouent ab acetario vaſe cōtra ſe poſito; ſed qui viciſsim nō remouent a ſe obuerſum ſibi vas acetarium; quare potius præcipit, vt conuicia propulſemus a nobis, calumniatorum ora veris dictis acriter obturantes, quam vt recedamus a conuiciatorum, atque contradicentium cōſpectu lædoriarum ſordibus onuſti, & contumeliarum flagris, verberibusque notati; nam, vt Plutarchus ait, m *Obiurgationes non ſunt ſine doloris ſenſu, neq; effeminate audiendæ*; *quod qui facile, vel neglectim ferunt, ſe maledictis Philoſophorum peti, paraſitos æmulentur conuicia nihili facientes, & proterui plane ſint, impudentiam oſtentantes, non autem bonum, nec verum fortitudinis argumētum preferentes; illiberalesq. habeantur, & a verecundia alieni, animoque, vt in dura, & calloſa carne fit, vibicem non admittente.*

l Prouer. 26.

m de Audit.

Si deniq. τὴν ὀξίδα vertere liceat *ollam acuminatam,* non vnam habet iſte griphus explicationem; in primis enim olla ſi

ſymbolum eſt hominis iracundi, circa cuius cor ſanguis efferueſcit, vnde verba acuminata prodeunt, & arma ferientia: iuxta
a Cap. 1. quem ſenſum Hieremias n vidit ollam ſuccenſam, his notis, *Et factum eſt verbum Domini ſecundo ad me dicens: Quid tu vides? & dixi: Ollam ſuccenſam ego video, & faciem eius a facie Aquilonis: & dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur omne malum ſuper omnes habitatores terræ, &c.* vbi Lyranus, *Videbat ollam bullientem, & hoc modo communi verbo dicitur olla ſuccenſa, quando fortiter bullit: vnde in Hebræo habetur, Ollam bullientem ego video.* Et ordinaria Gloſſa. *Hinc*
o Cap. 41. *Dominus ad Iob* o *dicit: De naribus eius procedit fumus, ſicut ollæ ſuccenſæ, atq; feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur.* Ad quem locum Iob eadem Gloſſa dicit, *Oculorum quippe acies fumo ſauciatur: fumus ergo de naribus eius procedere dicitur, quia de miraculorum eius,* Antichriſti. ſ. *inſidijs caliginoſa dubietas etiam in electorum corde generatur. Bene autem in hac fumi caligine ipſe etiam animorum feruor exprimitur, quum ſubinfertur, ſicut olla. Velut olla feruens eſt vnaquæque anima tunc cogitationum ſuarum impetus quaſi ſpumas vndarum ardentium ſuſtinens, quas & ignis zeli commouet, & ipſa temporalis oppreſſio more ollæ intrinſecus clauſas tenet. Vel de naribus eius procedere fumus aſſeritur, cuius noxijs inſpirationibus praua in humanis cordibus cogitatio naſcitur, per quam acies mentis obtunditur: cuius fumi vim exprimit, quum ſubiungit, ſicut ollæ ſuc. Olla enim ſuccenditur, quum mens humana maligni hoſtis ſuaſionibus inſtigatur. Olla autem feruet, quum iam etiam per conſenſum in deſiderijs prauæ perſuaſionis accenditur, & tot vndas quaſi feruendo proijcit, per quas nequitias vſque ad interiora opera extendit: quod adhuc apertius exequitur. Halitus e. Quid prunas niſi ſuccenſas in terrenis concupiſcentijs reproborum mentes ad illicita inflammantes appellat? Tanto igitur halitu in prunis flat, quanto a viſu ſuggeſtionis occultæ humanas mentes ad illicita inflammat. Et flamma &c. Flamma oris eius eſt ipſa inſtigatio occulta locutionis.* In eandem ſententiam ait Ezechiel, p *Et dices per pro-*
p Cap. 24. *uerbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Pone ollam, pone inquam, & mitte in ea aquam.* Fortaſſis in eundem ſenſum Ioel prophetauit inquiens,

Digitized by Google

quiens, q *A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redi-* q *Cap.* 11.
gentur in ollam. Et Amos, r *Iurauit Dominus Deus in ſancto* r *Cap.* 4.
ſuo; quia ecce dies venient ſuper vos: & leuabunt vos in con-
tis; & reliquias veſtras in ollis feruentibus: & per aperturas
exibitis, alter contra alterum: & proijciemini in Armon, dicit
Dominus. Vbi Gloſſa per ollas interpretatur Vrbes expugna-
tas bello dicens, *In prælio ſuperatos compellent ad vrbes muni-*
tas, quæ ollis feruentibus comparantur, quia fame, & peſtilentia
clauſos populos exire compellent, & ire in captiuitatem. Et Mi-
cheas, s de principibus iniuſtis, & violentis, populos affligen- s *Cap.* 3.
tibus ait, *Nunquid non veſtrum eſt ſcire iudicium, qui odio ha-*
betis bonum, & diligitis malum? qui violenter tollitis pelles
eorum deſuper eis, & carnes eorum deſuper oſſibus eorum! Qui
comederunt carnem populi mei, & pellem eorum deſuper exco-
riauerunt, & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in le-
bete, & quaſi carnem in medio ollæ. Sed & apud Pierium legi-
mus, t *Vas obturatum plerumque animi ſignificatum habere* t *Hiero.* 56.
perhibetur: Vnde Lacenæ mulieres ollas in regum ſuorum fu-
ſtis pulſabant per vrbem diſcurrentes, vt ita ciuitatem orbam
rege, animo carere ſignificarent, quemadmodum ollæ illæ inanes
erant. Et mox, *Olla, ait Eucherius, quum ſit condimentorum,*
quæ ad humanum victum pertinent, receptaculum, in diuinis lit-
teris proſobole, vel progenie ſolet accipi; nam velut ex olla de-
ſumitur quod ad victum facit, cuius beneficio humana vita ſuſti-
netur; ita de humano vaſculo genitura depromitur, quæ in mul-
tas hominū ætates propagatur. Ideo Pſalmo LX. u *legas, Moab* u *Al. l.* 59.
olla ſpei meæ: hoc eſt Ruth, quæ Moabitis fuit, progenies illa
eſt, quam ſpe concepi: nam Chriſti generatio, quantum ad hu-
manitatem, per Ruth ipſam in poſteros propagata eſt. Eodem
ſpectat Apoſtoli dictum: In domo magna non ſunt tantum vaſa
aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, alia quidem in ho-
norem, alia porro in contumeliam. Et inhonoratus eſt Iecho-
nias, quaſi vas cuius nulla eſſet vtilitas; quoniam quum in domo
Dei ex numero eſſet familiarium, ſe turpitudinibus ſceleribusq.
ſummiſit, ideoque ea ſuper homine ſcripta ſunt; nunquid vas fi-
ctile, curtumq. vel attritum vir iſte Iechonias? At, bone Deus,
quid aliud clamat Oedipus apud Sophoclem? Ita me turpibus bel-
lum educaſtis vas repletum ſordibus. Alibi adapertis theſauris

vaſa indignationis a Deo prolata comperias, hoc eſt, reiectos animos, in quibus ira, & praui affectus reliqui concluderentur, de quibus plura apud Theologos. At illum Pſalmiſtæ locum aliter explicat Interlinearis, per *ollam* exponens *tribulationem*; & ordinaria Gloſſa Aug. *Filiæ male vtentes patre genuerunt Moabitas; ſic qui male vtitur lege, generat mala opera; vt qui bene, bona: a male vtentibus autem lege oritur tribulatio Eccleſiæ: hæc eſt olla feruens ab Aquilone: ideſt, diabolo.* Et mox. *Ab Aquilone pandetur omne malum, ideſt, a diabolo, qui dixit: Ponam ſedem meam ad Aquilonem, &c. Ab illo ergo tribulationis olla in Eccleſia ebullit.* Et Lyranus, *Terra Moab erit mihi ſubdita ad ſeruiendum, ſicut olla, qua homo vtitur in miniſterijs ſuis. In Hebr. habetur: Moab olla lauationis meæ, ideſt populus Moab erit mihi ita ſubiectus, ſicut olla ad lotionem pedum præparata.* Genebrardus ita, *Olla ſpei meæ, Moabitas, & Idumæos, qui ſunt populi Arabiæ, & Saracenici, ad infimam redigam ſeruitutem. Moab ergo olla ſpei meæ erit, ideſt olla, quam ſpe complector; olla, quam me poſſeſſurum ſpero; olla, qua ſpero me vſurum ad rem culinariam; vel, vt Hebræi exponunt, ad pedum lotionem, ad res viles, & abiectas; ideſt, Moab mihi ſubijcietur ad omnia, mihi in omnibus inſeruiet, meum vile erit mancipium. Quod Dauidi*
x 2. Reg. 8. *etiam ipſi contigit: x Rahaiz, ſperare Chaldaice, & Syriace; cuiuſmodi voces iam notauimus affectari ab Hebræis poetis; vt nihil ſit opus vertere, olla lotionis meæ: maxime quum olla vas ſit ineptum ad lauandum, ſiue manus, ſiue pedes. Niſi fortaſſis figurate, tam copioſe ſanguinem Moabitarum fundam ad eos mihi ſubijciendos, vt quaſi pedes ſim lauaturus in eorum ſanguine. Hinc Chaldaice; dum conculcarentur Moabitæ, fœdati ſunt pedes mei ſanguine procerum eius, ſicut in olla lotionis.*

Verum etiam ſine tropo lotionis olla dici poteſt non ſolum, in qua calefiat aqua pedibus abluendis deſtinata; ſed etiam in
y In Pſ. 59. qua latioris orificij pedes abluantur. At ex Hilario, y Baſilio, Arnobio, ſyluæ Allegoriarum Autori *Olla ſpei dicitur Moab, quia dum coquit eos, quos tentat, eſt occaſio vt purgentur, & ſalui fiant. Deſignat etiam libidinem ſuccendendam, & purgandã. Lebetes, qui fiunt phialæ, ſunt carnales, qui conuerſi fiunt bonus*
z 14. *odor Deo*, apud Zachariam z ex D. Hieronymo. a *Ollæ car-*
a Ibid.
b Exod. 16. *nium Ægyptiorum* b *deſignant multimodas carnalium volupta-*

tum

tum refectiones. Item carnalia opera tribulationum laboribus, quaſi ignibus c *excoquenda. Olla ſuccenſa a facie Aquilonis* d *ſignificat Regem Babylonis, qui venit contra Hieruſalem. Poteſt etiam deſignare pœnam Purgatorij, vel inferni. Et etiam grauiorem vindictã Dei igne purgantem peccata. Et ollæ feruentes* e *deſignant punitiones hæreticorum, vt obſeruant* f Origenes, g Hieronymus, *h* Hilarius, *i* Gregorius, & k Rupertus. *Olla etiam ſuccenditur, quum mens humana maligni hoſtis ſuaſionibus inſtigatur; Olla vero* l *feruet, quum iam etiam per conſenſum in deſiderijs prauæ perſuaſionis accenditur. Lebes etiam,* m *in quo carnes coquuntur, mortem, aut infernum, aut purgatorium ſignificare poteſt. Olla etiam ſuccenſa* n *deſignare poteſt feruorem perſecutionis Iudæorum in Chriſtum, & eius membra;* vt notat *o* D.Hieronymus. p *Lebes dicitur Hieruſalem, continens interfectos a ſuis ciuibus; vel dicitur Eccleſia continens ſcandalizatos. Hieruſalem etiam* q *dicitur olla, quæ cum ſua rubigine conſumitur; & ſignificat mundum in Iudicio conſumendũ. Olla denigrata* r *deſignare poteſt obſcuritatem vultus, ſeu mentis peccatorum.* Et adhuc infra, *Vaſa lignea, & fictilia in contumeliam facta deſignant* s *impie viuentes. Vas etiam fictile* t *dicitur cor peſſimum.*

c *Mich.* 3.
d *Hierem.* 1
e *Amos* 4.
f *Pſal.* 38. *ho.* 2.
g *In Hier. et Amos* 4.
h *Pſal.* 59.
i 35. *Moral.* 40.
K *in Here.* 5
l *Iob* 1
m *Ezech.* 11
n *Ierem* 1.
o *in Ezech. ho.* 2.
p *Ezech.* 11.
q *Ezech.* 24.
r *Ioel* 2. & *Nahum.* 2.
s. 2. *Timot.* 2
t *Prou.* 26.

Ex quibus apertiſſime conſtat, per *ollam acuminatam* ſymbolice ſignificari tum animũ rixoſum, iracundum, atq; pugnacem; tum libidinem, ac Venereorũ impotentiam; tum etiam vilem ſeruitutem, atque miſeriam; tum denique cor omni vitiorum genere contaminatum. Sane ſi priore ſenſu *τὴν ὀξίδα* ſumamus pro rixoſo, pugnaci, & iracundo; Pythagoras apte redarguit eos, qui nõ remouent a ſe *ollam acuminatam*, hoc eſt, qui non exuunt iracundiam, & cor pugnax, atque rixoſum; ſed iurgijs indulgent non laceſſiti: quum ipſe pacatum animum ſuis aſſeclis vbique præcipiat: quique laceſſiti, a ſe non repellunt iniurias: quum fortes, non autem ignauos eſſe ſuos voluerit. Sin alio ſenſu *τὴν ὀξίδα* ſumamus, pro ſalacioris Veneris impetu cordeque libidinoſo: nihilo ſecius reprehendit illos, qui a ſe non remouent *ollam acuminatam*, hoc eſt, œſtrum impotentis libidinis, vel etiam non inuehuntur contra turpitudinem ſuadentes; vt D.Thomas olim ardente titione fugauit meretricem

tricem eius caſtimoniæ inſidiantem; nam Pythagoras caſtitatem, ac puritatem in primis colendam eſſe iubet, perinde, ac manſuetudinem, his metris,

Ταῦτα μὲν οὕτος ἴσθι. κρατεῖν δ' ἐθίζεο τῶνδε,
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου λαγνείης τε,
Καὶ θυμοῦ. πρήξῃς δ' αἰσχρὸν ποτε μήτε μετ' ἄλλου,
Μήτ' ἰδίῃ πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.
Εἶτα δικαιοσύνην ἄσκει ἔργῳ τε λόγῳ τε. hoc eſt

Hæc quidem ſic teneas, ceterum his ſuperior eſſe aſſueſce.
Ventre quidem primum, & ſomno & libidine,
Et iracundia. Turpe vero quidpiam nunquam facies, nec cũ alio,
Nec tecum; ſed omnium maxime te ipſum reuerere.
Deinde iuſtitiam exerce, & verbis, & factis.

Si vero loco *τὴν ὀξίδα* ſumamus pro ſymbolo vilis ſeruitutis, etiam coarguit eos, qui non remouent a ſe *ollam acuminatam*; hoc eſt ſeruitutẽ, abiectionẽ, & vitã calamitoſam, tam actiuam, quam paſſiuam; vt ita dicam; etenim vult omnes homines, vt natura liberi ſunt, ita procul ab omni miſeria ſeruitutis aſſidue ſeruari. Si demum *τὴν ὀξίδα* ſumamus pro corde peſſimo vitijs omnibus coinquinato; ſapienter Pythagoras reprehendit eos; qui non repellunt a ſe talem *ollam acuminatam*; quum vitiorum omnium oſor, vbiq. virtutes requirat, & præcipiat ſummus ſenex.

Hæc ſunt, inclyte vir, quæ mihi nunc ex tempore dicenda ſuccurrunt in tenebricoſo Pythagoræ gripho propoſito: tu, precor, æqui bonique conſule meos hoſce conatus; & meliorem ænigmatis explicationem tuam mihi candidus impertire ne dedigneris. Vale, & me ama. Bononiæ. V. Idus Aprilis M DC XXXVIII.

Cl. Viri

Cl. Viri Melchioris Goldaſti Heiminsfeldij, Hiſtoriographi, & I.C. praſtantiſſimi

De metro Publilij corrigendo: deque Luna tempore apto lignis cædendis.

Ad Fortunium Licetum Epiſtola III.

IAM annos eſt admodum viginti, & quod excurrit, quum Commentarios tuos *de ortu animæ humanæ* in hac vrbe recuſos, auide (vt ſoleo id genus rariora ſcripta) arripui, nec prius e manibus labi paſſus ſum, quam totos percurrerim. Ex eo tempore nihil tuorum monumentorũ nanciſci potui, quod in haſce oras haut temere tranſportentur. Hoc eſt enim, vt aliarum rerum plerarumque, ita librorum quoque fatum, vt qui ſunt nauci, ac nullius precij, paſſim abundent, ac proſtent; optimi quiq. negligantur, & relinquantur. Nuperrime demum incidi in *Ariſtotelicum Aenigma*, *ELIA LELIA CRISPIS*, inſcriptum, & abſte peregregie, fauenteque Apolline illuſtratum: tum ex diuturna legatione redux, Commentarios tuos alteros, *De Immortalitate Animæ rationalis*, cum *Encyclopædia ad Publilij Aram, &c.* familiæ meæ in abſentia exhibitos, domi bona cum fortuna offendi; quos neſcio an tuo beneficio, an Illuſtriſſimi Molini perhumanæ liberalitati, qua me tam munifice, ac dapſiliter locupletare non ſemel voluit, debeam adſcribere. Equidem magis tempeſtiue mihi tam concinnum munus obuenire non potuiſſet, poſtquam triſtiſſimus vxoris meæ obitus fecit, vt nullum alloquium, præter tuum, admitterem; quo docente, ac ducente animus meus perſuaderi ſe ſuſtinuit, vt dilectiſſimæ coniugis deſiderium minus ægre moleſteque ferre cœperit; quum immortalem eius animam non amiſiſſe, ſed antemiſiſſe, ſolabiliter recordaretur. Quod vtinam cetera quoque tua præclara, & immortalia monumēta in has noſtras oras ſit, qui perferēda curet, ne diutius tam egregijs theſauris carere cum damno noſtro cogamur? Commentarios puta de Recōditis Antiquorum Lucernis: Encyclopædiam ad Arā Nonarij Terrigenæ: Encyclopædiā ad Aram Doſiadæ &c.

quorum ipſemet nobis mentionem non ſine ſaliua obieciſti.
1 Interim vide, an recte ſibi conſtet verſus ille in Ara Publilij, qui
hunc in modum editur in cuſis exemplaribus,

Exciſa ſum rupe montis albidi,
Luna enitente, nec pati de vertice.

Multa tu quidem docte, & argute de *pari* illo *vertice*: ſed arbi-
trare, amabo, an recte olim diuinarim legendum, *Nec Pario*
2 *de vertice*. Ait namque Ara, ſe non eſſe exciſam in Plenilunio
ex montanis Lunenſibus latomijs, quæ *montis albidi rupe* in-
3 telligit, nec ex Parijs montibus, in quibus vtriſque albiſſimum
& candidiſſimum marmor eruitur. *Vertex* pro mõte ponitur,
modo loquendi Poetis non infrequente. De Pario marmore
Horatius,

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purior.

Petronius Arbiter in Satyric. *Iam pedum candor, intra auri gra-
cile vinculum poſitus, Parium marmor extinxerat.* Seruius ad
4 Virgil. 1. Aeneid. dixi, in plenilunio, id enim ſignificat *Luna ni-
tens*, h. e. plenam ſuam formam efferens, ac oſtendens. Etenim
5 ligna in plenilunio cæſa, aut primo decreſcẽtis Lunæ quadran-
te, aiunt fieri minus carioſa, vel putrida, conſtantiuſque perdu-
6 rare. Qua de re Conſtantin. Baſſus lib. 1. Georgic. cap. 8. Palla-
7 dius lib. 12. cap. 15. Theophraſt. Paracelſus in lib. de Tempore,
8 in fin. 1. tract. Hereſbach. lib. 2. de re ruſtic. & alij ruſticarum
9 rerum ſcriptores. At quid ego Mineruam ipſo Iouis cerebro
natam? Hæc tantum ſcripſi, vt ſi tibi aurea illa dona debeo,
10 acceptum cum grati animi teſtatione referam: ſin, ſaltem me
accepiſſe ſignificem, qui iam pridem olim ſummam illam, &
incomparabilem, ac enitentem doctrinam tuam vnice admira-
tur, atque colit. Vale, V. Cl. & Reipublicæ feliciter perenna.
Dat. Frãcofordiæ ad Mœnum. IV. Non. April. A. C. MDCXXXI.
Dom. V. Obſeruantiſs. Melchior Goldaſtus Heiminsfeldius.

Cl. doctrina, & eruditione Viro D. D. Melchiori Goldaſto
S. D. *Fortunius Licetus* *Reſp.*

NVdiusquintus ab Illuſtriſſimo, & Excellentiſs. Dominico
Molino tuas accepi litteras, inclyte vir; feras illas quã-

dem,

dem, vtpote menſes iam duodecim ſcriptas; at ſerias, amore ac eruditione pleniſſimas. Quod meos commentarios tum philoſophicos, tum etiam ſuauiorum Muſarum, quos habes, cum voluptate legere conſueueris; & quos non habes, flagrāti cupiditate perquiras; eſt vt mihi ſummopere gaudeam, cuius meditationes a tanti iudicij viro non parui æſtimentur; eſt vt tibi plurimum debeam, qui maximis, & plurimis negotijs obſtrictus meorum voluminum lectioni tempus aliquod impendas. Præclarum ſane fructum me collegiſſe ſentio ex meis lucubrationibus de Immortalitate rationalis animæ, poſteaquā audio mea illa ſcripta (munus Molinæum) tibi lenire potuiſſe mœrorem ex obitu dilectiſſimæ coniugis enatum, ac in tuo pectore ſæuientem. Encyclopædiam itidem noſtram ad Aram Publilij, referas in Molinæam liberalitatem; vnde ſcio pariter ad te miſſam olim editam Encyclopædiam ad Altare Nonarij Terrigenæ. Quæ vero ad Aram Doſiadæ mihi iam ſcripta fuit, cum alijs pleriſque id generis ad antiqua Simmiæ Rhodij poematia, temporum calamitate, partim Pariſijs edita nondum ad me peruenere, partim nondum prælo cōmitti potuere. Graſſatur hic apud nos lurida peſtis, quæ Typographos nihil moliri permittit: quamprimum deſæuierit malum, curabo vt quæ penes me ſunt deſcripta volumina cudantur. Vtinam expeditum eſſet iter in veſtras oras, vt libenter ego mea ſcripta, quæ deſideras, ad te tranſmitterem: & vtinam iſtic eſſet aliquis Typographus, qui mea volumina, ſaltem nondum edita, cudere ſibi proponeret, vel etiam edita, ſed non amplius proſtantia vænū, recudere vellet; vt ego libenter illi concederem exemplaria. Libri mei de Reconditis Antiquorū Lucernis, niſi recudantur, nulli proſtant venales amplius in Italia; vix vnum ego codicem habeo, nōnullis additiunculis locupletatum ad nouam editionem. Prodibit paucos intra dies volumen de Monſtrorum natura cauſſis & differentijs, editione ſecunda locupletatū æneis iconibus, & adauctum nouis meditationibus; dabo operam vt ad te perueniat eius exemplar.

Quæ de verſiculis duobus illis Aræ Publilianæ mihi propo- 1
nis conſideranda, tuum acre iudicium, & miram eruditionem præſeferunt; quibus mihi ſubſcribendum eſſet: ceterum vt tuis iuſſibus obtemperem, breuiter afferam, ac ingenue meā ſen-

Digitized by Google

tentiam, quam tuæ cenſuræ plane ſubijcio. Si prior ille verſus in aliquibus exemplaribus ita legitur, *Excisa ſum rupe montis albidi*: vere non recte ſibi cōſtat; tum quia deuiat a lege metrica; tum quia non habet eum litterarum numerum, in quo reſidet artificium Aræ Publilianæ: in meo quidem exemplari, dudum excuſo Auguſtæ Vindelicorum ex codice manuſcripto Paulli Velſeri, & in exemplari pariter eruditiſſimi Pignorij noſtri, typis Hieronymi Commelini Geneuæ cuſo, legitur adiecta negatione ſic, *Excisa non ſum rupe montis albidi*, quam lectionem ego ſecutus ſum in Encyclopædia; verſuſq. ſenarius eſt,
2 nullo plane vitio laborans. Quod in ſecundo verſiculo legendum duxeris, *nec Pario de vertice*, non autem, *nec pari de vertice*, probabilitatem habere videtur: ſed tamen libere proferam, quæ mihi difficultatem pariunt in hoc tuo *Pario vertice*, vir inclyte; quæ fortaſſe tibi difficile non fuerit enodare. In primis quum nuper dixiſſet Ara, ſe non eſſe exciſam ex rupe montis albidi ſimpliciter, per hoc excludens a ſui ſtructura marmor abſolute; fruſtra ſtatim aſſereret, ſe non eſſe exciſam ex Pario monte, qui mons vnus eſt albidus ex eorum numero, vnde marmor, & candidum elicitur; perinde ſi quis diceret, ſe non eſſe Germanū, nec eſſe Francofurtenſem. Deinde quum verſus Aram Publilij contexentes omnes alij ſenarij ſint, hic vnus verſiculus non eſſet ſenarius; qui propterea vitiaret Altaris huius artificium. Deinceps canones metri non habet, nec verſus eſt, ſi legatur,

Luna enitente, nec Pario de vertice.

Denique vero quum artificium Arę præcipuum in eo ſitum ſit, vt verſus contexentes ventrem, ſeu corpus Altaris, duodecim ſenarij ſint, viginti octo litteris ſinguli pariter conflati; verſus iſte ſocios vna littera ſuperaret; propterea que non conſtitueret Altaris oram quadratam normata regula; quam tamē prędicat Optatianus ipſe Publilius verſiculis ſequentibus, qui ſtructuram Aræ patefaciunt ita,

Normata vbique ſic deinde regula
Vt ora quadra ſit rigente limite.

3 Quod poſtea refers, eximie vir, Aram dicere, ſe non eſſe exciſam in Plenilunio ex montanis Lunenſibus latomijs, quæ montis albidi rupe ſignantur, nec ex Parijs montibus, &c. id

mihi

mihi duo ſuſpecta videtur habere: vnum eſt, quod rupes montis albidi non magis cautem Lunenſem, quam Parium montẽ, aut alium verticem quemuis, candidi marmoris feracem indicat: quare montis albidi rupes ad Lunenſes latomias coarctanda non videtur. Alterum eſt, quod non video, quid conferat Plenilunium excidẽdis marmoribus ex montanis Lunenſium latomijs: marmor enim omni Lunæ quadrante ſimiliter excinditur; nec alijs Lunæ diebus durabilius, aut præſtabilius; alijs e contra minus durabile, minusve præſtãs effoditur; quia marmor omne caret humoris affluxu, & refluxu; quos promouent varia Lunæ tẽpora in lignis, non in lapidibus: quamobrẽ Lunæ dies obſeruantur in arboribus ad fabricam cædendis; non in marmoribus ad ædificium excidendis. Quod inſuper addis, Dixi, in Plenilunio; id enim ſignificat *Luna nitens*, hoc eſt, plenam ſuam formam efferens, ac oſtendens. Hoc mihi ſuſpectum eſt; etenim textus Publilij legit, *Luna enitente*, non autem, Luna nitente: differt autem Luna nitens ab enitente, quod Luna nitens eſt Luna ſplendens; eaque non magis plena, quam dicotoma, vel cornuta: Luna vero enitens eſſe poteſt tum valde fulgens, qualis eſt in plenilunio; tum nihil omnino fulgens, vt in coitu; quemadmodum eneruis dicitur ſine neruis; tum etiam parum admodum fulgens, quaſi tunc emicans e tenebris, ac erumpens e coitu: quare Luna enitente poteſt æque ſignificari plenilunium, ac nouilunium. Sed quod adnectis, vir Cl. ligna in Plenilunio cæſa, aut primo decreſcentis Lunæ quadrante, fieri minus carioſa, vel putrida, conſtantiusq. perdurare: placitum eſt, cui ratio plane repugnat, & experientia; qua conſtat ligna in plenilunio, ac in primo decreſcentis Lunæ quadrante maxime redundare humiditate; ſcimusq. ab humoris abundantia putredinem, & cariem in lignis facile concipi; quum humiditas habeatur, & vere ſit mater putredinis. Reclamant etiã huic dogmati claſſici ſcriptores: Plinius enim ait, a *Infinitum refert & Lunaris ratio; nec niſi a viceſima in triceſimam cædi volunt; inter omnes vero conuenit, vtiliſſimum in coitu eiuſdem ſterni; quem diem alij Interlunium, alij ſilentis Lunæ appellant. Sic certe Tib. Cæſar concremato ponte naumachario, larices ad reſtituendum cædi ex Rhætia præfiniuit: quidam dicunt vt in coitu, & ſub terra ſit Luna; quod fieri non*

a *Lib.16. cap.39.*

poteſt niſi noctu : At ſi competant coitus in viceſimum diem bru-
b *1. de re ru ſtic. cap. 37.* *mæ, illa ſit æterna materies*. M. Varro quoque ſcribit, b *Sil-*
uam cæduam fieri debere ſeneſcente Luna; ſeneſcit autem Luna
in vltimo ſui decrementi quadrante prope nouilunium, non in
primo ſtatim a plenilunio; quia in hoc primo quadrante Luna
pollet lumine multo, multoque vigore ſuccos in lignis promo-
c *Lib. 9 c. 1.* uente. Columella pariter inſit, c *Nec minus in ædificia ſucci-*
dere arborem; ſed vtraque melius fiunt Luna decreſcente ab vi-
geſima vſque in trigeſimam; quoniam omnis materia ſic cæſa iu-
dicatur carie non infeſtari: tempus autem hoc, ab vigeſima vſ-
que in trigeſimam diem Lunæ, non eſt prope plenilunium, ſed
in fine decrementi Lunaris prope nouilunium. *Caſſianus item,*
d *2. Vill. c. 5.* obſeruatu Io. Bapt. Portæ, d *addit ſuis præceptionibus cæden-*
dorum lignorum Luna ſub terris latente, & in coitu; additque ra-
tionem; quia Luna lumen ligna molliora facit. Quod idem &
e *2. de re ædif. c. 4.* Diophanes cõfirmat. Leo Bapt. Albertus ait, e *Sed cædi opor-*
tere materiem periti omnes admonent Luna deficiente; nam tunc
admodum exhauſtam eſſe arboris ſtatuunt craſſam illam pitui-
tam, quæ quidem ad citam putredinem imbuendam perprona ſit;
Lunaque iſtac cæſam carie non infeſtari. Quibus aperte ſub-
f *Lib. 2. c. 9.* ſcribit Daniel Barbarus apud *f* Vitruuium. Neque mihi per-
g *1. Geor. cap. 8.* ſuadere poteſt oppoſitum, quem affers, Conſtantinus g Baſſus;
quia Conſtantinus Cæſar non ſemel ait, ligna cædenda deſi-
h *Lib. 3. c. 10* nente Luna; primum quidem, h *Menſe Iulio & ligna cadere*
licet, ſi neceſſitas poſtulauerit, deſinente videlicet Luna, & ſub
i *Ibid. c. 15.* *terra exiſtente*. Deinde vero ſimiliter, i *Menſe Decembri li-*
gna etiam ad ædificationem cadere, deſinente & ſub terra exi-
ſtente Luna: non inquit autem, Luna decreſcente, ſed deſinen-
te; quod tempus eſt in vltimo Lunæ quadrante prope coitum,
6 vel in ipſo nouilunio, procul a plenilunio. Quod idem Con-
k *ibid. c. 1.* ſtantinus notauerat antea in hæc verba, k *Ianuario menſe li-*
gna ad ædificandum, & operas cædenda ſunt, Luna in coitu exi-
ſtente, & ſub terra; Luna enim lumen ligna molliora facit: quæ
vero tunc cæſa ſunt ligna, a putredine incolumia permanent.
7 Quem inſuper in tuam ſententiam aduocas, Palladius ipſe ſatis
l *Lib. 12. c. 15.* eam non probat; etenim eo loci *l* tractans de peragendis in
menſe Nouembri, ſic inquit, *Nunc materies ad fabricam cæ-*
denda eſt, quum Luna decreſcit. Idipſum dixerat agens de mẽſe
Ianua-

Ianuario, m *Hoc etiam menſe cædenda materia eſt ad fabricã, quum Luna decreſcit.* Ceterum Luna decreſcit a plenilunio in nouilunium, duplici quadrante, nimirum & toto primo poſt plenilunium, & toto ſecundo ante Lunæ coitum: nulla vero ratio eſt, cur aſſerens Palladius, ligna cædenda quum Luna decreſcit, intelligi debeat de primo quadrante, in quo Luna incipit decreſcere; non item de ſecundo, in quo maximum habet ſui decrementum: ſed ratio ſuperius allata, & multiplex autoritas eſt, quæ doceat Palladium loqui de ſecundo quadrante prope Lunæ coitum procul a plenilunio; nam in primo, plenilunium proxime ſequente, Luna multum habet luminis, quo ligna mollia fiunt, & multo ſucco turgida. Qui etiam adducitur n Paracelſus, is meam potius opinionẽ confirmat: vide, 8
vir oculate, num hic autor ibi refragetur opinioni tuæ; nam illius verba Germanica Latio data ſic habent, *Tom. 2. tr. 1. de diuerſitate temporis, & mutatione virium, ac facultatum penes ipſum. Ligna tempore Balſamico cædenda, quo maxime vires cõſeruantur, veluti Mumia, a putredine: cuiusmodi eſt Autumnus; menſes Septemb. & Octob. tres poſtremi dies Lunæ declinantis, ſeu decreſcentis, & Aurora. Quod Agricolarum experimento ratum: lignum tali tẽpore exciſum alio leuius eſt pondere ob minorem humiditatem, minuſque cariem patitur.* Hæc ille: *cui tres poſtremi dies Lunæ declinantis, ſeu decreſcentis* non ſunt in plenilunio, nec in primo quadrante Lunæ decreſcentis, ſed procul a plenilunio, circa finem ſecundi quadrantis decrementi Lunaris, ac omnino prope nouilunium. Quod etiam Heresbachium 9
tibi profers auxiliarem, me non mouet e priſtina ſententia, ſed in ea potius confirmat ille talia ſcribens, o *Et ad ædificia ſuccidere arborem in Decemb. ac Ianuar. vtilius Luna decreſcente, a vigeſima ad trigeſimam maxime. Plinius aſſerit, arborem ad materiam optime ſterni in coitu Lunæ, quam diem alij interlunium, alij ſilentis Lunæ vocant.* Quod tandem ad alios ruſti- 10
carum rerum ſcriptores appellas, id ego plane tibi conſentio; qui nuper adduxi Plinium, M. Varronem, Columellam, Caſſianum, Portam, Diophanem, Barbarum, & alios mei placiti confirmatores: quibus adiungere Theophraſtum Ereſium non omittam de propoſito ſic enunciantem, p *Ligna cædi etiam poſt Lunæ occaſum præcipiunt, quaſi duriora, & computreſcere*

perui-

m *lib 1. c. 13*

n *lib. de Tẽp. in f. 1. tract.*

o *fol. 340.*

p *5. de hiſt. plan. cap. 1.*

peruicaciora forent. quem occaſum interpretari licet non tam deſcenſum Lunæ ſub horizontē, quam caſum eiuſdem de ſtatu luminoſo in tenebroſum: ſi enim cædendis lignis obeſt præſens Lunæ lumen; iam non in plenilunio, vel in primo decreſcentis Lunæ quadrāte, dum Luna lumine multo pollet etiamnum, & vel ſub horizōte ſplendēs turgida reddit humore apud nos omnia teſtata; ſed in nouilunio, vel in fine ſecundi quadrātis Lunæ decreſcentis cædenda ſunt ligna, ſi durare diu debent in ædificijs incolumia.

Hæc ſunt, inclyte vir, quæ mihi nunc occurrunt in propoſito dicenda: vtinam tibi ſatisfaciant. Interim ſcias velim, me ſummæ tuæ virtutis viuere ſtudioſiſſimum. Bene vale, decus æui noſtri, & litterariam Rempublicam præclaris ingenij tui partubus, vt facis, orna. Patauij. VII. Kal. April. MDCXXXI.

Perill. & Excell. D. Fortunio Liceto Philoſophorum noſtri aui Coryphæo in Academia Patauina Profeſſori Ioannes Beuerouicius, Senator, & Medicus Dordrechtanus S. & amorem nuntio. Epiſtola IV.

NEſcio quo fato, Fortuni celeberrime, quum ante XXI. annos, ipſe tot annorum adoleſcens, ad vberiorem ingenij cultum, & artis noſtræ lauream capeſſendam ad vos profectus, non ambiuerim & Licetianæ ſapientiæ cādidatus, nullo officij genere omiſſo in amicitiæ tuæ vel veſtibulum admitti. Hanc calamitatem nimis patiēter nuper tuli, dum totus eſſem in doctiſſimis lucubrationibus, quas ad ſempiternam nominis tui gloriam, decus ſeculi, omnium, quibus eruditio & ſapiētia cordi, vtilitatem, in lucem dediſti. Equidem licet fructus, quos ex ignotis capimus, nobis merito grati ſint; magis tamen me afficiunt, & veluti recreant eorum ſcripta, quos vel ipſe coram veneratus ſum, vel quorum amicitiæ me inſinuauit fauor literatorum. Quare quum bella eſſet occaſio, velim eam vel ſero arripere, & veluti poſtliminio Patauium recurrere. O iucundiſſimam olim ſedem! quum adhærerem lateri Fonſecæ, Cremonini, Vigontiæ, Sanctorij, Syluatici, Salæ, Andreghettij, aliorumque, quos fama immortalitati conſecrauit. Sed hæc fuere. Quod

Si me fata meis paterentur ducere vitam
Auſpicijs . . . . .

etiam nunc animus eſſet, velis remiſque citius Italiam petere, caput mundi Romã adire, ibiq. amplecti *a* τὸ φίλτατον κάρα Naudæum (dicam) noſtrum, ſed in primis Phœbi & Muſarum illud domiciliũ, in quo Licetus lucet, vere *b* σοφίας ἐρμοδί'ος ἀςήρ. Quandoquidem vero Dijs aliter viſum, & nos ſeparent *c* οὔρεά τε σκιόεντα, θάλασσά τε ἠχήεσσα. Viſum te, vir vndique doctiſſime, quod ſolum supereſt, per legatum adire; Magnum, inquies; immo vero maximũ Sed fortaſſe licebit ad Fortunium Licetum Medici legationem obire Legati Regij Medico. Celeberrimo eius nomini inſcribo tractatũ de calculo renũ, & veſicæ plane *d* παράδοξον: excuditur elegantiſſimis typis, ſed minutis. Quare facile ad te, ſi tanti, tranſmitti poterit. Interim vale, V. Excell. & me fauore tuo beare incipe. Dordrechti (quæ primaria Batauiæ, ſiue Hollandiæ vrbs) ipſis Kal. Sextil. M DC XXXVII.

a Amiciſſimum caput.
b Sapientiæ præclarum ſidus.
c Monteſq. umbroſi intermedij ſũt, mareque reſonans.
d Paradoxũ

Cl. V. Ioanni Beuerouicio Fortunius Licetus B. A. Reſp.

BONO meo fato (vir egregie) dum Patauinas Muſas coleres, adoleſcens inſalutato me, ſenioribus illis, quos mihi memoras, totus adhæſiſti; ſiquidem tuum, quod nũc promis, de meis operibus iudicium nullo prorſus amoris infectum fuco dignoſcitur: ſed vt purum & ingenuum eſt; ita mihi plurimi faciendum, quod a viro doctiſſimo prouenit adeo præclarum: poſthac incipiam ego meas aliquid eſſe putare lucubrationes, quæ a ſolerti Beuerouicio tanti æſtimantur, vt in ijs ipſe totus eſſe velit, & earũ autori neceſſitudinis vinculo copulari. Quod ad hanc rem Naudæo, viro magno, & mihi dudum amicitia iunctiſſimo, proxeneta nunc vti volueris, id quidem mira te prudentia pollere ſatis oſtendit in electione pararij ſummæ apud me autoritatis ac exiſtimationis; attamen eximia tua virtus te digniſſimum reddit, quem ſapientiæ cultores omnes ad vnum vltro ſibi deſiderẽt ac poſtulent amicum, & intimo cultu proſequantur: gaudeo plurimum eadem opera vobis vtriſque

morem

morem me poſſe gerere; Tibique mea omnia polliceor officia. Quod opus tuum de Calculo nuncupes eruditiſſimo viro, tribus nobis magnopere gratulor, qui meam dedicationem exemplo tuo confirmatam & approbatam video. Quod autem in eo ſcripto nouam ingenij tui fœturam parturias, eamque procul a communi ſenſu, non publici ſaporis, id arguit intellectus fecunditatem, ac philoſophandi libertatem; quibus non niſi magnas mentes præditas eſſe nouimus. Legam libentiſſime tua de propoſito cogitata: viciſſimque, ſi quam viam in veſtras oras expeditam inuenire potero, curabo diligenter vt ad Te duo mea Lilia, nunc a Typographo muſtea de prælo ſublata, transmittantur, non in ſolutum, ſed in amoris & obſeruātiæ teſſeram. Audiueris, opinor, a Naudæo noſtro, me ſedem Antenoream cum Felſinea commutaſſe, delectum, & accitum a Senatu Bononienſi ad eminentem, quam vocant Supraordinariam, Philoſophiæ Cathedrā, plurimos annos vacuam ab obitu magni Pendaſij; cui tandem ex diſcipulo ſucceſſor factus, aggredior nouas excolere Muſas: hic tua p̄ſtolor imperata, ſi quādo tibi libuerit vti opera mea. Vale, Vir inſignis, & pro certo habeas me tibi pari voluntatis propenſione reſpondere. Bononiæ. Prid. Nonas Octob. M DC XXXVII.

De Fatali vitæ termino, ſit ne mutabilis, an immutabilis, Iohannis Beuerouicij ad Fortunium Licetum Epiſtola V.

ITerum NAVi DEO *Æſculapio dicata* viam affecto ad Vlyſſem,

a Οὐ γάρ πω τέθνηκεν ἐπὶ χθονὶ δῖος Ὀδυσσεύς.

Immo iam ipſum te b ἄνδρα πολύμητιν videre & amplecti mihi videor. Quod niſi iam ante lucubrationes incredibilem in me ſapientiæ tuæ amorem excitaſſent, nunc certe tum literæ tuæ imaginem ingenij tui præferentes id præſtare poterant, tum graphicus eius pictor, *qui*, vt verbis tuis dicam, *numen ſalutis ex Epidauro Patauino Romam aduexit:* Huic ego Heroi debeo, quod Philoſophorum principis, quem hactenus abſens in æternis admiratus ſum ſcriptis, nunc manum, quæ ſcripſit,

a *Non enim adhuc mortuus eſt ſuper terram dius Vlyſſes.*

b *Viſū multiſcium.*

ſcripſit, in elegantiſſimis literis exoſculari mihi liceat. Etenim ne inani epiſtolio pro hac comitate gratias agerem, diu multumque cogitaui de dubio aliquo, quod e libris tuis mouerem. Sed comperi me nodum in ſcirpo quærere: omnia enim adeo dilucide, adeo ſolide, adeo neruoſe a te tractata, vt neque Momo ipſi quid reliquum ſit. Ne igitur me

Aurea contactum virga, verſumque venenis
Veruecem faceret Circe

tua, vt in ſacris fieri amat, tacitus porro venerabor, & vberiores ex ijs fructus haurire in dies pergam. Quod ad Eminentem Cathedram Patauio Bononiam vocatus, *Matrem Studiorum*, & ſapientiæ tuæ ſequutus ſis, tibi gratulor, vir ſapientiſſime, ſed magis Cathedræ, & ipſi Academiæ, quã eruditione tua eminentiſſima longe reddis eminentiorem. Ego item olim Patauium Bononia mutaui, non docendi cauſſa, ſed diſcendi. Qua & nunc poſtliminio adeundum eſſe cenſeo. Iampridem vel ex Naudæo noſtro intelligere potuiſti, eruditos complures accurate diſſeruiſſe, & rationibus conquiſitis in contrarias partes diſputaſſe de vitæ noſtræ termino: In quo opere ego, doctiorum expiſcando ſententias, interrogantis partibus acquieui, c ἐγνωκὼς τοῦτο, ὅτι ῥᾶον ἐρωτᾶν, ἢ ἀποκρίνεσθαι, præcipue in contorta ac difficili hac re, cuius veritatem in profundo Democriti puteo latere, non iniuria forte quis exiſtimauerit. Ita vt hic vſurpare liceat, quod Athenienſis hoſpes reſpondebat Cliniæ apud eumdem Platonẽ 1. de Legib. d τὸ μὲν ἀληθὲς διισχυρίζεσθαι ταῦτα οὕτως ἔχειν, πολλῶν ἀμφισβητούντων, θεοῦ. Video quippe rem multum ſæpe quæſitam, vix ita explicatam a viris clariſſimis, vt omnem eius difficultatem penitus infregerint. Quid tamen prohibet tendere ad eum ſcopum, quem tangere ex parte queas; & tantum in hiſce myſterijs comprehendere, quantum mens humana poteſt capere, & ingenio noſtro Diuina ſapientia conceſſit? Quemadmodum pictores (lubet recenti a lectione diuini Philoſophi e πλατωνίζειν) quum terram pingunt & montes, ſiluas, flumina, cælumque omne, quæve circa cælum conſiſtunt, & vagantur, ſatis eſſe putamus, ſi vel exiguam referre poſſint earum rerũ imaginem; at quum aggrediuntur corporum noſtrorum ſimilitudinẽ, tum propter

c *Quum hoc ſcias, facilius eſſe interrogare, quam reſpondere.*

d *Verum quidem, o hoſpes, affirmare, quod hæc ita ſe habeant, multis ambigentibus, ſolius Dei eſt.*

e *Platonizare.*

familiarem iſtorum cognitionem acutius errata perſentimus, & acres iudices exactoreſque ſumus aduerſus eos, qui non ſingula lineamenta coloreſque expreſſerint: haud aliter ſufficere arbitramur, ſi in diſputatione de cæleſtibus diuiniſque rebus quicquam, vel parum quod conueniens eſt, afferatur. Videbis eiuſmodi non pauca ibi ingenioſe, & erudite diſputata pro mutabili vitæ termino, plura pro fatali & immutabili. Sed quod vrbane arti Medicæ gratulatur Clariſs. Barlæus, nō minus anxie Medicorū opem implorant f οἱ Πιστεύσαντες ταῖς γυναιξὶν (agnoſcis verba Socratis in Gorgia) ὅτι τὴν εἱμαρμένην οὐδ' ἂν εἷς ἐκφύγοι, quam qui culpa noſtra mortem præcipitari poſſe profitentur. Vidi nuper præfiniti temporis propugnatores, ne in loco peſtifera lue infecto ante diem caderent, mature fuga ſibi conſuluiſſe; abeſſe ſcilicet voluere quam longiſſime a moribus & inſtituto Turcarum: perſuaſum his eſſe noſti, præſtitutum cuique exitium, exitijque modum, ita vt in bello morituros nullo pacto a peſte interimi poſſe arbitrentur; & ſolum eos peſte mori poſſe, quibus tale exitium a fato præfinitū eſt. Quod ipſius Solimanni exemplo demōſtrat Busbequius. Hanc cauſſam eſſe dicit Proſper Alpinus in Patauina Academia tuus olim Collega, qui apud Aegyptios aliquandiu degit, & de eorum Medicina ſcripſit, Cur peſtilentia, quoties Aegyptum inuadit, vix diſcedat, ſed populum continuo depaſcatur; nemo enim e loco peſtifero fugam arripit, neque cōſuetudinem peſte infectorum vitat. Vnde

f Credentes mulieribus, quod fatum nemo effugere poſſit.

Quo propior quiſque eſt, ſeruitque fidelius ægro,
In partem lethi citius venit . . . .

Supellex quoque & veſtes eorum nullo cōtagij metu quum ſubito diſtrahantur, ſubito etiam diſperguntur, vt cum g Hippocrate dicam h νοσηραὶ ἀποχρίσεις, & quam diutiſſime retinentur: ita vt in maximis vrbibus miſeranda mortalium ſtrage ſemper fere graſſetur peſtilentia.

g De nat. hom.
h Morboſi halitus.

. . . . nemo polluto queat
Animo mederi: morte ſanandum eſt malum.

Mihi certe nec ipſe Muphthi facile perſuaſerit, vt fato fretus, adeundis eiuſmodi ægris temere inſudarem: nam & ſuperiori anno, quum hic peſtis vigeret, animaduerti verum eſſe hoc eiuſdem Senecæ,

Cadunt

Cadunt medentes, morbus auxilium trahit.

Sed næ ego ineptus, qui tam ſecure tecum fabulor. At nugis hiſce ſeria tua elicere conor, & mutare *i* χάλκεα χρυσείων. Quod me fugit proſequor, & vt Socratis verbis e Phædro iterum loquar, *k* ἐάν γε τινὰ ἄλλον ἡγήσωμαι δυνατὸν εἰς ἕν ἐπὶ πολλὰ πεφυκότα ὁρᾶν, τοῦτον διώκω κατόπισθαι μετ' ἴχνιον ὥστε θεοῖο. Quare & te rogo, vir præſtantiſſime, vt de ardua hac quæſtione, & inter ea fortaſſis referenda, quæ (quod dicebat Iulius Scaliger de occultis qualitatibus) omnino laterent animos temperatos, illudunt curioſis, mihi plenius & planius in hac curioſitate *l* ὀξυπείνῳ ſatisfacere ne graueris. Non te latet quam ſupinos & ſalutis vitæque ſocordes reddat pleroſq. fatalis vitæ terminus. Mihi, quicquid ſit, placet, quod olim nauclerus Neptuno immaniter tempeſtatibus ſæuienti, *m* ὀρθὰν τὰν ναῦν. Tu, vir incomparabilis, interea dum ego *n* νόςον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος auide expecto,

Sis felix, & ſint candida fata tua.

Dordrechti. M DC XXXVIII.

i *Ferrea aureis.*

K *Si quem aliũ vnũ & multa pro rerum natura ꝓſpicere poſſe arbitror, eius ego veſtigia ſequor, veluti numinis cuiuſdam.*

l *Famelico, ac impatienti.*

m *Direxit nauem.*

n *Acceſſum Vlyſsis audax.*

Cl. Viro Ioanni Beuerouicio Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

DVM meam de mortalis vitæ fatali termino ſententiam eleganti flagitas epiſtola, vir eximie, tuum de me ſublime nimium iudicium oſtendis: vtinam in obſcuriſſima quæſtione, in qua ſemper cæcutire viſa ſunt ingenia præclariſſima, quidpiam luminis, vt tibi ſatis faciam, afferre valerem: conabor interim, nunc tua iuſſa capeſſens, vere deliteſcentem in altiſſimo ſapientiæ puteo veritatem hanc, Delio quopiam natatore prorſus egentem, educere dias in luminis oras. Qui quidem natator in primis mihi fuerit Ariſtoteles; ex quo tum fati, tum etiam fatalis vitę termini rationem, quæ Theologis noſtris non improbetur, habere me poſſe confido. Porro de propoſito tractat Ariſtoteles non ſolum, dum Theologum agens pleraq. Dei nomina & attributa recenſet in opere de Mundo ad Alexandrum inſcripto; quod genuinum Ariſtotelis eſſe, compen-

diumque Philoſophiæ Peripateticæ dici teſtatur in ſua Paræneſi ad Græcos vel ipſe priſcus Iuſtinus Martyr idem ac Philoſophus inſignis, qui Plutarcho paullo iunior, ſub Mar. Antonino Pio Imperatore floruit æuo Galeni, Ptolemæi, Apuleij, Agellij, Epicteti, & Alexandri Aphrodiſei: ſed etiam dum Phyſiologus vitarum noſtratium æuum, ac terminos conſiderat, atque determinat ex rei natura. Priore quidem loco de Deo peragens ex officio, celebrem hanc habet Ariſtoteles de Fato ſententiã,

a De mund. cap. 7. a *Eundemque Deum* Εἱμαρμένην, *ideſt fatum, dictum a ſerie rerum conſerta, inoffenſoque tenore procedente: quod alio nomine* Πεπρωμένην *ideo appellauerit, quod ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerum natura infinitum eſt*. Scilicet hoc ipſum aperte decernunt Anteſignani Theologorum noſtrorũ,

b De diu. nom. Areopagita ſtatuens, b *Deum vniuerſa principia, & ordines cauſſarum determinare; qui ſane vniuerſis indiuiduæ præſidens, veluti clauſtris quibuſdam diuerſa nectentibus, omnia definit, determinat, atque communit. Quod enim penitus inſtabile infinitumque eſt, & nulla ſede firmum, indefinitumque fingitur; neque ipſum quidem per ſe quicquam eſt, nec exiſtit in aliquo*.

c 5. de Ciuit. cap. 1. Auguſtinus item aſſerens, c Fatum eſſe Dei voluntatem, vel poteſtatem, quæ diſponit ordinem ac ſeriem ſecũdarum cauſſarum ad effectum determinatum producendum. Et D. Tho-

d 1. p. q. 23. mas inquiens, d Deum ordinare omnia in certum ac determinatum finem; cunctaq. prædeſtinare certo & infallibili ordine ſuæ prouidentiæ, ſine libertatis humanę detriméto: quippe

e Ibid. ar. 2. e prædeſtinatio eſt in ſola mente diuina, ſicut & præſcientia; nõ autem aliquid in prædeſtinatis, aut præſcitis: quicquid autem in Deo eſt, ipſe Deus eſt; in quo nulla prorſus compoſitio, ſed mira & ſumma ſimplicitas eſt. Hæc autem prædeſti-

f Ibid. ar. 6. natio, & præſcientia Dei, quæ falli f non poteſt, etſi non lędat arbitrij noſtri libertatem, ab Ariſtotele Fatum appellatur: quin

g 1. p. q. 116. a. 1. & a D. Thoma, cui g: *Inquantum omnia, quæ hic aguntur, diuinæ prouidentiæ ſubduntur, tamquam per eam ordinata, & quaſi*

h Ibid. a. 2. ad 1. *prælocuta, Fatum recte ponitur*. Et mox, h *Ordinatio cauſſarum ſecundarum habet rationem Fati, ſecundum quod dependet a Deo*. Poſteriore vero loco tractans Ariſtoteles de viuentium æuo, vitarumque termino, reſoluit fatales eorũdem corruptiones,

nes,

nes, quas deſtinatas corruptiones appellat, non ad ipſum vſque Deum, ſed ad cæleſtia corpora; quod phyſicus attollere ſe *i* nequeat ſupra materiam, corporalemq. naturã; ait enim, *k* *Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimẽſionem circuitibus ſibi expoſcunt recipere: circuitum appello diem, menſem, annum, & tempora, quæ ijs deſcribuntur; atque etiam Lunæ traiectiones: ſunt enim Lunæ circuitus complementa, & ſilentia, & interpoſitorum temporum ſectiones: ita enim coit cum Sole; menſis namque communis amborum circuitus eſt. Luna autem principium eſt propter Solis ſocietatem, receptumque lucis; ſit enim quaſi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectioneſque; calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt: terminum autem principij, tum finis qualitatum earum motus horum ſiderum obtinet: vt enim & mare, & omnem humorum naturam ſubſiſtere, mutariue pro flatuum motu, & quiete videmus; aerem vero & flatus pro Solis Lunæque circuitu affici; ſic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur, ſequi neceſſe eſt: nam vt rerum minus principalium circuitus ſequantur magis principalium rerum circuitum, ratio eſt; vitam enim quamdam, & ortum & interitum vel flatuum eſſe fateor. Conuerſionis vero eorum ſiderum alia fortaſſe principia ſunt* (nimirum Immateriales Intelligentiæ motrices, quas in propoſito referre non attinet ad Phyſicum, ſed ad Philoſophum diuinum) *Natura igitur ita ſibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret. Sed exquiſite id facere nequit, propter materiæ indefinitionem; & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones ſæpe impediant; atque ita cauſſa ſint earum, quæ veniunt præter naturam.* Ex quibus apparet, tum fatales ac deſtinatas viuentium corruptiones illas eſſe, quæ ſecundum naturæ curſum adueniunt viuentibus ex definita ſerie cauſſarum omnium præcedentium, & ex inoffenſo earumdem ordine, præſtituto a ſummo Deo cauſſis omnibus ſecundis, ad quemlibet effectum producẽdum inſtitutis: tum Fati nomine ſignificari a diuino quidem Philoſopho Deum præcipue, ſeu Diuinam voluntatem ac poteſtatem præfinientem ac diſponentem ordinem & ſeriem omnium cauſſarum ſecundarum ad

quoſlibet

i 2 *phy. tex.* 18. 19.

K 4. *de gen. an. c.* 10.

diumque Philoſophiæ Peripateticæ dici teſtatur in ſua Parænesi ad Græcos vel ipſe priſcus Iuſtinus Martyr idem ac Philoſophus inſignis, qui Plutarcho paullo iunior, ſub Mar. Antonino Pio Imperatore floruit æuo Galeni, Ptolemæi, Apuleij, Agellij, Epicteti, & Alexandri Aphrodiſei: ſed etiam dum Phyſiologus vitarum noſtratium æuum, ac terminos conſiderat, atque determinat ex rei natura. Priore quidem loco de Deo peragens ex officio, celebrem hanc habet Ariſtoteles de Fato ſententiã,
a De mund. cap. 7. a *Eundemque Deum* Εἱμαρμένην, *ideſt fatum, dictum a ſerie rerum conſerta, inoffenſoque tenore procedente: quod alio nomine* Πεπρωμένην *ideo appellauerũt, quod ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerum natura infinitum eſt.* Scilicet hoc ipſum aperte decernunt Anteſignani Theologorum noſtrorũ,
b De diu. nom. Areopagita ſtatuens, b *Deum vniuerſa principia, & ordines cauſſarum determinare; qui ſane vniuerſis indiuiduc præſidens, veluti clauſtris quibuſdam diuerſa nectentibus, omnia definit, determinat, atque communit. Quod enim penitus inſtabile infinitumque eſt, & nulla ſede firmum, indefinitumque fingitur; neque ipſum quidem per ſe quicquam eſt, nec exiſtit in aliquo.*
c 5. de Ciuit. cap. 1. Auguſtinus item aſſerens, *c* Fatum eſſe Dei voluntatem, vel poteſtatem, quæ diſponit ordinem ac ſeriem ſecũdarum cauſſarum ad effectum determinatum producendum. Et D. Tho-
d 1. p. q. 23. mas inquiens, *d* Deum ordinare omnia in certum ac determinatum finem; cunctaq. prædeſtinare certo & infallibili ordine ſuæ prouidentiæ, ſine libertatis humanę detrimẽto: quippe
e Ibid. ar. 2. e prædeſtinatio eſt in ſola mente diuina, ſicut & præſcientia; nõ autem aliquid in prædeſtinatis, aut præſcitis: quicquid autem in Deo eſt, ipſe Deus eſt; in quo nulla prorſus compoſitio, ſed mira & ſumma ſimplicitas eſt. Hæc autem prædeſti-
f Ibid. ar. 6. natio, & præſcientia Dei, quæ falli *f* non poteſt, etſi non lędat arbitrij noſtri libertatem, ab Ariſtotele Fatum appellatur: quin
g 1. p. q. 116. a. 1. & a D. Thoma, cui g: *Inquantum omnia, quæ hic aguntur, diuinæ prouidentiæ ſubduntur, tamquam per eam ordinata, & quaſi
h Ibid. a. 2. ad 1. prælocuta, Fatum recte ponitur.* Et mox, h *Ordinatio cauſſarum ſecundarum habet rationem Fati, ſecundum quod dependet a Deo.* Poſteriore vero loco tractans Ariſtoteles de viuentium æuo, vitarumque termino, reſoluit fatales eorũdem corruptio-

nes,

nes, quas deſtinatas corruptiones appellat, non ad ipſum vſque Deum, ſed ad cæleſtia corpora; quod phyſicus attollere ſe i nequeat ſupra materiam, corporalemq; naturã; ait enim, i 2 *phy. tex.* 18. 19.
k *Ratione autem optima tempora omnium & grauiditatum, & generationum, & vitarum dimẽſionem circuitibus ſibi expoſcunt recipere: circuitum appello diem, menſem, annum, & tempora, quæ ijs deſcribuntur; atque etiam Lunæ traiectiones: ſunt enim Lunæ circuitus complementa, & ſilentia, & interpoſitorum temporum ſectiones: ita enim coit cum Sole; menſis namque communis amborum circuitus eſt. Luna autem principium eſt propter Solis ſocietatem, receptumque lucis; fit enim quaſi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes, perfectionesque; calores enim & refrigerationes cum moderatione quadam generationes, ſine moderatione corruptiones efficiunt: terminum autem principij, tum finis qualitatum earum motus horum ſiderum obtinet: vt enim & mare, & omnem humorum naturam ſubſiſtere, mutariue pro flatuum motu, & quiete videmus; aerem vero & flatus pro Solis Lunæque circuitu affici; ſic ea, quæ ex ijs, aut in ijs oriuntur, ſequi neceſſe eſt: nam vt rerum minus principalium circuitus ſequantur magis principalium rerum circuitum, ratio eſt; vitam enim quamdam, & ortum & interitum vel flatuum eſſe fateor. Conuerſionis vero eorum ſiderum alia fortaſſe principia ſunt* (nimirum Immateriales Intelligentiæ motrices, quas in propoſito referre non attinet ad Phyſicum, ſed ad Philoſophum diuinum) *Natura igitur ita ſibi vult, vt eorum numeris generationes & obitus numeret. Sed exquiſite id facere nequit, propter materiæ indefinitionem; & quod multa principia incidunt, quæ generationes deſtinatas ſecundum naturam, & corruptiones ſæpe impediant; atque ita cauſſa ſint earum, quæ veniunt præter naturam.* Ex quibus apparet, tum fatales ac deſtinatas viuentium corruptiones illas eſſe, quæ ſecundum naturæ curſum adueniunt viuẽtibus ex definita ſerie cauſſarum omnium præcedentium, & ex inoffenſo earumdem ordine, præſtituto a ſummo Deo cauſſis omnibus ſecundis, ad quemlibet effectum producẽdum inſtitutis: tum Fati nomine ſignificari a diuino quidem Philoſopho Deum præcipue, ſeu Diuinam voluntatem ac poteſtatem præfinientem ac diſponentem ordinem & ſeriem omnium cauſſarum ſecundarum ad

K 4. *de gen. an. c.* 10.

quoſlibet

quoſlibet effectus determinate producendos; nec non etiam ipſummet ordinem & ſeriem cauſſarum omnium inoffenſo tenore procedentiũ ad ſuos effectus procreandos; a Phyſiologo vero ſidera ſpeciatim, & corpora cæleſtia; quæ cuique naſcentium corpori tribuunt in ortu ſuo tale temperamentum, quo nata ſunt vitam agere vſque ad certum tempus, vbi ſecundum naturã pro viribus gubernare ſe ſatagant, & conſeruare quamdiu poſſunt a contrarijs illæſa. Quam ſententiam etiam alibi

l 2. *de gen. t.57.* profitetur Ariſtoteles aſſerens primo, *l* cælum ſuis motibus admetiri ſpatia vitæ omnibus viuentibus ſub Luna: deinde,

m 1. *meteor. cap.2.* *m* Neceſſarium fuiſſe mundum inferiorem continuum quodammodo extare ſupernis lationibus, vt omnis huius mundi

n 1. *cæl. te. 100.* virtus inde gubernetur: deinceps, *n* Ab æuo cæleſti, ſiue a motu cęli contineri vitæ vniuſcuiuſque tempus, vnde & alijs pendet his quidem exactius, his autẽ obſcurius eſſe, & viuere. Conſtat item e traditis, Fatum, prout Deum ſignat ac diuinam voluntatem poteſtatemve, quid eſſe prorſus immutabile, nec impediri poſſe; verum prout indicat ordinem & ſeriem cauſſarum ſecundarum, impediri & variari poſſe: quum enim hę ſecundæ cauſſæ duas in claſſes referantur, quæ ſunt cæleſtia, & ſubcæleſtia corpora; ſi de cæleſtibus agamus, ea quidem naturaliter immutabilia ſunt, nec impediri poſsũt ex Ariſtotelis decreto; ſed tamen a ſummo Deo ſupra naturæ vires agente mutari queunt, & impediri: ſic olim Sol, & Luna ſuum naturalem curſum intermiſerunt, & ad multas horas quieuerunt,

o *Ioſ. cap. 10.* obediente Domino voci *o* Ioſue, præcipientis hiſce ſideribus ne mouerentur, donec victoriam de ſuis hoſtibus reportaret:

p 4. *Reg. c. 20. Iſai. c. 38.* quin & Sol ipſe *p* retroceſſit decem gradus, vmbramque retrorſum reduxit per decẽ lineas in horologio Achazij Regis; & adiecti ſunt a Deo quindecim anni vitæ naturali Regis Ezechiæ. Sin autem ſermo ſit de cauſſis ſubcæleſtibus, hæ facile variari, & impediri poſſunt ne promoueant effectus, ad quos deſtinatæ præſtitutæq. fuerunt: variantur autem, & impediun-

q 4. *de gen. an. cap. 10.* tur, vt ait *q* Ariſtoteles, duplici ratione, tum ob materiæ indefinitionem, ac ineptitudinem; actus enim actiuorum non

r 2. *de an. t. 24 & 26.* fiunt niſi in patiente *r* diſpoſito; ſiquidem omne, quod recipitur, per modum recipientis recipitur: quare Sol idem iiſdem radijs agens in diuerſam materiam contrarios producit effe-

ctus,

Digitized by Google

ctus, oleum, & linteum albeſaciens, cutem hominis † nigrefaciens; lutum indurans, niuem glaciem ceramque colliquans; & mortui bouis partes alias corrumpens ac putredine reſoluēs in elementa, concoquens alias & animans viuificans, indeque generās vermes & apiculas: tum ob alia multa principia forinſecus occurſantia, quæ cauſſas cōſeruatrices impediunt; atque res ipſas, vlterius ſecundum naturam conſeruari natas aptaſque, deſtruunt. Conſtat præterea, mortem, quæ ſine violentia ſenibus aduenit ab internis principijs, & naturalis appellatur, eſſe fatalem ac deſtinatam; quæ vero iuuenibus obuenit ab externa violentia, & ab eorum malo regimine, præternaturalem eſſe, non autem fatalem; quod & *s* Virgilius ipſe notauit in morte Didonis, quæ

. . . . nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem, ſubitoque accenſa furore.

& in eamdem ſententiam Cicero de ſe ſcriptū reliquit in prima Antonianarū, vt obſeruat etiā *t* Agellius, *Si quid mihi humanitus accidiſſet; multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum.* Quam doctrinam ſecutus eſt non ſolum *u* Rhodiginus in antiquis ſuis lectionibus; at etiam adhibuit Ariſtoteles ipſi generationi, quod optime ſciret, contrariorum eamdem eſſe *x* diſciplinam; dum ait, *y At ſi eſt quod violentia fit, præter naturam; & corruptio corruptioni contraria erit, ea, quæ eſt violenta, vt quæ præter naturam eſt, ei, quæ ſecundum naturam. Sunt igitur & generationes quædā violentæ, & non Fato determinatæ, quibus contrariæ ſunt ea, quæ ſecundum naturam.* Sic igitur fatalis vitæ terminus eſt mors naturalis in vltimo ſenio, cui opponitur mors violenta, quæ fatalis non eſt. Conſtatque proinde fatales euentus, ac deſtinatos vitæ terminos, eſſe partim mutabiles ac in noſtra poteſtate ſitos, & partim a nobis immutabiles; quia ſunt naturaliter immutabiles quantum ad eorum prorogationem in vlteriorem temporis menſuram; nemo ſiquidem adijcere poteſt ad vitæ ſuæ durationem naturalem, originali temperaturæ conuenientem, vel dieculam vnam: ſunt autem naturaliter mutabiles quantum ad eorum conſeruationem, & accelerationem; quia poſſumus per prouidentiam impedimenta & noxia quæque vitantes attingere præfinitum nobis a natura poſtremum conue-

† 38. ſect. probl. 8. 10.
s 4. *Aeneid.*
t 13. *noct. att. cap.* 1.
u *lib.* 21. *c.* 4.
x 1. *top. c* 8. 30. *ſect. probl.* 7 & 11.
y 5. *phy. t.* 57

nientis

nientis vitæ terminum; & e contra per imprudentiam, & libidinibus indulgétes vltro ad nos cauſſas corruptrices attrahere. Quam theoriam aliqua ex parte profeſſus eſt apud Ariſtotelem M. Albertus inquiens, z *Ideo omne tempus, quod eſt in re corporali, & omnis vita, quæ viuit habet numerum in circulo cæleſti; & in ipſo circulo cæleſti terminatur; quia ex ipſo circulo conſideratur vſque ad quantum ſe extendit virtus generantis, ſecundum quod affert eſſe rei, antequam afferat rei perfectã corruptionem; ſicut patet ex ſcientia aſtronomica: omnium enim inferiorum eſt ordo cauſſarum pendens ex ſuperiori ordine; & omne tempus, quod eſt ex arte in tempore duratiuo, & omnis vita periodo menſuratur: eſt autem periodus modulatio circuli, dicta a* περὶ, *quod eſt, circum, &* ὀδὸς, *quod eſt, modulatio* (condonandum eſt Magno viro, ſi græce non ita peritus haudquaquam viderit apud Lexicographos, περίοδος, circuitus, circuitio, orbis ambitus; & ᾠδὴ, cantus, ab ἀοιδὴ, α & ο mutatis in ω cum ιοτα ſubſcripto) *ſed tamen non omnia menſurantur eadem periodo; ſed hæc habent maiorem, hæc habent minorem: horum enim periodus eſt, horum autem minor, horum autem maior, ſecundum quod magis ſuſcipientia, & retinentia virtutes ſibi ex circulo cæleſti defluxas* (& paullo poſt, pleriſq. relatis de ſiderum actione in rem quæ generatur, addit) a *Et erit ætas hominis octoginta annj: poteſt tamen hoc impediri per accidens, per cibum malum, vel mortem violentam, vel alio quocumque modo; & hoc vocat Ariſtoteles materiæ inæqualitatẽ; quia ſcilicet per accidentia multa aliter diſponitur, quã moueantur a circulo; & ideo diuerſimode moriuntur homines, citius, & tardius quam per naturam mortales ſint; & ſimiliter etiam alia animalia: hoc etiam modo ætates ſunt omnium rerum; quia planetæ in circulo periodali poſiti, quando ſunt fortiores, dant plures annos vitæ; & quando ſunt debiliores, dant pauciores: & hoc etiam modo innoteſcit, quoniam qui ſciret vires ſignorum & ſtellarum in illis poſitarum in circulo periodali, dum naſcitur res aliqua; ipſe, quantum eſt de influentia cæli; pronoſticari poſſet, de tota vita rei generatæ: ſed tamen hoc neceſſitatem non poneret; quia poßet impediri per accidens, vt dictum eſt.* Non tamen accipio ab Alberto, fieri poſſe naturali virtute vlla vt homines

z 1. de gen. tr. 4. cap. 4.

a cap. 5.

tardius

tardius moriantur, quam per naturam mortales ſint; quia ſupra naturę diſpoſitionem ac vires nullum agens naturale poteſt operari; nec humanæ temperaturæ, vitæque ipſi dare longiorem durationem, quam ea ſit, ad quam ipſa vita, temperieſque peculiaris naturalem habet inclinationem, propenſionē, atque potentiam; ſed hoc vnius Dei munus eſt ſupra naturam agentis; vt obſeruatum ſuperius eſt in Ezechia. Verum enim vero qui vitam noſtram vltra terminos naturæ cuiuſque preſcriptos producere, protrahereque non valemus; iidem poſſumus, tum noxia quæque prudenter euitando, & vtilia quæque noſtros in vſus oportune conuertendo, perduci ad vltimum vitæ naturalis terminum fatalem: tum e contra, ſine prudentia viuentes mortem accelerare, vitamque reddere breuiorem, quam nobis a natura deſtinata fuerit: quod vel ex Ariſtotele Plutarchus in Homeri vita fuſe confirmat, hæc inquiens de Homero, *Ceterum opinionem de Fato in illis oſtendit præcipue,*

Fata ſua effugiet non quiſquam, ſiue malus ſit,
Siue bonus, primum quum lucem aſpexerit almam.

At inter alia, in quibus Fati potentiam confirmat, ipſe quoque arbitratur (ſicut & probatiſſimi Philoſophorum, qui poſt eum viguerunt, Plato, Ariſtoteles, ac Theophraſtus) quod non omnia Fato eueniant, ſed aliquid etiam in hominibus ſit ſitum, vt quibus libera ſit voluntas; huius autē neceſſitatem quodam modo coniungi, dum aliquis hoc quod vult acto, in id quod non vult incidit: atque hæc præcipue in multis declarauit, vt in vtriuſque poematis exordio: in Iliade dicens, Achillis iram Graijs exitij cauſſam fuiſſe, ac tum Iouis voluntatem completam eſſe: in Odyſſea vero, Vlyſſis ſocios propter temeritatem in perniciem incidiſſe; ad hunc enim modum prædictum erat,

Has modo ſi vaccas dimiſeris ire quiete,
In patriam reditum, quamuis iactatus, habebis:
Lædere ſin tentes, me prædicente, peribis.

Sic non violare, in ipſis ſitum: perire autem quum violaſſent, ex Fato conſequens erat. Poſſumus autem & alio modo fortuita euitare per prouidentiam; id quod in illo monſtrat,

Hic Laertiades præter Fatum periiſſet,
Cæſia ni Pallas ſuggeſſiſſet, vtraque
Palma corriperet ſaxum cupide, idque teneret,

Donec ſpumoſum tumidumque quieſceret æquor.
Hic enim e contrario periclitans, quantum ad Fortunã interierat, per prudentiam autem ſeruatus eſt. Quamobrem Homero Fatum ineuitabile dicitur, quia nemo poteſt vltra præſcriptum ſibi diem a natura vitam ducere: ſed tamen citra talem terminum quiſque valet per imprudentiam mori, non arripiens vtilia quæque, nec euitans quæcumque noxia totis ingenij ſui viribus. Sic ergo de ſummorum ſapientiæ procerum ſententia, Fatum, quatenus a Deo eſt, immutabile prorſus eſt: ſed quatenus in ſerie ſecundarum cauſſarum ſitum eſt, duplici ratione mutabile eſt; cum ob materiæ indiſpoſitionem, fatalibus euentibus obſiſtentem, eoſque fieri prohibentem: tum ob contraria pleraq. contingentia, ſecundarum cauſſarum ordinem turbare, actionemque penitus impedire valentia. Cuius quidem veritatis rationem comprobatricem ex rei natura deducere fas eſt; etenim quæcumq. fiunt, ſiue Fato, ſiue ſecus ea fieri contingat, omnia † ſingularia, eademque materialia ſunt; & ab efficiente quopiam efficiuntur ex certa materia ad ipſorũ formam excipiendam diſpoſita: vt autem efficiens cauſſa, cuiusvis effectus generationem promouens, non vnica eſt, ſed varia, ſemper & multiplex; nam agens proximum gubernari debet a remoto cum ſubcæleſti, tum etiam cæleſti; & hoc non ſolum corporeo, ſed etiam incorporeo; quia Deus ille ſummus omnia regens, omnia condens, vtitur miniſterio ſecundarum Intelligentiarum, & corporum cæleſtium ad ſubcæleſtes cauſſas & virtutes gubernandas: ita & effectricibus hiſce cauſſis noſtratibus pleraq. poſſunt occurrere contraria, quibus ipſarum actiones impediantur; & materia non ſemper adeſt idonea & diſpoſita ad ſuſcipiendam formam rei generandæ, ab agente cauſſa intentam: quo factum eſt, vt Fato in primis cauſſis immutabili permanente, fatales tamen effectus non oriantur ex neceſſitate, propter mutabilitatem cauſſarum inferiorum, & materiæ, ad eorum productionem neceſſariarum. Nec inconueniens, aut infrequens eſt, a cauſſa remota immutabili mutabiles effectus prouenire; quando præter illam, ad hos producendos concurrere debent aliæ cauſſæ mutabiles, vt in propoſito; nam fatalis euentus dicitur eſſe, qui fit a Deo, ſeriem cauſſarum ſecundarum ordinante ad certum effectum producendũ

† 1. de gen. t. 40. 7. meta. t. 22. 53.

ex determinata materia; quum & ipſa materia poſſit indeterminationem habere; & ſecundæ cauſſæ valeant a multis ſibi contrarijs impediri: quare Deus omnium prima cauſſa, licet ſit immutabilis, plures tamen effectus parit mutabiles, quos efficit vtens miniſterio ſecundarum cauſſarum mutabilium; effectus etenim cauſſarum proximarum notas & imperfectiones ſubterfugere nequeunt: ſic in tertia mentis operatione concluſio, quæ fructus eſt & effectus pręmiſſarum, ſequitur earum deteriorem; quia maiori exiſtente vniuerſali & affirmatiua, ſi minor fuerit particularis aut negatiua, concluſio minoris conditionem habebit, eritque ſimiliter particularis, aut negatiua. Neque vero nos turbare debet effatum illud celebre *b* Senecę, *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt*: quia trahere non eſt neceſſario perducere ad intentum finem; ſed ſolum violentiam aliquam inferre repugnanti; cui quidem violentiæ adeo repugnari poteſt, vt trahentis conatus irritus reddatur; ita non raro dum a ſatellitibus reus violente trahitur ad carcerē, repugnans hic effugit ex illorum manibus; ita certe legimus apud Planudem, *Poſtridie autem Xanthus iuſſit Aeſopo in balneas ire, & ſcrutari an multa adeſſet turba; velle enim lauari. Abeunti autem Prætor occurrens, & Xanthi ipſum eſſe cognoſcens, interrogauit quonam iret; quod quum is ſe negaſſet ſcire, exiſtimans Prætor interrogationem ſuam floccipendi, in carcerem ipſum abduci iubet: quum igitur abduceretur, Aeſopus, clamauit, Vides, o Prætor, quemadmodum recte reſponderim; quæ enim non expectaui, & occurri tibi, & in carcerem iam trahor: tum Prætor ſtupefactus reſponſi promptitudine, ſiuit abire*: ita ſæpe piſcis, dum vi trahitur hamo prehenſus a piſcatore, reluctatur, & lino diſrupto ſeu dentibus, ſeu pondere ſui corporis, fugiens recipit ſe ſe in priſtinam libertatem; trahere namque non eſt ad præſtitutum terminum attrahere, pertrahereve neceſſario, ſed ſolum violente mouere.

b *De prouiden. cap. 5.*

Quæ vero dicta ſunt de vitæ termino fatali, conſimiliter dicenda ſunt de fatali modo termini vitalis; nam vtriuſque ratio eſt eadem in propoſito. Quare vitæ terminus, terminiq. modus, cuique quidem a Deo præſtitutus eſt; atque ita fatalis: attamen ob inferiorum cauſſarum, ad eius vtriuſq. productionem neceſſario concurrentium, mutabilitatem variabilis eſt:

ſic a ſummo Deo Sol cōſtitutus eſt ac præfinitus ad illuminãda corpora quæque; nihilominus in eius radijs facula poſita non illuſtratur, at potius obſcuratur exigua lux; quę namque ſplendida coruſcat in tenebris, eadem fatiſcens extinguitur in lumine maiori: quin etiam de opaco corpore Sol non ſplendorē, ſed vmbram, ac tantumnon tenebras excutere ſolet, aſtraque minora prope ſe ſita nobis obtenebrare, viſuique penitus occulere; adeo ſecundarum cauſſarum notas & imperfectiones habet effectus ab ijs vtcũq. proueniens procul a prima cauſſa: ſic etiam Deus omnes homines ad beatitudinem deſtinauit, omnes ad æternam felicitatem creauit; qui *e* vult omnes homines ſaluos fieri, *d* nemine mque perire; præſtituta lege, cuius obſeruatu quilibet homo conſequi valeat huiuſcemodi finem: ſed quia libero ſunt arbitrio, poſſunt homines ad nutum a præſtituto ſibi fine deflectere, præſcriptamque ſibi legem nō obſeruare: nec enim Deus contingentium naturam extinguere vult violentia neceſſitatis.

e 1. Timot. 2.
d 1. Petr. 3.

Hæc ſunt, egregie Vir, quæ mihi nunc in tenebricoſa quæſtione de fatali vitæ termino, deque fatali eiuſdem termini modo, mutabilis ne ſit, an immutabilis, dicenda videntur: Ea tu velim æqui bonique conſulas; & me tui ſtudioſiſſimum amare ne ceſſes. Vale. Dabam Bononiæ V. Non. Maij. MDCXXXVIII.

Aloyſius Quirinus Fortunio Liceto

De Duplici Intellectu in eodem homine, quo vnum animal facit multa animalia. Epiſtola VI.

PErgratum mihi fuerit, Vir Excellentiſs. ſi me certiorem feceris, cuius editionis habeas Theophraſtum *De phantaſia, & intellectu*, cum commentario Priſciani Lydi: & an opineris aliquod mendum eſſe in illis *a* Dandini verbis, dum Theophraſti ſententiam proponit de Intellectu Agente, & ſecundam eius rationem affert, *Profectò vnum animal multa faciet animalia*. Siquidem haud mihi videntur, ea verba conferre quicquam ad Theophraſti ſententiam, in cuius gratiam proponuntur a Dandino. Qui meus præceptor olim amantiſſimus volumen

a 3. de an. pag. 1946.

ſuum

Digitized by Google

ſuum pluribus erroribus Typographicis deturpatum eſſe mihi confeſſus eſt, multaſq. correctiones eorum ad me tranſmiſit, dum viueret; in quibus tamen iſtum locum non video notatum; in quo ſecũdum Theophraſti rationem adducit inquiens, *Deinde quoniam per geminam hanc duplicis intellectus, agentis, & patiẽtis eſſentiam in nobis cogitet geminas virtutes & actiones, ſi ea omnino diſiuncta ſint, profecto vnum animal multa faciet animalia &c.* Quæſo videas, & ad me perſcribas, num ea verba ſint in recta conſecutione. Vale, & me ama, Venetijs ix. Kal. Ianuar. MDCXXXVI.

Cl. doctiſſimoq. Viro Aloyſio Quirino a Secr. Ser. Reip. Ven.

Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

NIhil mihi gratius eſt, Vir Cl. quam tibi gratificari, deque claris Autoribus benemereri; inter quos inclytum Dandinum valde ſuſpicio: cuius quidem ingentis molis pariter ac doctrinæ volumen, vt vt culpa Typographi multis in partibus deformatum, in loco tamen a te propoſito nullum arbitror errorem habere; ſed rationem optimam cõtinere, quæ placitum Theophraſti bona deducat illatione; nam in meo codice legitur ita, *Deinde quoniam qui geminam hanc duplicis intellectus agentis & patientis eſſentiam in nobis cogitet, geminaſque virtutes, & actiones; ſi ea omnino diſiuncta ſint, profecto vnum animal multa faciet animalia.* Nimirum hæc demonſtratio eſt ducens ad impoſſibile illum, qui ponit in homine duos intellectus eſſentia, virtute, functioneque gemina diſtinctos; quia quilibet intellectus in corpore non poteſt eſſe niſi vt *b* forma in materia & ſubiecto, vt actus & perfectio in ſuo perfectibili: ſed intellectus formans & actuans materiam ſibi ſubiectam, ex ea vnum animal conſtituit: quare ſi geminus intellectus, actione, virtute, ac eſſentia diſtinctus inueniretur in vnoquoque homine; profecto ratione corporis eſſet homo ille vnicum animal; nam vnum numero definiuntur *c* Ariſtoteli, quorum eſt vna materia numero; verum ratione duplicis intellectus, eſſet

b *1. de an. t. 82. 92.*
2. de an. t. 4. 24.
c *5. meta. t. 12.*

duplex

duplex animal, adeoque multa animalia; nam actus eſt, qui d ſeparat & diſtinguit. Verbaque Dandini clariſſima fient, ſi tranſpoſitione dictiunculæ, nec non adiectione vocis, quæ ſubintelligitur ſæpiſſime, conſtruantur ita, *Deinde, quoniam qui cogitet geminam hanc duplicis intellectus, agentis, & patientis eſſentiam, geminaſque virtutes, & actiones in nobis* eſſe; *is faciet vnum animal* eſſe *multa animalia*, nempe duo; vnum intellectu agente conſtitutum, alterum poſſibili, tanquam Geryonem quemdam formalem, ac omnino monſtrum ſecũdum animam, vt aliquando naſcitur monſtrum ſecundum corpus, habens in vnico buſto duo capita. Sic, ait ex Theophraſto Dandinus, qui dicit in vnoquoque mortali duos ineſſe intellectus, agentem, & poſſibilem, inter ſe tum eſſentia, tum virtute, tum actione diſtinctos; ille neceſſario faciet vnumquemque hominem, qui eſt vnum animal, eſſe ſimul multa animalia; quod inconueniens eſt, nedum impoſſibile.

d 7 metam. t. 49.

Sic igitur arbitror, Cl. Vir, Dandinum eo loci debere interpretari: quam interpretationem lubens prudẽtiſſimæ tuæ cenſuræ ſubijcio. Theophraſti quidem Opus de ſenſu, phantaſia, & intellectu habeo cum Commentarijs nõ ſolum Priſciani Lydi, ſed etiam Marſilij Ficini, cuſum in Officina Henricpetrina, Anno Domini M D LXXVI. menſe Martio, locatum in tomo ſecundo operum Marſilij Ficini, ad pag. 1801. & ſequentibus. Si quid eſt aliud, in quo tibi valeam inſeruire, doctiſſime Quirine, vtere iure tuo, quod volo te ſupremum in me habere. Vale, meque tui ſtudioſiſſimum ama. Dabam Patauij. VII. Kal. Ianuar. M DC XXXVI.

De Lapide in tenebris emicante.

Doctiſs. ac Eruditiſs. Viro Fortunio Liceto Leo Allatius. Epiſtola VII.

OPVS de Lucifero Lapide, quod diu iam meditaris, V. Cl. erit omnino ingenioſum & ſolers, & a quo ſibi doctrinam optimi quique expetiuerint: vno verbo erit Opus Liceti; viri nempe literis præſtantis, & a quo non nunc primum Reſp.

literariæ

literaria operum egregiorum exẽpla deſumpſit, ob ſtudia bene poſita; atque opportunis bonis, depulſis ignorantiæ tenebris, auctum humanum ingenium, ſacrum, hercule, immortalitati nomen. Macte vigilijs hiſce apprime generi humano proficuis, nec apud viuentes modo, verum & poſteros adeo aſſidua, & continuata beneficia tua colloca, & curioſius cuncta conquirentium animos exple. Plures Thuani editiones ad manus fuere, ſemper tamen in omnibus, quod exceptores iſti ex Thuani hiſtorijs deſumptum eſſe fatentur, nullum apparuit. Hinc mirari ſubit, vndenam fraus illa irrepſerit; ni velimus dicere, non inſueto exceptorum vitio, in ſuarum lucubrationum ſchedis ex varijs ab ſe Auctoribus decerpta confundentes, quod duobus adſcribendum fuerat, vni tantum, & vt rem admirabiliorem facerent, Thuano dediſſe: idque primo exceptori contigiſſe: ſecundum ex primo, vt vt erat, e riuulis, quum non recurriſſet ad fontem, in propria ſcripta corriuaſſe. male ſane conſultum omnibus, dum ipſi laborem res perquirendi in ſcriptorum monumentis ſubterfugientes, ſcriptoribus, quod nec ſomniarunt quidem, appingimus, & malitioſa legentibus fraude imponimus. Ad quid enim, quem ipſi ſcriptorem non vidimus, laudamus, niſi, vt falſo variæ ac multiplicis lectionis multorum Auctorum titulo palmarium ſupra alios petamus? ſed ipſi ſuo iudicio miſeri quaſi ſorices hodie pereunt. Quidquid tamen ſit, hæc omnia recta Liceti noſtri amuſſis eo adducet, vt nulla diuinatione opus ſit. Non erit interim tibi moleſtum, quæ ipſe aliquando, neque extra propoſitam materiam experimento meo didici, percurrere. Multos ab hinc annos Iulius Pomarus adoleſcens nec dum annum decimum quintum excedens, forma indoleque egregia, & pro ea ætate ſtudijs diſciplinarum, & Philoſophiæ præcipue incenſus, cui tunc temporis vna cum Carolo Baldaſſino, Fabritio Pion Mattheo, Rodulpho Buccalino Traiani filio, alijſque nonnullis cum pietate & fide honeſtiſſimis, atque ſtudioſiſſimis, me ductore, inter domeſticos parietes operam nauabat. Is aliquando a prandio, quum vna eſſemus omnes, lætus ac præ gaudio geſtiens lapidem e capſula erutum & chartis euolutum oſtendit, quem quum paululum in aere detinuiſſet, in thalamo foribus feneſtriſq. occluſis, proindeque circumfuſis tenebris obſcuriſſimo, iterum omnibus

nibus eundem oſtendit, non, vt antea erat, craſſum nigricantemque; ſed effuſa luce ex proprio corpore candicantem, atq; conſpicuum. omnes in eam iuere ſententiam; alium nobis in Sole, alium in lateribus oſtendiſſe. Negat adoleſcens, & iuratus affirmat eunidem eſſe; rurſuſque in aere poſitum, denuo eodem cum primo ſplendore luminoſum proponit. Fraudem omnes ſuſpicantur, & ludum; admiratione tamen nõ carebat, quomodo lapis in ea obſcuritate ſplendeſceret. Vnus ex illis impune derideri nõ paſſus, ex improuiſo ereptum de manibus lapidem in patulo atque aperto loco deportatum luſtrat ipſe; aliiſque luſtrandum porrigit; deinceps in tenebris oblatum eodem ac prius modo ſplendentẽ omnes vna vidimus, & circumſpicientes vnde nam lumen illud proueniret, dum alia atque alia agitarentur, lumen defecit; nec aliud, quam maſſam lapidis contrectabamus. Hinc creſcit admiratio, & ad arcana Naturæ exploranda conuertimus animum. Tunc Pomarus e genio lapidis id eſſe confirmat, lumen, quod in aere luminoſo conceperat, in latebris reddere; progreſſu tamen temporis lumine faciſcente ſplẽdorem deperdere, nec niſi de nouo lumine in aere fecundaretur, lumen non gignere: quod ita eſſe omnes experimento quiſque ſuo didicit. Et Pomarus, eſt hoc quoque lapidi familiare, dicit, eadem ratione, qua & pumex pilos abradere: & in genas admoto lanuginem, quæ tunc illum recens veſtierat, eraſit; idque etiam in pilis alij experti ſunt. Lapis erat non ante, aut vllo alio opere confectus, ſed ita a natura productus; mole nuci paruæ ſimilis, longior quam rotundior, non continua læuitate inoffenſus, ſed eminentibus quandoque regulis aſper, ac horridus, colore cinerem referebat, niſi vbi color furuus in nigrum inclinans per lineas corpus obſcurabat; videbanturque in eodem quaſi præmicantes ac ſcintillantes quædam vt argyritidis argenteæ plagulæ. Et hęc quidem de Phengice illo lapide in memoria habui. Recolenda ea quoque ſunt, quando iam in ſermonem iſtum oratio delapſa eſt, quæ ipſe mihi teſtis oculatus ante ſex annos nimis metuens male, exhibuit. Nocte media, hora prætereunte excitatus a ſomno, dum inter tenebras explicatos oculos huc illuc verto, conclauis angulus aduerſus lectulo errantem animum ad ſe compellit; erant in eo luminaria quinque, ſuo quodq; diu tincto

lumine

Digitized by Google

lumine ardens, & circa ea minutiores quidam igniculi confuſi; diceres ingentia quædam ſidera a tenuioribus, nec dignoſci facilibus, obſtipata. Subito viſu horror quidam, & metus cor mihi occupauit: vt attentius fixis oculis rem expendo, demum quum omnia animum incertarent, famulum aduoco, vt accẽſo lumine rem perquirat; vbi locum introiuit, omnia illico euaneſcunt; nec aliud præter lumen illatum lucens conſpicitur: in angulo nihil ſe vidiſſe faſſus, e conclaui ſe proripit, indignatus, vt puto, quod nulla graui de cauſſa ſomnus, negotioſo alias nebuloni interruptus, pacatum curis animum inquietaſſet; clauſiſque ianuis, extincto lumine dormitum ſe confert: ipſe rurſus mentem applico, acriuſque intueor, & quem prius exceperam, aſpectus luminum obijcitur: continuo aſſurgo, & quidnam ſit, quod in tenebris nos ludit conſidero: hæſique diutius an oculis adhiberem fidem meis: tandem quum nullo ea cieri motu deprehenderem, ſeruum iterum, & tumultuoſa voce, quum iam altiſſimo ſomno ſopitum ſe fingeret, accerſi: non ſine indignatione tandem, & ſæpius perquiſitus lumine accenſo redit: & prima rerum omnium facies reſtituta eſt, quum lumina illa etiam a ſeruo diligentiſſime indagata nuſquam apparerent: & quum nihil in angulo eſſe ille contendiſſet, ſecum muſſitans ac dolens, quod irrideretur a me, iniuſſus abſceſſit: quo abeunte, & redeuntibus luminibus, reaſſumptis animis ipſe ad lumina pedem dirigo, & porrecta manu quam maxime magis obuium, magiſque conſpicuum prehendo: aſt vbi frigiditate quadam, & mollitudine in ipſo tactu digiti repercuterentur, commotus ipſe pręmetu prehenſum abijcio: & aduocato lumine, res in eo angulo omnes examino; & quum non niſi fruſta & reliquias Gammarorum fluuiatilium maiores minoreſque animaduerterem, illis in tabella collocatis, lumen extraho, & me cum ijs inter latebras obſero: idque optime ceſſit: nam ſtatim eędem illæ Gammarorum reliquię lumine emicabant, maiore minoreue ad normam ſuæ molis, & quale nobis ſulfur accenſum, aut aqua redderet ardens; fractis tamen, obtuſiſque radijs, luridum nec ita viuidum enitebant; quod aduentu intenſioris luminis perdebant. Fruſtula illa famulus, vti in eo genere hominum fieri amat, ſanitati indulgens, vel ſegnitiei potius foras exportanda in angulum proiecerat: quę primis

F quidem

quidem diebus nulla immutatione ſui latebant, poſtmodum putreſcentia conceptum lumen occultare ſibi haud poterant, & indicio ſuo patuerunt. Illud quoque expertus ſum, ſummoto candelæ lumine, eo ſolo minutiſſimos quoſque characteres legi poſſe, quos ipſe ſępiſſime nulla offenſione percurri, quemadmodum coram in radijs lunæ multi legunt, applicato tamen eo lumine cuilibet ſyllabæ, quum illud non ita effunderet ſe, vt vnico aſpectu paginam totam, aut lineam illuminaret. Poſtea quam vero id amicis alijs communicaſſem, id non ita mirum eſſe dixerunt, quum in piſcibus quoque, lignis, ac alijs rebus, poſtquam putruerint, lumen vel candorem in tenebris cóſpici compertiſſimum ſit. Harum rerum porro cauſſas, quis Liceto acrius, aut ſolidius, aut facundius expediet? Inſuda iam, vt facis, hilare iſtis tuis ſtudijs, Vir præſtantiſſime, & noſtram hanc ætatem tuis eruditiſſimis Commentarijs oculatiorem fac. meque, vt ſoles, ama. VIII. Kal. Nouēb. M DC XXXVIII. Romæ.

Cl. eruditione Viro Leoni Allatio

Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

Perelegantis Epiſtolæ tua lumina, Vir egregie, me tenebricoſis in Lithophoſphori mei labyrinthęis flexibus errantem diu, plurimum adiuuerunt. Thuano ſane fucum factum fuiſſe de admirabili illo lapide Indó, non ita pridem, vt ſuſpicabar, agnoui: qua de re ſuo loco latius. Litheoſphorus autem ille Pomeri tui, tam eleganter abſte mihi narratus, oportunus aduenit atque iucundus: in eo tamen illud mirari ſubit, quod tuo vel Pomeri dicto, *Lapis erat non arte, aut alio opere confectus, ſed ita a Natura productus*: namque Phengites lapis hic Bononienſis a Natura primum quidem rudis gignitur; ſed tamen luci concipiendæ, ac in tenebris diutule, velut in vtero geſtandæ non eſt aptus, niſi præparetur ad hoc ſpectaculum ab arte, ignibus ipſum ad normam excoquente; quod arbitror te non latere, nec inficias iturum: & dum artem a Pomerino calculo procul arces, de prima illius origine verba facis (quam ab

Arte

Arte citra Naturæ miniſterium nõnullos lapides habere, vt qui ſalina tacti nõ raro flammigant, & qui Pyrophili nuncupantur, apertiſſime teſtatur in *a* Subtilitatibus ipſe Cardanus) non autem de pręparatione lapidis ad lucem induendam ab ambiente claro, & mox in obſcuro parumper in ſe retinendam: qua de re pergratum mihi feceris, ſi me certiorem reddideris; & ſimul an a Pomaro perceperis, vndenam ille ſibi Luciferum lapillum comparauerit; nam hic noſter Felſineus affrictu non abradit pilos, at ſolum ex eius calcinati cinere factum lixiuium vim habet pſilothricam. De ſemiputridis illis tuis Gammarorum reliquijs belliſſimã hiſtoriam legimus animis pluſquã nimium elatione voluptaria geſtientibus; perſpicientes quam pulchre in illis fruſtillis virum ſolertem, ſeruulumque inertem, difformi proſpectu pariter Natura luſerit, dum per putredinem in clementa quiſquiliæ reſolnerentur, & ignea miſti portio foras exiens ex alto meditullio corporis ad extimam ſuperficiem, ac humoris implexa glutini, reſidens in ſummo cortice maſſæ putreſcentis, micaret inter tenebras, & diſpareret in clariori lumine; ideoque tibi metum incuteret in latebris viſa, ſed famulo bilem ac indignationem in lumine non conſpecta. Ceterum ſponte quidem, aſt etiam magis hortatu tuo, V. Cl. nunc opus vrgeo de Litheoſphoro Bononienſi, quem habeo potiorem illo Pliniano, qui *b Nerone principe in Cappadocia repertus eſt lapis duritia marmoris, candidus atque tranſlucens, etiam qua parte fuluæ inciderant venæ, ex argumento Phengites appellatus: quo cõſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellant, à Seruio rege ſacratam, aurea domo complexus; quare etiam foribus* non *apertis interdiu claritas ibi diurna erat, haud alio quam ſpecularım modo, tanquam incluſa luce, non tranſmiſſa.* Quem locum nobis planiorem reddit Iſidorus, *c* cui *Phengites Cappadociæ lapis, duritia marmoris, candidus atque tranſlucens: ex quo quondam templum conſtructum eſt a quodam rege foribus aureis, quibus clauſis claritas intus diurna erat.* *d* Suetonio pariter, vt probe noſti, *Domitianus pauidus ſemper atque anxius minimis etiam ſuſpicionibus præter modum commouebatur; & ſollicitior in dies, porticuum, in quibus ſpatiari conſueuerat, parietes Phengite lapide diſtinxit, e cuius ſplendore per imagines quicquid a tergo fieret, prouideret*; nam & ab ipſo Plinio Specularis

a *lib.* 18.

b l. 36. c. 22

c *l.* 16. *c.* 4.

d *Domit. c.* 14.

Digitized by Google

e l.36.c.22. lapis Bononienſis Hiſpanico præfertur e ibidem, & Cappadoco; noſter autem lapis, cuius theoriam colimus, plurimum ſpecularis ſubſtantiæ participat, candore nimirum ac tranſlucida perſpicuitate nobilis, qui præſtantioris conditionis eſt in ſuo genere. Vale, Vir egregie, meque tibi maximas gratias habentem de perſcriptis ad omnia tua vota paratiſſimum cogita. Bononiæ. Kal. Nouemb. M DC XXXVIII.

De Salluſtio commentarijs illuſtrando.

Viro maximo & celeberrimo Fortunio Liceto

Gabriel Naudæus S. P. D.

Epiſtola VIII.

POſtremis ad te meis, Fortuni Licete philoſophorum præſtantiſſime, comites eſſe volui paginas quaſdam operis illius de Natura Luminis, quod Bullialdus (homo, vt Moræus noſter, & Puteani fratres ſignificant, præclare in Mathematicis, & philoſophia verſatus) non ita pridem Lutetiæ typis demandauit. Nunc autem venit ad te Salluſtius, nouus ſcilicet hoſpes e Stoicorum porticu in Latium receptus, opera Leonis Allatij, & mea; quorum etiam conſilio factũ eſt, vt is te adire debeat, non eius tantum officij de cauſſa, quod omnes quicumque ſunt in Europa doctrinis melioribus exculti, tibi qui gloriam ipſarum auctiorem indies facis præclaris tuis lucubrationibus, exhibere debent: aut noſtro amborum priuato nomine, qui ob ſummos honores, quos nobis habere non vno loco voluiſti, tantum nos prolixæ tuæ humanitati debere fatemur, quantum perſoluere omnino difficile eſt: verum quum ea ſis autoritate præditus, vt non modo rebus tuis patrocinari facillime poſſis, ſed alienis quoque, ſi prҫſertim tibi non diſplicent, laudis alicuius, & dignitatis opinionem conciliare; profecto hanc ob rem factum eſt, vt Salluſtium philoſophum, de quo me tam ſæpe prædicantem audiueras, cognoſci nunc a te, & amplecti quam fieri poteſt humaniſſime, voluerim. Et certe ne quid tecum diſſimulem, maiorem etiam in modum cupio,

Iudicium

Iudicium de eo tuum accipere; quandoquidem ſi doctrinæ illius faues, non proletariæ mea quidem & multorum ſentẽtia, qui Romæ non poſtremi in eruditorum cenſu numerantur, ſpero magnam inde commendationis acceſſionem fieri poſſe Salluſtio, eumque teſtimonio, & approbatione tua munitum, longe ampliorem ijs omnibus fore, qui quanta ſis eruditione, & ingenij ſagacitate præditus, non ignorant: quare ab effatis tuis haud ſecus quam a Prætoris edicto pendent, a quo ſcilicet nulli aut honeſtum ſit, aut tutum prouocare. Sane mecum egerunt diligentiſſime amici mei quamplures, ijdemque tui, & virtutis ac doctrinæ tuæ bene conſcij, vt præter iudicium illud de Salluſtio, notas inſuper & explicationes in illum tuas, ſi fieri poſſet, elicerem. Neque me præter rem, aut decorum quicquam facturum cenſebant, ſi iſtud a te cõtenderem, quod mediocri tuo labore, non mediocrem tamen ipſi Salluſtio autoritatem, nobiſque omnibus vtilitatem proculdubio inſignem afferre poſſet. Quid enim, dicebant, laboris afferet homini demerendæ poſteritati nato, imbutoque græcarum litterarum ſcientia, & ad miraculum vſq; verſato in omnibus philoſophorum ſcholis, poſt explicatam abunde tot in libris & lectionibus Ariſtotelicam doctrinam, Salluſtianæ nunc, quæ de rebus præſtantiſſimis eſt, aut ſi mauis Platonicorum ſimul & Stoicorum philoſophiæ, lucis aliquid & ornamenti ex ſua luce propria fœnerari? Poſſetne Salluſtius, cui priſcorum Theologia, quam explicat mirifice; & vita, quæ innocentiſſime ab eo traducta eſt; & lingua, tempuſque, ac celeberrimorum hominum teſtimonia multum famulantur ad laudem, ab alio quoquam dignius explicari, quam ab eo, qui veteris philoſophiæ gloriam nobis ita refert hoc tempore, vt priſcos illius autores, quorum in honore habentur ſcripta, partim exæquet, partim etiam vincat, & omnia cum illis, & Salluſtio, præter ætatem habet communia? Et quis præterea celeberrimi Liceti in ſcribendo facilitatem non agnoſcit? aut in explicandis naturæ, ſcientiarumq. arcanis felicitatem, longo iam ſtudiorum vſu ita confirmatam ad docendum, non modo vt emineat in philoſophia, ſed quacumque de re propoſita vt ſubtiliſſime diſputet; & Salluſtium propterea commẽtationibus erudítiſſimis illuſtrare tam facile poſſit, quam ipſe de rebus a communi hominum cognitione

remotis,

remotis, & oppido maximis ſolertiſſime diſſerere, nulloque non remoto, aut cõplanato obice ſolitus eſt? Denique quum e veteribus philoſophis nullus tam exiguo breuique libello circumſcriptus, ad litteratorum notitiam peruenerit, quin præclarum aliquem ex illis, & memorabilem Virum nactus ſit, cogitationum ſuarum explanatorem; & Carmina illa Pythagoræ quæ aurea vulgo dicuntur, commendationis non parum acceperint ab Hierocle; quemadmodum etiam Ocellus Lucanus a Nogarola; libellus de Mundo ad Alexãdrum a Ioanne Langio; Epicteti Enchiridion ab Arriano, & Simplicio; eiuſdemque reſponſa a Caraſio; Cebetis Tabula a Velſio, & Maſcardo; Alcinous denique a Carpentario; mirum hercle videri poſſet, ſi Salluſtius, qui tam exquiſite de Dijs & Mundo philoſophatus eſt, vt ipſorum, qui ſupra commemorati ſunt, nulli doctrina, iudicio, & eloquentia concedat, non ab eo quoque lumen aliquod & ornamentum ſuſciperet, qui reliquos eiuſmodi interpretes longo præuertere interuallo, & gloriam etiam ac dignitatem litterarum augere non mediocriter ex eo labore poſſit? Nempe his rationibus aggrediuntur me, & tantumnon expugnant, ex amicis multis communibus quamplurimi, vt quod a te factum iri ſummopere vellent, eius me ſuaſorem faciant apud te, quem mea de cauſſa non has tantum cõmentationes, quæ tibi pro ludo ſunt, ſed grauiora multo facturum non dubitant, maxime quum exploratum habeant qua ſemper in amicos, & quam propenſa voluntate fueris, adeoque quam conſtanter fouere pergis, quos ſemel in arctiſſimæ familiaritatis tuæ conſortium admiſiſti. Verum quo tu, Vir Clariſſime, liberalior es, & amantior mei, eo me maiori ſtudio cauere oportet, ne potiorem aliorum cõmodi, quam ſtudiorum aut virium etiam tuarum rationem habuiſſe videar; etenim, vt te ijſdem verbis, quibus Auguſtum Horatius compellem,

Quum tot ſuſtineas, & tanta negotia ſolus,

& hinc auditorum tuorum ſtudijs, publice legendo inſeruias; illinc amicorum epiſtolis, quæ nunquam de rebus grauiſſimis non ſunt, diligenter reſpondeas; ex vna etiam parte abſolutos de Pietate Ariſtotelis, de Hydrologia Peripatetica, & de Natura Luminis commentarios, velut arida pumice modo polis, & exornas: ex alia vero nouos inchoas de Lapide Bononienſi, qui

qui lucem in ſe recipit,& aliquandiu continet;de Quæſtionibus Peripateticis; de mirabilium euentuum cauſſis: his inquam rationibus, numquid ipſe in publica, & priuata tua cōmoda peccarem, ſi nouo aliquo argumento tibi ad meditandum propoſito, iniquæ Iunonis inſtar, non modo tua tempora morarer; ſed ſtudia, & animum tuum adeo varias in partes diſtractum, fatigarem: Quamobrem non vrgeo ego amicorum poſtulationes quæ tibi moleſtæ ſint; ſed hoc tantum enixe a te contendo, vt quum animi a grauioribus curis laxandi de cauſſa,in Salluſtium noſtrum reſpicies,quędam in eum ſtrictim animaduertas, quibus ornatior exire denuo poſsit in publicum. Noui enim quam multa tibi ſub acumen calami veniunt, in quibus proferendis, plus hercle ſatis reliquorum omnium deſudaret induſtria; & nihilominus tamen iſtis me, & Salluſtium beare potes, quum vtrique noſtrum ſatis ſit, Iudicium tuum qualecumque tandem illud fuerit, & multo magis de nobis honorificum, promeruiſſe. Vale, Vir Clariſs. & eruditiſsimum Collegam tuum Ioannem Argolum, cui propter temporis anguſtias non ſcribo; Aulicoſque ſupra morem Aulæ ſingulari iudicio præſtantes, multumque litteris humanioribus excultos, Vincentium Nogheram, & Donatum Lilitellum, verbis quam fieri poteſt humaniſsimis, atque amicitia, & obſequio meo dignis, ſaluta. Dabam Reate VI.Kal.Decemb. M DC XXXIIX.

Cl. eruditione Viro Gabrieli Naudæo

Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

SIſyphi cuiuſdam fato veluti detentus,amiciſsime Naudæe, voluebam omni mentis meę conatu lapidē Bononienſem; vt qui lucem in elementario mundo concipit a claro diei lumine, quam ſubobſcuram aliquandiu retinet etiam in tenebris ambientis; tandem in litterario quoque mundo ſplendidiorem ab intellectus agentis mei lumine fulgorem acquireret, quem ſibi conſeruare poſſet apud eruditos in æuum humanæ ſapientiæ: quando perlegantes a te mihi datæ litteræ, ſimul cum Sal-

luſtij

luſtij Philoſophi libello de Dijs, & Mundo, plurimis plauſibilibus inſignium amicorum rationibus refertæ, tanquam Orphei metra ſuauiſsima, ſedere coegerunt Siſyphum m eum in ſaxo. Profecto validis adeo machinis, adeoque multis non modo cenſuram, verum etiam commentationem ad opus hoc Salluſtianum extorquere mihi conaris e calamo; vt vix contra hiſcere valeam, qui noui te ſuccum e pumice verbis ad miraculum ſuaſorijs educere poſſe. De Iudicio facile patior exorari; nam diligenter biduum euoluto volumine, Philoſophum offendi ſententias nō ita publici ſaporis expromentem, partim Platonicæ, partim Ariſtotelicæ doctrinæ conſentaneas: perſpexi grauitatem, & acutiem, ſublimitatemque ſcriptoris: in moralibus & politicis clarum, & facilem; in Phyſicis obſcuriorem; at in Theologicis valde tenebricoſum: in omnibus tamen ſubtilem, & magna ex parte ſolidum. Ethnica theologumena pulchris mythologijs confirmare ſatagit, qui noſtra vidit, & Moſaica; quæ ſuis fabulis obnubilare, obnubilataque ceu per diſciſſas ac perforatas nubes detegere ſtudet vtcumque: Stilum philoſophicum erudite, grauiter, ac eleganter, adeoque mihi videtur optime tractare. Vno iam verbo, ſcriptor iſte, mea ſententia, dicendus inter antiquos poſt Ariſtotelem, atque Platonem non infimæ claſsis; quin Platonicos inter valde probandus: proindeq. dignus, qui & a Triumuiris Vobis Litterarijs, Holſtenio ſcholijs illuſtribus, Allatio & Naudæo iure Latij purioris donatus ac typis elegantioribus cultus prodierit in publicum; & a ſolerti quopiam Commentatore latius explicetur in locis nodoſioribus: Quod munus tu quidem a me petis tot inſignium virorum nomine, quibus ac præſertim tibi mea ſtudia ſeruire debent; mearum tamen virium, & occupationum ego conſcius, neque ſpondeo penitus, neque recuſo negocium. Lapidem nunc Bononienſem vrgere me primo neceſſum eſt; quo demum ad metam deducto, quam non ita procul aſpicere mihi videor, ſtatim experiar an vires habeam Salluſtiano Commentario pares. Interim vale V.C. meoque nomine viros eximios Holſtenium, & Allatium ſaluere iube; Nogheram, Lilitellum, & Argolum inclytos eruditionum proceres, qui tua ſcripta, manumque ſcribentem vna mecum exoſculantur; a te ſalutem plurimam impertiui. Dabam Bononiæ XI. Decemb. MDC XXXVIII.

De

De Monſtris informibus & mutilis

Argyrodamus Ennoſigerpius, alias Antoninus Oliuerius Theoricæ Simplicium Lector in Gymnaſio Meſſanenſi Fortunio Liceto Philoſ.& Med.Em.S. Epiſt.IX.

ET inſtat vehementer, & ſuo etiam iure poſtulat Amicus, vt peritiſſimū aliquem ex Philoſophis conſulerem de Monſtro, quem nuper ab vxore mutilum accepit: pareo libenter,& te Philoſophorum omnium Antiſtitem per literas appello; te inquam, cui, deterſo adulationum fuco, rerum omnium cauſſas, & latentis naturæ rationes reddere datum eſt. A te igitur peto, doctiſs.Vir,vt pro ea,qua ſtudioſos omnes beneuolentia proſequeris,& liberalitate, nos etiam in cognitionem ducas,& medelam huius vitij,quo fœtus a natura fuit in vtero deformatus; nam tuæ ſolum erunt illæ partes, puta fugare dolentis viri mœſtitiam, tergere parentum lacrymas, leuare planctus, quibus iteratum conceptum, etiam nunc mutilum lacrymantur. Quare rem facies gratam, & neceſſariam, ſi aliquid excogitabis, ac tuo prudentiſſimo conſilio ſequentes vlteriores conceptus ab eadem labe vindicabis. Ego interim Monſtrum enarrabo, ac tuum grauiſſimum iudicium æquo animo expectabo.

Biennium iam exeſt, quum Perilluſtris vir puellum habuit, cuius quidem corpus bene compactum erat, ſed vterq. pollex in manibus deficiebat; earumque dexteram omnino inuerſam tenebat; cuique demum nulla partium in brachijs proportio erat; quum a ſummo humero ad cubitum vſque iuſtam longitudinem habuiſſent; inde ad manum ipſam nullam, ſed anguſta, & minimæ magnitudinis videbantur. Vixit octo menſes; tandem igne correptus a nobis demigrauit. Sed en alium eiuſdem quoq; ſortis, quin dixerim peiorem eadem mulier ſecundo producit, ſcilicet cui vterque pollex deficit in manibus, cui vtraque manus etiam inuerſa eſt, cum eadem ſimul in brachijs iniuſta partium, & diuerſa varietate; nec magnitudinem eamdem corpus vniuerſum ſeruat cum priori; ſiquidem toto geſtationis tempore in hoc ſecundo conceptu ſanguis ab vtero emanauit, addo & humor quoque albus continuo exiuit, qui

vt te non lateat, Cl. Vir, etiam ante coniugium indies effluebat; quum ſit Perilluſtris Domina corrupti omnino temperamenti, genita videlicet quo tempore pater eius morbo gallico laborabat; quæque dum infans erat, hydrocephalum paſſa eſt ad capitis, & faciei turpitudinem, & deformitatem. Timent ob id, & iure, ſequentes conſimiles conceptus, niſi ab Excellentia tua fuerit conſultum, in quo ſibi ſumma ſpes, tota fiducia eſt. Tuum itaque erit cauſſas huius defectus explorare, an ſit propriæ materiæ defectus, an virtutis formatricis languor & imbecillitas, an vteri anguſtia, vel materiæ ineptitudo: Tuum quoque cur vterque pollex, haud tamen alia pars in omni ſemper cõceptu deficiat; quibus demum auxiliorum generibus confirmanda, ne iterum tale quid in vtero concipiat. Viue feliciter Vir noſtro æuo incomparabilis, & poſteris, tuæ præſens poſteritati, vigila perenniter. Vale. Meſſanæ. die 8. Februarij. 1638.

Cl. Viro Argyrodamo Ennoſigerpio, alias Antonio Oliuerio Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

Admirabilis hiſtoria Monſtrorum informium ſimul & mutilorum, duplici iam partu a Perilluſt. matrona deinceps editorum; quam mihi proponis Cl. Vir, efflagitans enixim tum nudatas cauſſas tam diri vitij procreatrices, tum etiam oportunas remediorum vires talium cauſſarum propulſatrices, vt in poſterum a monſtroſa ſobole preſeruetur femina primaria; me quidem ſatis excitauit ad tua iuſſa capeſſenda; ſed non me ſatis inſtruxit ad latentia tanti mali primordia penitius introſpicienda, nec ad idonea præſidia morbo, formatricis actionem mire miſereque deprauanti præſcribenda. Si pleniorem abſte narrationem habuero de parentibus, & auo monſtrorum, quæ me certiorem reddat an pater mulieris ad luem Veneream profligandam vnctus fuerit hydrargyrio; an in cubitis, manibus, & vtroque pollice perpeſſus fuerit vlcus, vulnus, inflammationem, atrophiam, chiragram, conuulſionem, luxationem, & omnino quampiam inſignem ægritudinem: an huiuſmodi vitia preceſſerint vel in patiente noſtra, vel in eius coniuge: an hi parentes monſtriferi vehementi ſint imaginatione; an iracundi,

an

an mites; an liberalitatis habitu clari, an ad auaritiam procliues; an brachijs, manibus, pollicibus valde polleant, an ſint hiſce partibus imbecilles; an alimentis boni ſucci nutriri conſueuerint, an ſalſamentis admodum delectentur, an cibis craſſioribus, an victu pleniori vtantur, an moderato, an tenuiori; an bibaces ſint, an vino generoſiori ſoleant vti, an aliquis eorum ſit abſtemius; quæ ſit ætas vtriuſque; quo temperamento donentur; an multum a temperato recedant; quæ qualitas in vtriuſque temperatura prædominetur alijs; & an multo, an paruo exceſſu: an virium naturalium robur in ijs vigeat, an langueat; an in vtero patientis coacceruentur flatus, an humores acres, mordaces, aut ſalſi; quo tēpore anni factæ fuerint monſtrorum conceptiones; & ſpeciatim an perilluſtris mulier ante partus hoſce monſtroſos aliquando pepererit infantem vllum perfecte organizatum, & ſimilia: plurimorum accidentium cognitione fretus, maiori fiducia & accuratione difficilem hanc meditationem pariter, & medicationem aggrediar, & auſpice Deo fortaſſis ad optatum finem perducam. Tu interim ſcias, me nuper ex Antenoreo Palladio vocatum, & conductum ad ſupraordinariam Philoſophiæ Cathedram in Archigymnaſio Bononienſi; vbi ad tua vota dego. Vale Vir Cl. & me ama. Dabam Bononiæ Prid. Kal. April. MDCXXXVIII.

De Neceſſitatis imperio, an violentum fuerit in Diuinis apud Platonem.

Carolus Engrandus Belga Audomarenſis Fortunio Liceto S. Epiſtola X.

NÆ tibi, doctiſsime Licete, iuſtum & idoneum in ſinu gaudendi ſuppetit argumentum, qui iam tum ea veræ & ſolidæ laudis ieceris fundamenta, vt ipſe te, cum annis venientibus preterieris (ſi qua tamen potes) a δαιμόνιον illud mundi, verius tamen b ἄριςον τέλος ipſo æquo paſſu inſecuturus ſis. Quis etenim ſic de animo quam animoſiſsime differere poteſt, niſi qui ceteris fortunatior, fortunij habeat animum? Hoc ipſo (omnibus probatiſsimis crede) non ſolo modo, nomini

a *Intelligentiam.*
b *Optimum finem.*

Digitized by Google

ſuppleta eſt littera, ſed etiam illud ipſum ab obliuione & ſilentio vindicatum. Iam de me quid? cæcam & impotentem illam rerum Dominam in dies mille deuoueo Diris, quæ nunquam alias quidem mihi ſecunda, ſed nunquam quam nunc reflaſſe videtur odioſius, dum me iſthuc toto pectore aſpirātem, in obſcurum hoc otium, tanquam in carcerem iniquiſſime abſtruſit. Dedaleas aliquoties in animo fuit mihi aptare pennas, queis Liguſticum tranſuolem æquor: ſed vt niſum primo me penna leuat, ſic graue mergit onus; memini Icari. Ceterum tamen, quoquo modo caſurum ſit, tantæ Academiæ, cuius fama totam impleuit Italiam, deſiderium diutius non fero. Illuceſcet illa dies, qua conclamatis vaſis, inopinato Ithacam, quā nactus ſum, exornaturus adero. Interim ſi qua cauſſam promoueris meam, & me docueris quid vere Plato ſenſerit de regno Neceſſitatis, an vere tyrannicum fuerit, & violentū adeo, vt atrocia quoque contulerit in Deos, in ærumnis valde ſolabor, & poſt maximarum gratiarum actionem efficiam profecto vt non ingrato, nec immemori beneficium præſtitiſſe videaris. Vale. Genua. V. Decemb. M DC II.

Cl. Viro Carolo Engrando Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

OVtinam illos a longe ſequar, Engrande Clariſs. quos mihi ſodales auguraris in itinere; nomenque paullulum eruam e tenebris, non anteactis modo, ſed etiam peragendis laboribus. Heus tu, iam deſine Fortunam immerito forſitan increpare: En grandis, & maior tibi laus, qui a Pallade Fortunam quæritas, vt ad Mineruam redeas; quā ceteris, qui a Fortuna ad Palladem migrant, vt in Fortunam lætiorē properent, ſi motus † termino definiendus. Cito tranſuolat veri genitor ille ſenex, etſi tibi ſegnis & claudus appareat: Ipſe tu tibi Dedalus eris, ni ocyus Icarus eſſe velis. Tuam ego cauſſam curabo diligenter; ſed aſſidue moram illi nectunt, quibuſcum de illa tractandum eſt. Ad Platonis ſententiam quod attinet, nec ille de ſuo penu prompſit vnquam, acerba Dijs accidiſſe ob Neceſſitatis regnum; quaſi tyrannidem in Deos exercuerit imperioſa,

† 5. phy. 1. 4.

& violenta Neceſſitas: nec, ſi tale quid alicubi dixiſſet, id recte pronunciaſſet: non quidem iſtud vnquam ex mente propria Plato conſtituit; etenim ex aduerſo *a* Ficinus in Critia conſtituit ſecundum Platonis doctrinam, Neceſſitatem in Diuinis eſſe penitus voluntariam: quin *b* alibi, Neceſſitatem non differre a voluntate in ſumma Diuinitatis ſimplicitate: & in regno Neceſſitatis nullam omnino poni violentiam: & alio in loco, *c* Ficini pariter obſeruatu, Neceſſitatem vocat Plato Mundi animam, non quia vel Naturæ, vel rationi violentiam inferat; ſed quia omnia in ſuo quodam ordine, ab opifice rerum inſtituto, conſeruat; neque permittit quicquam leges illius adeo tranſgredi, quin mox regrediatur in leges. Quod etiam Platonicus ille Plotinus teſtatur, a Neceſſitate violentiam eximens in libro, *d* cui titulum fecit, *De libertate & voluntate vnius;* vbi fatetur, Deum Naturæ libertatem potius dici, quam Dominum; quum ſit ſuapte natura libertas. Neque Plato ſtatuit ex propria ſententia in Sympoſio, Deos acerba paſſos ob Neceſſitatem; ſed id protulit ex Poetarum fabulis, quibus in hac parte non aſſentit; Platonis verba ſunt ab *e* Agathone relata huiuſcemodi, *Priſca vero Deorum geſta, quæ Heſiodus Parmenideſque deſcribunt, Neceſſitati potius quam Amori tribuenda; ſi modo illi vera narrant: Neque enim caſtrari inuicem, & vinciri, aliaque violenta permulta Dijs olim contigiſſent, ſi Amor illis tunc adfuiſſet.* & mox reperit, *Antea vero, vt ſupra dicebam, permulta atque atrocia inter Deos propter Neceſſitatis regnum, vt dicitur, contigerunt.* Quare Plato non ex mente propria, ſed ex Heſiodi Parmenidiſque ſententia refert, Dijs atrocia multa contigiſſe ob Neceſſitatis regnum; quod placitum ipſe non collaudat, ſed in dubium reuocat. Deinde vero confundenda tibi non eſt Neceſſitas Diuina cum humana, quaſi vt ait V.C. nos homunculi ex argilla confiſti repugnare Neceſſitati nequeamus, cui vel Dij repugnare nõ valeant; etenim vel ipſe Plato Neceſſitatẽ humanam a Diuina longe diuerſam eſſe conſtituit, inquiens, *f Quod ex ipſis neceſſarium eſt, reijci non poteſt: Immo vero ad hoc ipſum reſpexiſſe videtur, qui prouerbio primus ita de Deo eſt locutus, Quod nec Deus vnquam cum Neceſſitate pugnabit: Quod equidem de Diuinis Neceſſitatibus intelligendum arbitror* (quæ ſcilicet ſine violentia ſunt, ac volun-

a *In arg. Crit.*

b *In arg. ad 10. de Repub.*

c *Symp. ora. 5. cap. 11.*

d *En. 6. li. 8 cap. 9. & 12.*

e *Cõu. ora. 2*

f *7 de legib.*

tariæ;

tariæ; quia Deus voluntati ſuæ minime repugnat) *Nam ſi hoc de humanis Neceſſitatibus dicatur, ad quas multi reſpicientes, tale quid aiunt, longe omnium ſtultiſſima erit oratio:* ſiquidem humanis neceſſitatibus homines vtcumque repugnare poſſumus: & quidem ſumus, quantum ad corpus attinet, facti ex
g *Gen.2.* g argilla homunculi, ad Deum relati: verum quia vnũquodq.
h *9.ethic.4 & 8.* illud eſt, quod in eo eſt ſummum, vt ait *b* Ariſtoteles; cui iuſtum eſt omnia *i* denominare a fine; qui in hominibus eſt ani-
10.ethi.c.7. 2.de an.t.49. ma *k* rationalis: nos homines ideo quantum ad animam, viri ſumus ex incorporea ſubſtantia, & tantum non diuino ſpiritu
K *2.de gen. an.c.3.* formati, non *l* Ariſtoteli ſolum, ſed & ex ſacra pagina, in qua legimus, *m* ***Formauit igitur Dominus hominem de limo terræ;***
l *3.rhet.10.* ***& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo***
m *Geneſ.2.*
n *2.de gen. an.cap.3.* ***in animam viuentem:*** quum *n* Ariſtoteles ab hiſce minime diſſentiens conſtituerit animam rationalem, qua fœtus fit homo, cõceptui nõ a parentibus indi mediante ſemine, ſed forinſecus aduenire, nimirũ a Deo, qui *o* lumen intellectus accen-
o *3.rhet.c.10.* dit in anima; & omnium *p* primum monẽs cum homine pa-
p *12.meta.t.24.* rente concurrit ad generandum hominem; cui naſcituro pater
q *2.phy t.26* animæ partem mortalem conciliat; Deus autem, *q* Sol incorporeus, animæ partem immortalem; quæ propterea dicitur
r *2. de gen. an.c.4.* *r* aduena, & *s* diuina eidem Ariſtoteli. Qui ergo corpore lutei violentæ neceſſitati fatorum homines plerumq. repugnare
s *4.de part. c.10.* nequimus, in affectionibus corporeis: ijdem animo ſpiritales,
2.de gen.an. c.3. incorporei, ac propemodum Diuini, liberaque voluntate pollentes viri, ſubditi non ſumus vlli neceſſitatis imperio. Vale, & me ama Cl.Vir. Piſis. XII.Kal.Febr. MDCII.

Aloyſius Lollinus Belluni Epiſc. Fort. Liceto S.P.D. Officioſa Epiſtola XI.

MAgno non ita pridem teſte ſtudij erga te mei, eodemq. ſponſore tui in me amoris ſum priuatus Andrea Mauroceno vtriuſque noſtrum cupidiſſimo; ad quem quum poſtremis meis litteris plura de te, præclariſque tuis de ſpontaneo viuentium ortu libris, quos ille ad me perferendos antea curarat, perſcripſiſſem; accidit profecto perquam incommode, vt

vir

vir immortalitate dignus, conciliandiſque inter ſe eruditorum amicitijs aptiſsimus, prius morari apud nos deſierit, quam tibi meo nomine gratias referret: hinc factum, vt occaſionem tui alloquendi auide arripuerim, mihi nuper a noſtro Obicio oblatam; is enim tuam Epiſtolam oſtendit ad ſe miſſam, vbi de me mentionem facis. Ego ſane te, mi Licete, ob ingenij candorē, ſingularemque doctrinam, dotes haud repertu promptas, diligebam plurimum; nunc vero propter ſtudium in me iſtud tuū tam effuſum, cui non reſpondere turpe fuerit homini philoſophiæ candidato, vehementer amo; &, qui mos eſt amantium peculiaris, de te & audio, & loquor libentiſsime; te vnum, vel cum paucis ſupereſſe prædicans, cuius pręſtanti eruditione tot monumētis ingenij teſtata, his præſertim temporibus, his moribus Lycei Patauini opes maxime nituntur: quæ a me non eo dici credas velim, quod meum iudicium amor exambiuerit; diu eſt, quum in eamdem ſententiam, te ne prenſante quidem, litterariæ tribus commune ſuffragium tulerunt. Ego, ſi quid erit, in quo mea vti opera ſtatueris, quam vt tuo iure exigas, impenſe rogo, enitar, vt quanti te merito facio, cognoſcas. Vale. Belluni. IV. Kal. Octobris M DC XVIII.

Cur olim Romani Pultiphagi dicerentur, & an de vetuſtioribus alijs dictum id fuerit.

Aloyſius Lollinus Bellunen. Epiſc. Fortunio Liceto S. P. D. Epiſtola XII.

NON id a me quæſitum fuit, vir doctiſsime, vt te, quem lætum florentemque cupio ſtudiorum bono, mœſtitia afficerem ex ſcriptorum meorum lectione: dolori me tantum meo indulgere iuuit, qui tempore, quo demitigari maxime debuerat, neſcio quo pacto magis recrudeſcit: neque ideo iiſdem te affectibus duci, quibus ego moueor, permoleſte fero vel ob id potiſsimum, quod tuo viri ſapiētiſsimi exemplo hanc animi mei mollitiem ac teneritudinem aduerſus Philoſophiæ conuitium tueri ſtatui, quæ in nobis vt non Stoicam *a* ἀπάθειαν efflagitat, *b* μετριοπάθειαν tamen merito requirit Peripati

a *Indolentiā.*
b *Mediocrē affectum.*

diſcipli-

diſciplinæ conſentaneam. Veris, vberrimiſq. lacrymis deflendus erat Viri amiciſſimi exceſſus; quod ſicuti nos abunde præſtitiſſe non inficiamur, ita nullam inde laudem captatum imus facundię elegantioris; cuius vix vmbram vnquam aſſecuti, non ea orationis ornamenta in noſtro opere agnoſcimus, quæ illi ſeu amor in nos tuus, ſiue iudicium amore eblanditum tribuit: vtcumque ſit, noſtra a te, quem nemo non ob mores, & doctrinam probat, minus improbari ſane nobis periucundum, perque gratum accidit; plurimumque te eo etiam nomine amamus, officiaque omnia noſtræ erga te teſtandæ obſeruantiæ deferimus. Vale, & negotium poſteritatis, vti facis, vrge; cui magno te fidei pignore obſtrinxiſti breui fore, vt problema illud plusquam Archimedeum de antiquorum lucernis induſtria tua explicetur: interim ſi breuibus abſte ſciuero, cur antiquitus Romani Pultiphagi vocarentur, & an Romanis antiquiores eo nomine vocarentur, me multa gratia cumulatum habueris. Belluni. VII. Idus Februarij MDC XIX.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Aloyſio Lollino Bellun. Epiſc.

Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

Arduſim plane de reconditis Antiquorum Lucernis theorema me totum tenet, Virorum politiſſime, hiſce temporibus; nec a longe mihi videre videor metam huius litterarij curſus. Quod vero me iubes tibi ſententiam meam aperire, cur olim Romani vocarentur a priſcis autoribus Pultiphagi, problema eſt, cuius explicationem ego libēter quęrerem a ſumma tua eruditione: ſed tamen obtemperandum eſt iuſſioni tuæ. Cenſerem ego Romanos, qui primum paſtoralem, mox vitam agebant militarem antiquitus pultis victu maxime vſos; quod & agricolæ, paſtoreſque tali nutrimento noſtris etiam temporibus apud multas gentes vti videantur; militibus vero procul a patria belligerantibus, & longiora itinera ſuſcipientibus, impedimenta quantum fieri poteſt pauca dari debent; eaque victus ratio congrua ſit, quæ facile parari valeat, & qua miles

vnuſ-

vnuſquiſque ſecum ad multos dies alimenta, præter arma, ferre queat; eiuſmodi ſane fuerit farinæ ſacculus; quę miſtione aquę pultem conſtituit; nam panis clybano, & longioris temporis intercapedine ad coctură indiget: ideo Romani veteres apud alias Nationes audiebant Pultiphagi. Quam ſane coniecturam ſatis mihi videtur comprobare Plinius; cui, *a Pulte autem,* a lib.18.c.8 *non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum, quoniam inde & pulmentaria hodieq. dicuntur: Et Ennius antiquiſſimus vates obſidionis famem exprimens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat: & hodie ſacra priſca atque natalium pulte fitilla cõficiuntur: videturq. tam puls ignota Græciæ fuiſſe, quam Italiæ polenta.* Valerio quoque *b* Maximo de modo b lib.2.cap.1 comedendi antiquorum agenti, *Fuit etiam illa communis antiquorũ in cibo capiendo humanitatis ſimul, & continentiæ certiſſima index: nam maximis viris prandere, & cænare in propatulo verecundiæ non erat: nec ſane vllas epulas habebant, quas populi oculis ſubijcere erubeſcerent: erant autem adeo continĕtiæ attenti, vt frequentior apud eos pultis vſus, quam panis eſſet: ideoque in ſacrificijs mola quæ vocabatur, ex farre & ſale conſtat; exta farre ſparguntur: & pullis, quibus auſpicia petuntur,* † *puls obijcitur: primitus enim ex libamentis victus ſui, Deos eo* † emend.ex Feſto. *efficacius, quo ſimplicius placabăt.* Alexădro ſimiliter *c* ab Alexandro, *Quin etiam populum Romanum multa ſecula non pane,* c lib. 3. gen. cap.11. *ſed pulte victitaſſe: piſtoreſque per annos fere ſexcentos vſque ad Perſicum bellũ, nullos Romæ fuiſſe, ſatis conſtat: Fiebat enim puls illis ex aqua, frumenti & fabarum aut hordei farina; quam in ſacris & oblationib. Deorum pro victima adhibuere: qui quidem piſtores toſtum panem lautioribus coquere ſolebant, reliquæ multitudini far; ideo quod far pinſebant Pinſores dicti: quippe quum veteribus molarum nullus vſus foret, ſed fruges igne toſtas in pilas coniectas pinſerent: vnde & Piſones dictos volunt: id enim molarum inſtar erat: Fuitque vetus mos vt ijdem eſſent coci, & piſtores.* His aſſentit Plutarchus in apophthegmatibus, cui Scipio militibus *prandere iuſſit obſonium nullo igni coctum: in cæna accumbentes edere panem, aut pultem ſimplicem, & carnem elixam ſiue aſſam.* Hac ratione Romani veteres dicebantur Pultiphagi, quod pulte potiſſimum alerentur. Ceterum nõ arbitror ego Romanos primos fuiſſe Pultiphagos ante

Digitized by Google

nationes alias; etenim & Perſæ, & Carthaginienſes Romanis antiquiores Pultiphagi fuere: de Perſis illuſtre teſtimonium habemus apud Fulgoſum Genuenſium Ducem inclytum *d* Valerij Maximi æmulum, cui, *Laudanda etiam apud veteres Perſarum Reges conſuetudo erat: nunquã.n. alio veſcebantur cibo, quã pane, pulte, cardamo & ſale: nam ea vitæ temperantia, non mente modo, verum etiam corpore valere ſe putabant.* De Pœnis duas habemus apud Plautum illuſtriores; altera quidem eſt in Moſtellaria, vbi Simo ſenex laudans Teuropidi domus ſuæ poſtes, ait

d lib. 1. cap. de priſc. inſt.

e Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.

e Ver. 839.

Sane Romanus Plautus Romane loquens Romanum artificem non appellabit barbarum; nam ſe ſolos e barbarorum numero excipiebant Romani, gentes alias omnes barbaras nuncupantes: non ſecus ac Plato Græcus in Cratylo barbaras vocat exteras nationes tantum, inquiens, *Reor equidem multa nomina Græcos a barbaris, eos præſertim, qui ſub barbaris ſunt, habuiſſe.* Quin & Romani militiæ potiſſimum ſtudebant; non artibus mechanicis; quas apud Romanos agebant ſerui, quos illi barbaros vocitabant: quam autoritatem Plauti neſcio quo ſpiritu ductus ad Romanos trahere voluerit *f* Dalechampius, alioqui eruditiſſimus, nullam huius dicti ſui rationem afferés. Altera vero legitur in Pœnuli prologo ſic,

f not. ad Pli. lib. 18. c. 8 b

Carchedonius vocatur hæc Comœdia,
Latine Plautus, patruus pultiphagonides.

Patruus enim pultiphagonides a Plauto dicitur Hanno Pœnus, qui fuit patruus Agoraſtoclis adoleſcentis Pœni, a quo pariter Comœdia nomen deſumpſit, vt clare conſtat vnicuique prologum illum legenti; quem locum vt ad ſuum ſenſum traheret Dalechampius, miſere corrupit, legens

Carchedonius vocatur hæc Comœdia:
Latine, Plauti pultiphagonidis, Patruus.

Pultiphagi, ſeu pultiphagonidis epitheton Plauto tribuens, quod Plautus ipſe Patruo Pœno tribuit Hannoni. Sed & noſtram coniecturam, conſentiente Scaligero, comprobat ipſe Cato non ſolum apud *g* Rhodiginum celebrans pultem Punicam, ſed etiam *h* docens eius conficiendæ rationem, innuenſque pultis auidiſſimos fuiſſe Pœnos. Quum itaque Perſæ,

g lib. 9. c. 16
h cap. 12.

Pœnis

Pœnis antiquiores extiterint, & Pœni Romanis; omneſque pariter Pultiphagi, non ſoli, nec primi debẽt Romani nuncupari Pultiphagi; licet omnes eadem ratione Pultiphagi dici debeãt. Pultiphagos itidem fuiſſe Grecos edocet ipſe *i* Perſius, deſcribens philoſophantes in porticu Stoa, quam Plinio *k* pinxit Panæus Phidiæ frater, in ea graphice delineato prælio Athenienſium aduerſus Perſas & Medos, villoſas braccas indutos ad terrorem, apud Marathona factum; & Polygnotus etiam gratuito, qui propterea meruit ab Amphictyonum Magiſtratu ſibi decerni hoſpitia gratuita; inquit enim i *Sat. 3.* K *l. 35. c. 8. & 9.*

Haud tibi inexpertum eſt curuos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis illita Medis
Porticus, inſomnis quibus indetonſa iuuentus
Inuigilat ſiliquis & grandi paſta polenta.

Quæ Pultis etiam nomine donatur: quod itidem *l* Plinius obſeruat, cui *antiquiſſimum in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu, Menandro autore, apparet, & Gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur. Polentam quoque Græci non aliunde præferunt*: licet pultis nomen ignotum Græciæ *m* mox dicat, non ſecus ac Italiæ polentæ vocabulum. Hæc habui, vir Illuſtriſſime, quæ de propoſito ad te perſcriberem: vtinam tuo iudicio non improbentur. Vale, & me ama. Patauij. Idibus Februarij M DC XIX. l *l. 18. c. 7.* m *cap. 8.*

De Licentia Poetica, & Hiſtorica

Aloyſius Lollinus Belluni Epiſcopus Fortunio Liceto S.

Epiſtola XIII.

TV vero mi Fortuni huius meę ſolitudinis miſertus aliquid ad me ſubinde mittis, quo & ipſe eam ſuauiter oblectem, & tu te minime ceſſatorẽ probes Muſis abs te ingenij penſum exigentibus. Quantum ex paucarum pagellarum lectione potui conijcere, liber eſt egregij laboris, & te dignus: totum poſtquam accuratius euoluero, quid de eo ſentiam ad te perſcribam. Interea iudicium probo, quod diſceptatorem controuerſię optaueris Donatum Maurocenum illum eruditorum

H 2 anteſi-

anteſignanum, patronumque maximum; a cuius ego ſententia ne latum quidem digitum diſcedam. Sed næ tu Nilum bibentibus multo es fœcundior, qui ſemper aliquid parias parturias, quod litterariam annonam ditet vberi prouentu: Vita modo ſuperſit, incœptiſque aſpiret Numen, Varronem nepotum Romuli doctiſſimum polygraphia es ſuperaturus. Vale, & ſucceſſu amici augurium adfirma. Nos hic ætatem in gregis cura, bonarumque artium ſtudijs procudimus valetudine non admodum incommoda. Sed heus tu, quid cenſes de Poetarum, & Hiſtoricorum licentia, quos audio a viris eruditis poni ſimiliter ſui iuris? Iterum vale. Belluni prid. Id. Deceb. M DC XXIV.

Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Bellun. Epiſc. Aloyſio Lollino

Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

EGO vero, decus Antiſtitum, aſſidua litterarum cultura ſtudeo tempus ſeu terere, ſeu fallere; vtinam vt tibi, ſic alijs videar opus & operam bonaſq. horas non male perdere. Scio viros egregios ita cenſere, non debere nos a Poeta præceptionum & regularum obſeruationem requirere, qui quum liber ſit, ajunt, & *a* ἀνεκλόγος, vnam hanc regulam habere videtur, vt nullam ſibi præſcriptam eſſe regulam putet: ſi enim, addunt, ipſum etiam hiſtoricum eſſe *b* αὐτόνομον oportere Lucianus exiſtimat; quanto magis permittendum Poetæ, cuius multo quam Hiſtorici amplior, atque effuſior poteſtas eſt, vt nullis aliorum, ſed ſuis ipſius tantummodo legibus vtatur: tritum ac peruulgatum eſt illud,

. . . . Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Quin & Naſo dicebat,

Exit in immenſum facunda licentia vatum.

Ceterum ego certas leges, certoſque limites eſſe cenſeo nō ſolum Hiſtoricorum, ſed etiam Poetarum; nec eorum vlli prorſus arbitrariam in omni re licentiam concedendam eſſe indico, ſic edoctus a Marco Tullio, talia de Oratore ſcribente, *c Quis neſcit*

a *Sine regula.*

b *Sui iuris.*

c *lib. 2.*

Digitized by Google

neſcit primam eſſe hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat; deinde ne quid vere non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo; ne qua ſimultatis: hæc ſcilicet fundamenta nota ſunt omnibus &c. Præterea vero, quod Hiſtoricus ſit ſui iuris, nuſquã certe dixit Lucianus; qui viceuerſa plurimas leges indicit hiſtoriam recte ſcripturis; at hoc diſcrimine ſeiungit hiſtoricum a poeta, quod Poetæ libertas nullius eſt arbitrio ſubiecta; ſed Hiſtoricus libitum ſuum pro lege non habet, adeoque non eſt ἀυτόνομος, hoc eſt, ſui iuris; Luciani verba ſunt ipſiſſima, *d* ἔτι ἀγνοεῖν ἐοίκασιν οἱ τοιοῦτοι, ὡς ποιητικῆς μὲν, καὶ ποιημάτων ἄλλαι ὑποσχέσεις, καὶ κανόνες ἴδιοι, ἱστορίας δὲ ἄλλοι. ἐκεῖ μὲν γὰρ ἀκρατὴς ἡ ἐλευθερία, καὶ νόμος εἷς, τὸ δόξαν τῷ ποιητῇ. ἔνθεος γὰρ καὶ κατόχος ἐκ Μουσῶν, κἂν ἵππων ὑποπτέρον ἅρμα ζεύξεσθαι θέλῃ. καὶ ἐφ' ὕδατος ἄλλους, ἢ ἐπ' ἀνθερίκων ἄκρων θευσομένους ἀναβιβάσηται φθόνος οὐδεὶς. hoc eſt. *Rurſum neſcire iidem videntur, quod & poeticæ quidem & poemata aliud promittunt, aliud hiſtoria, regulaſque diuerſas habent: nam illi quidem libertas nullius alterius arbitrio ſubiecta eſt, vnaque hæc lex eſt, quicquid Poetæ ipſi viſum fuerit: Diuino enim ſpiritu agitur, & a Muſis dependet, illarum numine afflatus; & ſiue equos alatos currui iungere voluerit, ſiue alios ſuper aquam, aut in ſummas ariſtas curſurus per illas attollet, nemo vetat. &c.* ex quibus, & aliis in eodem libro exaratis, vnicuiq. patet, Lucianum docentem ex profeſſo modum, quo recte ſcribenda ſit hiſtoria, minime feciſſe Hiſtoricum *e* ἀυτόνομον, ſui iuris; at ex aduerſo ad Hiſtorici differentiam, qui multis legibus obſtrictus eſt, ἀυτόνομον feciſſe Poetam. Ceterum nec ita legibus omnibus ſolutum efficit Lucianus Poetam, vt eum ſibimetipſi contradicere poſſe cenſeat, aut decorum minime ſeruare; ſed Poetæ concedit libertatem in fabulis admirabilibus confingendis; & quem comparatum ad Hiſtoricum cenſet eſſe liberum, abſolute tamẽ liberum non ponit. Similiter obſeruatione *f* Quintiliani, *Poetis & Hiſtoricis ſua cuique propoſita lex eſt.* Quin & Horatius in Arte ad Piſones ait,

Humano capiti ceruicem Pictor equinam

d *de Hiſt. Scrib.*

e *Sui iuris.*

f *lib. 10. c. 2.*

Iungere

Iungere ſi velit, & varias inducere plumas
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne,
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?
Credite Piſones iſti tabulæ fore librum
Perſimilem, cuius velut ægri ſomnia vanæ
Fingentur ſpecies, vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ: Pictoribus; atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas;
Scimus, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim,
Sed non vt placidis coeant immitia; non vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.

Sed & Pictura dicitur a Platone in Phædro muta rerũ imitatio; res autem omnes certis naturæ legibus conduntur, & conditæ conſeruantur, quas nulli fas eſt, aut poſſibile tranſilire. Quin & alibi g Plato, & poſt eum h Ariſtoteles multas conſpicitur Poetis indicere leges; quibus delectando proſint; moueant affectus, aut nimium torpentes excitando, aut nimium turbatos agitatosve temperando, atque ſedando; qui Poeticæ finis eſſe videtur. Sic ergo limitatam Poetis ego licentiam concederem, certis legibus coercitam; ſed tamen ampliorem laxiorem, quam Hiſtoricis; eis liberam omnino, legibuſque ſolutam penitus dare non audeo. Vale vir Illuſtriſſime, & me ama. Patauij. X. Kal. Ianuarij MDCXXIV.

g *7. de legib. 10. de republ.*
h *lib. de Poet.*

De vario Muſarum numero apud Antiquos

Aloyſius Lollinus Belluni Epiſc. Fortunio Liceto S. P. D. Epiſtola XIV.

DIgnus es tu quidem cum iſta tua eximia eruditione mi Licete, qui ad æternos lucernarũ ignes ſedulus euigiles ea commentando, quæ nec vlla aboleat vetuſtas, neque carpat liuor: nos veró haud ſane digni, quorum tu ſpem, deſideriũq. mora nimium in longũ ducta excandefacias. Annus iam vnus & alter in ſua veſtigia volutus abijt, ex quo tuos lychnos expectamus æmulos ſtellarũ, quum tu interea promiſſa differs lentũ

nomen,

nomen, atque ideo appellandum crebrius. Tanta eſt tui ingenij fœcunditas, is vigor animi quantumuis abditis rerum ſubtilitatibus ſuperfuturus, vt ſuſpicionem ceſſationis nō admittat: ne alio curſum deflexeris, hoc vero nobis eſt verendum, qui tuarum lucubrationum lectura capimur. Sed hæc tu, cuius de fide agitur, non negliges. Ego quum per litteras te alloqui auerem, nec ſatis materiæ ſuppeteret, hinc occaſionem arripui, vt ſe mihi dabat, epiſtolæ familiaris conſcribendæ. Hanc, ni mihi tua humanitas ſpem faceret, ſubuererer equidem, ne Philoſophia, quæ te totum per hos dies in Scholis occupat, vt grauis eſt, nec ad iocos nata, tamquam interturbantem Dauum procul ab ſe abigeret; quod ne forte accidat, deſinam tua tempora, quæ publico commodo impendis, pluribus morari. Vale, & amicos magnos, qui mihi tecum, atque adeo cum ipſis Muſis communes ſunt, ſaluta meis verbis. Belluni IX. Kal. Decemb. M DC XX.

Poſtſcripta.

Mitto quæ Muſa tenuis ad Octauianum Bonum Equitem ampliſſimum: Tu ſi quid ſentiendum ſit de controuerſo Muſarum numero ad me ſcripſeris, rem ages mihi gratiſſimam. iterum Vale.

Hibernam hirundinem alpium, prænuncium
Brumæ rigentis alitem, incanam niuem
Adhuc olentem mittimus cum compare
Nitore amicta purpuræ plumatilis
Sublime collum, ac tergora, vt menſam inſtruant
Tuam BONE optime. indidit nam illud tibi
Gens priſca nomen, hoc fides & recti amor
Virtuſque mergi neſcia, aduerſi licet
Nimbi occuparint æquora, & tumido ratis
Fluctu fatiſcat. munus impar cenſui
Tuo, meoque, non nego; ſed aucupis
Hæc culpa, prædam qui miniſtrat parcius
Empturienti, non mea; ars cui contigit
Seruare Ouile, non volucres fallere.

Illuſtriſſ.

Digitized by Google

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Belluni Epiſc. Aloyſio Lollino Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

NObile tuum iſtud (Illuſtriſſime vir) ac peregrinum eſt accuſandi genus; quod alij contraria ratione, tu laudibus, ijſque minime vulgaribus, acriter vrges ad inuulgandum opus meum de reconditis Antiquorum lucernis, pridem promiſſum, de cunctatione me reprehendis, taciteque ſubaccuſas meam fidem. Gaudeo mirifice me a tanto viro ſic argui, licet immerito; nam obiurgandus aſpere Deuchinus, egregius ille mihi procraſtinator, qui ante pluſculos menſes ab ampliſſimo Senatore Laurentio Iuſtiniano, tunc in viuis agente, meum codicem manuſcriptum habuit ſuo prælo premendum, incœptamque dudum operam, me inuito, & ſæpe incaſſum reclamante diutius intermiſit; atque ab illius viri obitu, varia cauſſatus indies impedimenta, etiamnum intermittit: exorandus eſt mihi patronus aliquis magnæ apud Typographum autoritatis, qui voluminis editionem abſque intermiſſione iubeat, & illi ſegniori teſtudini velum imponens, veloque vehementioris ſpiritus flamen incutiens, tardigradam feſtinare aliquando cogat: hunc mihi Venetijs conquiram e Patriciorum ordine. Poſt lychnorum perennium meditationem, difficillimum aliud argumentum De Nouis aſtris & cometis improbo labore ſex intra libros congerere tentaui, Aſtronomicarum omnium obſeruationum rationem de Peripato reddere conatus: an ſatis oſtenderim Phyſiologiam noſtram cum Mathematica nullas inimicitias agere; ſed miris modis cum ea conſentire, iudicabunt vna tecum tui ſimiles, ingenui nimirum & vere ſapientes: ſpero me proxima æſtate volumini coronidem impoſiturum; etenim poſtremæ partis terminum prope video. Philoſophia certe me nunc totum in ſcholis occupat, & domi; ſed & politiſſimas, eaſdemq. ſolidam ſpirantes eruditionem litteras tuas & ſuſpicit, & amat: me vero abſte in ipſis tam humaniter tractari, hoc ſummæ tuæ beneuolentiæ purum eſt opus, innateq. tibi comitatis; quæ ambæ, vt Lucretianis verbis vtar,

Suaui-

Digitized by Google

Suauiter attingunt, & ſuauiter omnia tractant.

Hodie inter Muſas Antenoreas datum eſt nobis in menſa Prætoria optimi BONI perfrui iucundo nimium ſapore tuarum alpium alitum, ad Illuſtriſſimum virum tranſmiſſarum, & abſte carminibus elegantiſſimis iure celebratarum; quæ in gratiam Senatoris ampliſſimi ſic proferre conabatur Etruriæ Muſa.

Rondine, che da l'alpi a noi predice,
E porta horrida neue, e algente bruma;
E l'augel pinto di purpurea piuma
Il collo e'l tergo in queſta erta pendice,
Mandianti ottimo BON; BON da radice
Di ſtirpe, che l'Italia orna & alluma;
Ottimo da virtù, che non coſtuma
Reſtar ſommerſa in onda predatrice.
Minor del merto tuo, del mio douere,
Nol niego, è il don; ma queſta colpa ſia
Di Vccellator, che poca preda apporte;
Di me non già; cui venne dato in ſorte
Da quei, ch'ogn'animal conſerua e cria,
Seruar l'Ouil, non ingannar le fere.

Sed Latinam tuam non aſſecutam ſe ſentiens erubuit. Doctiſſimos Pignorium, Sandellium, & Sinclyticum (quos magnos amicos tibi mecum, atque adeo cum Muſis communes abſte nuncupari ſum interpretatus) tuo nomine plurimum ſalutaui, tuiſque litteris & verſiculis plurimum oblectaui. De numero vero Muſarum apud Autores vario, quis magis quam tu, vere Muſagetes, veram rationem reddere poteſt? attamen parere debeo tibi, ſupra me ſummum imperij ius obtinenti. Muſæ nomen, vt video, priſcis æquiuocum fuit; modo ad facultates animi, modo ad earum facultatũ operationes, modo ad obiecta tractanda, modo ad ſapientes ipſos homines indicandos vſurpatum; quo factum eſt, vt non idem ſemper fuerit apud autores Muſarum numerus. Porro Scaliger ait, *a Subtiliùs contemplanti mihi videtur Muſarum numerus a canentium numero per initia conſtitutus: itaque eo creſcente ad quartam perſonam vſque, additam a nonnullis & quartam Muſam: aucta deinde varijs in organis arte concentionum, etiam ſeptem productæ: poſtremo ad nonem vſque promota frequentia in eo ſtetit: itque* a 1. poet. c. 2.

non ſine cauſſa; eſt enim perfectiſſimus numerus: ſuper quo multi multa ex Muſicorum præceptionibus tradidere. In quibus ego Scaligerianam nõ agnoſco ſubtilitatem: quum etenim ab initio canentes eſſent vni, & ſinguli; nunquam tamen ab vllo Muſa poſita fuit vnica; quandoquidem priſci Gentilium Theologi duas ab initio Muſas poſuerunt; quarum vnam, quæ meditando inueniret, Meleten appellauerunt; alteram, quæ inuenta certo diſponeret iudicio, Poëticen: quod & ipſemet paullo antea Scaliger obſeruauerat, inquiens, *Iccirco duæ tantum Muſæ per initia creditæ a priſcis Theologis, qui ſe ſe earum diſcipulos cecinere; quarum altera dicta ſit μελετα; quæ quidem meditando inueniret; altera ποιητά, quæ inuenta certo diſponeret iudicio.* & ante Scaligerum tres ad minus fuiſſe vel quatuor, teſtatur Gyraldus, aſſerens, b *Muſarum igitur in primis duo genera fuerunt; antiquarum, quas Cœli, & Terræ filias dixere: & iuniorum, de quibus paullo poſt agendum. &c.* Deinde nec ab inſtrumentorũ muſicorum varietate, nec a perfectione numeri nouenarij Muſas nouem tantummodo fuiſſe dicendũ; tum quia multo perfectior eſt numerus denarius; quod & Bongus adnotauit; cui de Myſtica numerorum ſignificatione tractanti, *Nouenarius numerus ad Denarij non accedens perfectionem, ſed vnitate minor & citra illum deficiens, rerum & operum imperfectionem ac diminutionem deſignat, mortalibus potius & rebus ſeculi competens, quam diuinis,* cuiuſmodi Muſæ creduntur: quin & pluribus Nouenarij numeri deſignat imperfectionem, nullamq. prorſus in eo perfectionem agnoſcit: tum quia muſicorum inſtrumentorum numerus nouenarium excedit; nam apud eumdem Bongum, *Decem fuerunt Cantores Pſalmorum, vt habetur in Miſdrach: Tillim videlicet, Adam, Abraham, Melchiſedech, Moyſes, Aſaph, Dauid, Salomon, & tres filij Choræ; quamquam a noſtris Theologis alij connumerentur, nimirum Moyſes, Dauid, Salomon, Aſaph, Ethan, Ezrachi, Eman, Ezraita, Idithum, & tres filij Choræ, quorum in primo Paralip. nomina recenſentur, videlicet, Aſir, Elcana, & Abiaſaph: Illis correſpondent decem organa, ideſt decem inſtrumenta, vel decem modi Muſicæ, quibus canebantur, ſic dicti apud Hebræos, Neza, in quo canebantur Odæ; Nablum, idem quod organum; Mizmor, in quo Pſalmi; Sir, in quo cantica; Tephila, in quo*

b De Dijs gent. ſyat. 7.

oratio-

orationes; Beracha, in quo benedictiones; Halel, in quo laudationes; Hodaia, in quo gratiarum actiones; Aſre, in quo alicuius felicitas; Halleluiah, in quo laudes Dei tantum, & orationes: Dauid etiam Pſalterium vocat decachordum &c. Sic ergo Scaliger, vt recte numerum Muſarum ab initio binarium fuiſſe notat, ita rationem numeri, & augmenti non recte deſumit a numero canentium, & organorum Muſicalium. Quum ita priſci duas tantum Muſas primo poſuiſſent, Meleten, & Poeticen; poſt, *c* Arnobij relatu, *d* Tzetzis, & *e* Pauſaniæ teſti- c 3. adu. Gēt.
monio, Corinthus Eumelus, & Ephorus tertiam his adiece- d in Heſiod.
runt, quam a Memoria cognominarunt. Mnaſeas deinceps, e in Boeotic.
obſeruatu *f* Lilij, & *g* Arnobij, quartam Muſam numerauit, f 7. synt.
vt etiam *h* Aratus. Quidam apud eumdem *i* Gyraldum Deor.
quinque Muſas tradiderunt propter quinque ſenſus. Epichar- g 3. adu.
mus in Nuptijs Hebes, Myrtilus, ſeu Myrtilus, vt ait Arnobius Gent.
Muſas numero ſeptem commemorauit. Mirum ſane videtur, h 5. aſtron.
neminem antiquorum dediſſe Muſis numerū ſenarium, quum i 7. synt. Deor.
tamen hic *numerus reſultet ex dupla proportione*, vt ait Bongus, *quæ diapaſon conficit omnium conſonantiſſimam; & Orpheus Myſtarū princeps hymnos iubet ſexta generatione finiri, quū ait,*

Aetate in ſexta ſtudium finite canendi.

Crates eidem *k* Arnobio Muſas aſſeuerat octo: ad extremum K lib. 3.
Heſiodus in Theogonia, Homerus, Orpheus, Plato, & omnes alij conſtituerunt Muſas eſſe nouem; nam & Granius apud veteres homo doctiſſimus, Nouenſiles, qui Dei dicebantur Sabinorum a Piſone, Muſas exiſtimauit. Porro neque ratio defuit cuilibet propoſito Muſarum numero; ſiquidem *l* Phornutus, l de nat. Deor.
Duæ, inquit Muſæ dicuntur, propter theoricen, & practicen; nam & diſciplinæ in ſpeculatione, & actione conſiſtunt. Tres Pauſanias in Boeoticis ait conſtitutas, Meleten, Mnemen, & Aoeden, quaſi dicas, Meditationem, Memoriam, & Cantionem; *m* Plutarchus, & Phurnutus, ob ternarij numeri perfe- m 9 symp. q. 14.
ctionem; aut quod tria ſpeculationū genera ſunt; quibus tota Philoſophiæ ratio impletur; quæ ab *n* Ariſtotele diuiſa eſt n 6. met. t. 2.
omnis in partes tres, Mathematicam, Naturalem, Metaphyſicam; Tzetzes propter tres tonos, tria tempora, tres perſonas, & tres deniq. Græcorum numeros, ſingularem videlicet, dualem, & pluralem. Quatuor Aratus, & Mnaſeas, ob qua-

I 2 tuor

tuor dialectos Græcorum, Ionicam, Atticam, Doricam, Aeolicam; & propter alia multa; Phurnutus, quod vetuſta Muſicorum inſtrumenta quatuor habuerint ſonos. Quinque, propter quinque ſenſus, & Phurnuto propter quinque ſonos Muſicorum inſtrumentorum veterum. Septem Epicharmus, & Myrtilus poſuere Muſas, ob ſeptichordem lyram, & propter ſeptem Zonas, ſeptemque ſtellas, & inter hæc ob ſeptem voca- o 7. ſynt. de Dijs Gen. les, & quædam alia, vt ait o Lilius. Octo Crates, ob octo ſphæras cœleſtes aſtris inſignitas ab antiquis cognitas, & ob p 1. poet. c. 2. octo muſicos tonos, vt innuit ipſe p Scaliger. Nouem Heſiodus, Homerus, Orpheus, & alij omnes antiqui, tum quia q lib. 3. Varro apud q Arnobium tradit, nouenarium numerum in monendis, ſiue innouandis rebus potẽtiſſimum ſemper & maximum haberi: tum quia nomen matris Muſarum Mnemoſyne r 9. ſymp. q. 14. nouem litteris conſtet; licet hoc non ita collaudet r Plutarchus, male notatus a s Scaligero, quaſi hoc laudauerit; nam s 1. poet. c. 2. verba Plutarchi ſunt, οὐ γὰρ δὴ πυκαίσε πείθει τὸ Μοῦσας γεγονέναι τοσαύτας, ὅτι τοὔνομα τῆς μητρὸς αὐτῶν ἐκ τοσούτων γραμμάτων ἐςίν. hoc eſt, *Non enim exiſtimo id quoque tibi perſuaſum eſſe, Muſas tot eſſe, quia matris earum nomen totidem conſtet litteris:* non bene vertebat hoc in loco Xilander, *ſyllabis*; nam & Plutarchus quæſtionem propoſuit cur Muſæ nouem determinatæ ſint, neque plures, neque pauciores; in nomine vero Matris Muſarum, quæ *Mnemoſyne* dicitur, quatuor tantum ſyllabæ leguntur: & verbum Græcum γραμμάτων, non niſi litteras ſignificat; quum ſyllaba Grecis pariter dicatur συλλαβή: & quia Plutarchus alias longe diuerſas affert rationes nouenarij Muſarum numeri, dicens eo loco, Muſas eſſe nouem tum quia diſciplinæ omnes quibus Muſæ præficiuntur, Mathematica, Philoſophia, & Oratoria, ſingulæ in tres terniones diuiſæ, nouenarium numerum conſtituunt; ſubdiuiſa Mathematica in Muſicam, Arithmeticam, & Geometriam; partitaque Philoſophia in Dialecticam, Moralem, & Naturalem; ſciſſaque Oratoria in Demonſtratiuã, Deliberatiuam, & Iudicialem; quibus ſingulis vnam Muſarum præponens, nouenarium numerum in illis agnoſcit: tum quia Muſæ ſunt octo globis cœleſtibus præfectæ, vna locum pone

terram

terram eſt ſortita, *Quæ octo ſphærarum,* inquit, *reuolutionibus præſunt, eæ errantium ſtellarum aduerſus inerrantes, & ipſarum inuicem conſeruant harmoniam: vna, quæ locum Lunæ, & terræ interiectum cuſtodit, atque obit, ea mortalibus gratia, rythmi & harmonia (quantũ horum eius ipſos recipere natura ſinit) indit facultatem ac rationem, & ciuilem perſuadendi, qua ſocietas humani generis adiuuetur; demulcetque & ſedat animorum tumultus, vaganteſque veluti ex auijs reuocat placide & componit.* Quam ſententiam quum probabilem aſſerat Plutarchus; aliam veriorem affert, addens, Muſarum vnam Vraniam cœlo deberi, cuius natura eſt vna, & ſimplex; octo alias humanæ vitæ præfici; cuius res ſerias moderentur Calliope, quæ nos ad gubernationem Reipublicæ; Cleio, quæ ad ſtudium honorum, Thalia, quæ ad notitiam Deorum eleuat; Polymnia, quæ diſcendi memorandique animæ præeſt; Euterpe, cui conſideratio veritatis de rebus naturalibus adſcribitur: Res vero iocoſas gubernent in humana vita Erato, quæ præficitur libationibus & amicitiæ, vnde tollat laſciuiam, & molliciem; Melpomene, & Terpſichore moderentur oblectationes aurium, & oculorum. Licet in eo notandus eſſe videatur ipſe Plutarchus, qui eamdẽ Muſam Thaliam, quam nuper ſerijs præfecerat, & nos ad Deorum notitiam attollere dixerat; poſtea iocoſis præſidẽ faciat, & hominem de fero ſociabilem facere moneat in conuiuijs: ideoque qui amice & hilariter compotant, eos Thaliazin dicimus, non qui per vinum culpam committant: tum etiam Muſę nouem dicuntur, quia, vt Phurnutus ait, quos in ſuorum numerum cooptarint, triangulares reddant; talis enim eſt nouenarius numerus, generationem quamdam ſua natura innuens; ac videtur a perfectione primi numeri particeps eſſe; nam ternarius *s* Ariſtoteli primus eſt numerus impar; & nouenarius triplici ternario conſtituitur: tum quia nouem fuerunt ipſarum inuenta; nam Clio reperit hiſtoriam, Thalia plantarum artem, Euterpe Tibias, Melpomene Cantilenam, Terpſichore Choream, Erato Nuptialia, Polymnia Rhetoricam, Vrania Aſtrologiam, Calliope Poeſim. Extat Virgilio adſcriptum *t* Auſonij Epigramma de Muſarum inuentis huiuſmodi nouenarium numerum celebrans,

s 2. *poſt.* 1. 70.

t *Idyll.* 20.

Clio geſta canens tranſactis tempora reddit:

Melpo-

Melpomene tragico proclamat mæſta boatu:
Comica laſciuo gaudet ſermone Thalia:
Dulciloquos calamos Euterpe flatibus vrget:
Terpſichore affectus citharis mouet, imperat, auget:
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu:
Carmina Calliope libris heroica mandat:
Vranie cœli motus ſcrutatur, & aſtra:
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu:
Mentis Apollineæ vis has mouet vndique Muſas:
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus.

Sed hac de re venuſtiſſimum legitur epigramma Græcum his fere notis,

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς,
Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελίνδεα μολπήν,
Εὐτέρπη τραγικοῖο χοροῦ πολυηχέα φωνήν,
Μελπομένη θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε,
Τερψιχόρη χαρίεσσα πόρεν τεχνήμονας αὐλοὺς,
Ὕμνους ἀθανάτων Ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρε,
Τέρψιας ὀρχηθμοῖο πολύμνια πάνσοφος εὗρεν,
Ἁρμονίην πάσαισι πολύμνια δῶκεν ἀοιδαῖς.
Οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων.
Κωμικὸν εὗρε θάλεια βίον τε καὶ ἤθεα κεδνά.

Quod Auſonius fere videtur vertiſſe, quum ad verbum paullo aliter vertendum fuerit, quod præſtare conatur Gyraldus: tum demum nouem eſſe Muſæ dicuntur, quod Orpheus vnicuique ſphærarum cœleſtium, quas octo cognouerat, & Vniuerſitati Mundanæ animam quamdam viuificatricem aſſignabat, quam ille dicebat eſſe Muſam; nam Lunæ Thaliam, Mercurio Euterpen aſſignabat, Veneri Erato, Soli Melpomenen, Marti Clio, Ioui Terpſichoren, Saturno Polymniam, Firmamento Vraniã, Vniuerſitati Mundanæ Calliopen: vnde conſtat a Scaligero nõ diſcernente totum Cęlum a ſingulis orbibus cęleſtibus ſeorſim acceptis perperam accuſari priſcos de nouenario Muſarum numero ducto a numero cęleſtium ſphærarũ, dum inſit, u *Antiqui autem errarunt, qui a cælorum numero eum numerum ductum voluerint: nam octo tantum quum agnoſcerent eo tempore, totidem*

u 1. poet. c. 1.

dem

dem faciebant Muſas; nonam autem Matrem potius, aut nutricem arbitrabantur; aut ad Apollinis referebant poteſtatem. Quem etiam coarguunt ea, quæ Plato, & ex Platone Macrobius de Muſarũ numero retulit: Plato x quidem Muſas appellans nomine Sirenum, quas orbibus cęleſtibus ſingulas attribuit, & nonam toti Mundanæ ſphęrę; Macrobius autem idipſum aſſerens in ſomnio y Scipionis, *Hinc Plato*, inquit, *in Republica ſua, quum de ſphærarum cæleſtium volubilitate tractaret, ſingulas ait Sirenas ſingulis orbibus inſidere; ſignificans ſphærarum motum tantum numinibus exhiberi; nam Siren Deacanens Græco intellectu valet. Theologi quoque nouem Muſas, octo ſphærarum muſicos cantus, & vnam maximam concinentiam, quæ conſit ex omnibus, eſſe voluere: Vnde Heſiodus in Theogonia ſua octauam Muſam Vraniam vocat; quia poſt ſeptẽ vagas, quæ ſubiecta ſunt, octaua ſtellifera ſphæra ſuperpoſita proprio nomine cælum vocatur* (quod & z Ariſtoteles decreuit) *& vt oſtenderet nonam eſſe & maximam, quam conficit ſonorum concors vniuerſitas, adiecit,*

x 1. de Iuſto.

y lib. 1. c. 3.

z 1. cęl. t. 96.

Καλλιόπη θ', ἣ δὴ προφερεςάτη ἐςὶν ἁπασέων.

.i. *Calliopeque, hæc autem excellentiſſima eſt omnium.*

Ex nomine oſtendens ipſam vocis dulcedinem nonam Muſam vocari; nam Καλλιόπη *optimæ vocis Græca interpretatio eſt: & vt ipſam eſſe, quæ conſit ex omnibus, preſſius indicaret, aſſignauit illi Vniuerſitatis vocabulũ,* ἣ δὴ προφερεςάτη ἁπασέων; *hæc autem excellentiſſima eſt omnium.*

Heſiodi vero Carmina ſunt in Theogoniæ principio,

Ταῦτ' ἄρα Μῦσαι ἄειδον, Ολύμπια δώματ' ἔχυσαι,
Εννέα θυγατέρες μεγάλη Διὸς ἐκγεγαῦαι,
Κλειώτ', Ευτέρπη τε, θαλεία τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ερατώ τε, Πολύμνια τε, Ουρανίη τε,
Καλλιόπη θ'. ἣ δὲ προφερεςάτη ἐςὶν ἁπασέων.

.i. *Hæc ſane Muſæ canebant, cæleſtes domos tenentes,*
Nouem filiæ magno e Ioue prognatæ,
Clioque, Euterpeque, Thaliaque, Melpomeneque,
Terpſichoreque, Eratoque, Polymniaque, Vraniaque,
Calliopeque: hæc autem excellentiſſima eſt omnium.

Plutar-

Plutarchus item in Sympoſiacis agens ex profeſſo de Muſarum numero ſcribit, a *In ore omnes habent nouenarium numerum; & nemo non eum decantat, vt qui primum ſit primi imparis quadratum, & pariter impar, ſcilicet qui in tres æquales diuidatur impares. Atque bis adde numerum hunc e primis conflatum eſſe cubis, vnitate & octonario: rurſumque alio modo e duobus triangulis, ternario, & ſenario; quorum vterque perfectus eſt.* & mox. *Enimuero priſci quum obſeruaßent omnes ſcientias, & artes, quæ ratione, & ſermone abſoluuntur, in tribus verſari generibus, Philoſophico, Oratorio, & Mathematico: dona hæc fecerunt trium Deorum; quas Muſas dixerunt: Poſt, & ſub eamdem ætatem Heſiodi, quum iam facultates iſtæ latius ſe proferrent; in partes ſeu formas quum diuiderent, animaduerterunt vnamquamque tria in ſe continere diſcrimina, ſcilicet ineſſe in Mathematica Muſicam, Arithmeticam, Geometriam; in Philoſophia diſſerendi vim, Morum & vitæ rationem, Naturæ conſiderationem; in Oratoria primum Exornationis extitiſſe, deinde Conſultationis, vltimo Iudicialem facultatem: quarum omnium quum cenſerent nihil Deo, Muſa, meliorique principio & præſide carere, bina ratione totidem Muſas non fecerunt, ſed agnouerunt. Sicut ergo nouenarius in tres diuiditur terniones, quorum quiuis denuo in tres vnitates ſecatur: ita vnicum & commune eſt, Orationis circa veritatem rectitudo: diuiditur autem in tria genera, quorum vnumquodque in tria ſingularia diducitur; quorum vnicuique ſua obtigit Muſa, eius fouens ornanſque facultatem.* Sed & Magi, qui cœleſtibus ſiderum errantium globis quadratos numeros dicarunt, Nouenarium Saturno conſecrauerunt, obſeruatu b Bongi: eſt autem Saturnus præſes diſciplinis, atque litteratis; qui c Ariſtotele doctore ſunt vel natura, vel officio melancholici; atque adeo Saturnini; quum ergo Muſę ſciẽtias indicent, & homines litteratos; vt late probauimus etiam in Encyclopędia d noſtra ad Aram Lemniam Doſiadę; iam apte congruit Muſis numerus nouenarius; in quo conquieuit omnis Antiquitas, eum non prætergreſſa. Ceterum vt nemo ſeniorum Muſam vnicam vnquam eſſe cõſtituit optima ratione; quod ab Ioue principium Muſæ retineant, vt inquit Heſiodus in Theogonia; vnitas tantum Deo competit adeo, vt quęcumque a Deo ſunt, dualitate, ac pluralitate notentur; quum ab eo ſimpli-

a *lib. 9 q. 14.*

b *de myſt. num. ſign.*

c *30. ſect. probl. 1.*

d *cap. 6. in f.*

ſimpliciſſimo pendentia, ſaltem ex actu & poteſtate conſtituantur, eſſentiaque donentur habente partium multitudinem: ita nemo repertus eſt vnquam (quod obſeruabamus) qui Muſis numerum Senarium attribuerit; quum tamen ſenarius numerus obſeruatu Bongi tribuatur Veneti a Martiano Capella, quæ fortaſſis ideo Mater Harmoniæ dicitur, quod ſenarius fuerit primus harmoniæ genitor; namque reſultat ex dupla proportione, quę diapaſon conficit omnium conſonantiſſimã. Sed non ne mentis inops ego ſim, qui plane ἄμουσος de Muſis ad te Muſarum Myſtam eruditiſſimum ſcribere non dubitem? Vale, decus Antiſtitum, & me amare perge. Patauij. VIII. Idus Decemb. M DC XX.

De Annulorum ferreorum, & aureorum vſu apud antiquos Romanos.

Aloyſius Lollinus Bellun. Epiſc. Fortunio Liceto S.P.D. Epiſtola XV.

MVltum tibi mi Licete debeo tanquam luculenti nominis pararío, quod mihi voluptatis, fructuſque affert, afferetque, vt diuinat animus, in dies plurimum. Ecquodnam nomen iſtud ſit rogas? Stroza tuus, idemq. tuo beneficio meus; iuuenis lectiſſimus, ſi ætatem reſpicis; ſin ingenij monumẽta, ſi vorſam, prorſamque nõ in vno genere facũndiam, veteranus in ſtudijs miles, immo rudiarius. Equidem delector mirum in modum ipſius litteris ſcriptis peramanter; oratione funebri capior ſummopere, totaque illa exequiali pompa ita ſane graphice deſcripta, vt lectorem ſpectatorem reddat e veſtigio: promiſſis etiam non parum ducor perquam amplis, quibus ſpem nobis facit, ſeu potius fiduciam fore, vt breui poematis exorſum non tenue legamus, quo Venetæ Vrbis incunabula perſequitur grandiori ſtylo. Sed heus tu, laudum tuarum pondere nimium nos oneras, dum ornas, an illis pro dignitate reſponſuri ſimus, ſuſque deque habens: proinde vt reſtrictius porro agas ſane cenſeo, niſi vis me famæ ſponſoris periculo decoquere, ſi occaſio faciendi apud Agonothetas periculi vſ-

piam inciderit. Ceterum an putes apud Romanos meliores aureorum annulorum vſum fuiſſe, an ferreorum tantum priſcis illis temporibus, mihi ſignificare ne moleſte feras. Vale Lycei columen, & rem poſteritatis ſtrenue, vt cœpiſti, gere. Bellun. Nonis Auguſti M DC XXI.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Bellun. Epiſc. Aloyſio Lollino

Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

STroza quidem noſter omnia meretur genera laudum: Tu vero vir eruditiſſime, omnia laudum genera ſupergrederis, irrito conatu ſummæ modeſtiæ tuæ, quæ te infra laudes meas deprimere tentat. Ad annulorum priſcorum materiam quod attinet, noui doctos viros exiſtimaſſe, ferreos annulos melioribus olim ſeculis antecelluiſſe annulis aureis, & argēteis; quod & Iupiter Prometheo ferreum donauerit; & Romæ Senatores, & Lacedæmone Reges ipſi digitis illis ferreos annulos induerint, quibus maximam orbis terrarum partem temperabant: vt deplorandæ ſint rerum vices; nimirum ferreos annulos tunc ab aureis viris habitos; poſterius ab homunculis plumbeis, vel ficulnis potius aureos paſſim geſtari: ferreis annulis oneratas manus, Aſiæ aurum diripuiſſe; & Libycas opes funditus euertiſſe; neque a barbaris vnquam poſt tergum reuinctas fuiſſe; niſi quum pluſquam tria modiorum millia aureorum annulorum Romanus miles in caſtra inuexit. Verum enimvero longè mihi alia mens eſt in propoſito; nam etſi homines antiquiores ferreis annulis vtentes, ob frugalitatem & fortitudinem antecellerent ijs, qui nimio luxu molliti poſtea geſtabant annulos aureos, & argenteos; non tamen ideo ferrei annuli argenteis & aureis vnquam antecelluerunt; ſed ſemper his dignitate conceſſere plurimum; etenim repertis aureis & argenteis tantummodo deſpectui ſunt habiti ferrei annuli. Prometheo quidem Iupiter annulum ferreum donauit, at nō honoris ergo, ſed mœroris atque doloris cauſſa; vt continuã ſuæ pœnæ memoriam amaram ſecum geſtaret Prometheus; Iupiter eum ſoluens ex Caucaſo, iuſſit vt annulum catenæ, qua tamdiu vinctus fuerat, cum ſcrobe ſaxi ſecum ſemper deferret; quam hiſtoriam refert

etiam Plinius inquiens, *a Peſſimum vitæ ſcelus fecit, qui an-* a lib.33 c.1.
nulum primus induit digitis: nec hoc quis fecerit, traditur: nam
de Promethæo omnia fabuloſa arbitror; quamquam illi quoque
ferreum annulum dederit antiquitas; vinculumque id, non ge-
ſtamen intelligi voluerit. Pierius in eamdem ſententiam ſcri-
bit, *b Promethea olim Saturni lege perpetuis vinculis ab Ioue* b Hierogl.
damnatum, ea mox conditione liberatum, vt inde annulum lapi- 56.
de & ferro compactum geſtaret, ne omnino exolutus pœna vide-
retur; indeque annulorum vſum propagatum. Sed ante hunc
Cœlius inquit, *c Prometheum quum Ioui Parcarum ſortem pa-* c 2 ant lec.
tefeciſſet de Thetidis filio, quem patre illuſtriorem ampliorem q; cap.7.
futurum cecinerant, ab eo vinculis liberatum; ea tamen ratione,
vt annulum lapide & ferro compactum geſtaret; ne omnino pœ-
na videretur exſolutus; quod & annulorum initium agnoſcitur
primum. Ceterum antiquiores Romanos prætuliſſe ferreis an-
nulos aureos, oſtendit Plinius iunior, inquiens vſum annulorũ
aureorum ſeruis interdictum, fuiſſe proprium Senatorum, ac
Prætoriorum, his plane verbis, *d Omitto quod Pallanti ſeruo* d lib.8.epi.6.
prætoria ornamenta efferuntur; quippe offeruntur a ſeruis: mitto
quod cenſent, non exhortandum modo, verum etiam compellen-
dum ad vſum aureorum annulorum: erat enim cõtra maieſtatem
Senatus, ſi ferreis Prætorius vteretur. Verum & Plinius auun-
culus aſſerit, *e His, qui Legati ad exteras gentes ituri eſſent,* e lib.33.c.1.
aureos annulos publice donari conſueuiſſe; quoniam ita extero-
rum honoratiſſimi intelligebantur. Neque Romanis alijs aureo
annulo vti mos fuit, quam qui ex ea cauſſa publice accepiſſent;
vulgoque ſic triumphabant. additque mox. *Hi quoque, qui ob*
legationem acceperant aureos, in publico tantum vtebantur eis;
intra domos vero ferreis. Adſtipulatur his Macrobius, refe-
rens ex Pontificali Romanorum libro de annulis iſta, *f Vete-* f 7.Satur.c.
res non ornatus, ſed ſignandi gratia annulum ſecum circumfere- 13.
bant: vnde nec plus habere quam vnum licebat, nec cuiquã niſi
libero; quos ſolos fides deceret, quæ ſignaculo continetur: ideo
ius annulorum famuli non habebant: imprimebatur autem ſcul-
ptura materiæ annuli ſiue ex ferro, ſiue ex auro foret: & geſta-
batur vt quiſque vellet, quacumque manu, quolibet digito. poſtea
vſus luxuriantis ætatis ſignaturas pretioſis gemmis cœpit inſcul-
pere; & certatim hæc omnis imitatio laceſſiuit, vt de augmento

pretij, quo ſculpendos lapides putaſſent gloriarentur. Hinc factum eſt, vt vſus annulorum exemptus dextera, quæ multum negotiorum gerit, in læuam relegaretur, quæ otioſior eſt, ne crebro motu & officio manus dextra pretioſi lapides frangerentur. Electus in ipſa læua manu digitus minimo proximus, quaſi aptior ceteris, cui commendaretur annuli pretioſitas: nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in ſiniſtra ceſſat, nec minus quam tota manus ſemper in officio eſt: vnde apud Græcos g *ἀντίχειρ vocatur, quaſi manus altera: pollici vero vicinus nudus & ſine tuitione alterius appoſiti videbatur; nam pollex ita inferior eſt, vt vix radicem eius excedat. Medium, & minimum vitauerunt, vt ineptos, alterum magnitudine, breuitate alterum: & electus eſt qui ab vtroque clauditur, & minus officij gerit; & ideo ſeruando annulo magis accomodatus eſt. Hæc ſunt quæ lectio Pontificalis habet.* Ex quo Macrobij loco plane conſtat, annulorum ferreorum vſum antiquiorem non fuiſſe aureorum vſu, ſed frequentiorem: Liquet etiam ex vtroque Plinio, melioribus olim ſeculis apud Romanos pluris æſtimari cōſueuiſſe annulos aureos quam ferreos. Quod & Suetonius innuit, aſſerens a Cæſare dictatore Decium Laberium Equitem Romanum donatum fuiſſe annulo aureo. Sique conceſſero vetuſtiſſimis Numæ, Seruijque Tullij Regis temporibus apud Romanos non fuiſſe vſum aureorum annulorum, non tamen ideo dabo tunc illis Regibus geſtatos fuiſſe ferreos, quod illis honos daretur ſupra aureos; at quia tunc aurum Romæ nō erat in ea copia, vt ex ipſo fierent annuli; ſiquidem Plinij teſtimonio, Romæ aurum non fuit niſi admodum exiguum longo tēpore; quo ne Senatum quidem Romanum habuiſſe annulos aureos manifeſtum eſt; vnde nō frugalitate, ſed neceſſitate coacti, ob paupertatem ac penuriam auri, ferreos annulos communiter geſtabant Romani, nō autem electione ducti, ob parſimoniam ac temperantiam, qua ferreos annulos aureis anteponerent. Miraturque Plinius in Capitolio Romuli ſtatuam nullum annulum habuiſſe, Numæ Seruijque Tullij ferreum habuiſſe, at poſt hos ne Lucij quidem Bruti, neque Tarquiniorum ſtatuas vllos habuiſſe annulos, neque aureos, neque ferreos: & annulorum loco Priſci Tarquinij filium, quum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donatum; vnde maiorem etiam

g *Contra manus.*

tum

tum auri quam ferri fuiſſe æſtimationem conſtat. Idem euincas de Lacedemonijs; nam & Homerus longe pluris æſtimat aurea arma Glauci, quam ferrea Diomedis; dum illa centum, hæc autem nouem bobus valere monet; adeoq. Glaucum ſua cum Diomedeis permutantem arma, ſtultitiæ accuſat his metris,

Ενθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς,
Ος πρὸ Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε,
Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

hoc eſt,

Tum vero Glauco Saturnius mentem ademit Iupiter,
Qui cum Tydide Diomede arma permutauit,
Aurea ferreis, centũ bobus valentia nouẽ bobus valentib.

Quem Homeri locum latius explicauimus in Encyclopędia noſtra ad Aram Lemniam Doſiadæ. Ceterum quod Romani Antiquiores annulis ferreis vtentes diripuerint opes Aſiæ, mirum non eſt; nam a pauperibus ditiorum gazam diripi, nouum nõ eſt; immo vero virtutis opus non eſt: Romanos poſterioribus temporibus auri copia luxui deditiores, ac luxu mollitos, a Pœnis victos aliquando fuiſſe, notiſſimum eſt: ſed non ideo auro pollentiores hos pauperioribus illis deteriores fuiſſe, dicendum eſt; quia poſt illam cladem Romani ditiſſimi, tandem Punicum imperium funditus euerterunt, Carthagine deſtructa, & orbem terrarum fere ſuæ ditioni ſubiecerunt. Nec abſolute ferrum auro præferendum eſt; nec antiquitus prælatum fuiſſe, confitendum eſt; quoniam & in ſacris *b* litteris habemus, Deum iuſſiſſe altaria laminis aureis obtegi, nõ ferreis: & apud *i* Platonem legimus, ex Heſiodo meliores homines aureos appellari, gentem vero prauam ferream nuncupari: & apud Poetas meliorem ætatem **k** mundi auream dici, peiorem ferreã. Sic ergo, vir eximie, nunquam ferrum auro fuit antepoſitum: & hæc de annulorum vſu apud antiquos mea mens eſt. Vale, meque Tibi deditiſſimum amare ne deſinas. Patauij. V. Kal. Septemb. M DC XXI.

b *Exod. 30. & 40.*

i *In Cratylo.*

k *Ouid. 1. metam.*

An Conchæ coitu naſcantur, & oſtreacea ſtimulent ad venerem.

Cl. Viro Fortunio Liceto Ioannes Veslinguius S. Epiſtola XVI.

ROgabat, quum forte obuiam mihi fieret S. Sophia noſter, ecquid ad te vellem? Reſpondi, nihil eſſe rerum omniũ, quod Clariſs. Liceti cauſſa ſerio non velim, non exoptem: arreptoque protinus calamo, ne verba dediſſe viderer, importunitatem meã, qua diuinis cogitationibus tuis remeligõ forſan obijcior, alieno velo ac veſte obtegendam duxi. Degimus hic diuino munere ſatis feliciter, & in ameno hoc Chloridis circo, plena manu Muſis, ac bonæ Menti litamus, ringente licet, ſequo ipſam lacerante inuidia. Quid ineunte officio in panegyri publica diſſeruerim, vrgentibus amicis typis expreſſum, litteris hiſce ſubiunctum Exc. tuæ tranſmitto; minime dubius, a tam beneuolo pectore tuo æquum de eo benignumque iudicium profecturum; quum nõ tam Philoſophi amuſſim, quam Rhethorum condimenta ſecutus fuerim. Niſi quid voto meo obſtiterit, menſe Auguſti proximo iter habiturus ſum Romam, ea ſpe ſubnixus fore vt in tranſitu Bononiæ Licetum quoque meum complectar. Vale feliciter virorum optime, & abſentis amorem feries, nutriaſque. Si placet, ac ſi vacat, interim tua ſententia de concharum coitu, & oſtreorum ſtimulo ad venerem, me participẽ habeas. Patauij, VI. Kal. Iul. MDCXXXVIII.

Cl. Viro Ioanni Veslingio Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

NVllæ mihi fuerint, vir egregiæ, litteræ tuæ remiligines in ſtudijs; at calcaria potius ad Naturæ myſteria intimius indaganda. Summopere gaudeo te cũ Chloride feliciter æuum degere, ac extra inuidiæ aleam poſitum Muſis litare: quibus certe dicta panegyris in horto non potuit nõ fuiſſe fragrantiſſimum

mum holocauſtū; nam & me tam diſtantem iucundiſſimo potuit odore perfundere. Perge vir eruditiſſime conſimilibus ingenij tui fructibus annonā litterariam locupletare. Auguſtum aduentum tuum cupidiſſimis animis expecto; vt coram te de multis alloqui valeam, & te videre. De problemate Concharum, & oſtreorum ſtimulo ad venerem, ambigunt ſapientes: a Fulgentius quidē ille Mythologus agens de Venere dicebat, *Hanc etiam in mari natantem pingunt, quod omnis libido rerum patiatur naufragia: vnde & Porphyrius in epigrammate,* a lib.11.mythol.

Nudus, egens, Veneris naufragus in pelago.

Concha etiam marina pingitur portari, quod huius generis animal toto corpore ſimul aperto in coitu miſceatur, ſicut Iuba in Phyſiologis refert. Cui conſentire vir doctus ait Ariſtotelem, dum meminit concharum b grauidarum; grauidæ ſiquidem non videntur eſſe poſſe ſine coitu. Ceterum ego non cenſeo Conchas coire, nec Ariſtotelem tale quid vnquam dixiſſe; ſed viceuerſa Conchis, & omnibus oſtreaceis coitum interdixiſſe; clara legitur eius opinio, his notis; c *Mox de generatione eorum, quæ vel coeant, vel non coeant, commentabimur: & primum de ijs, quæ ſiliceo tegmine operiuntur: hoc enim vnum fere genus totum expers coitus eſt.* & mox: *Teſtacea denique omnia ſponte naturæ in limo diuerſa, pro differentia limi oriuntur: nam in cænoſo oſtreæ, in arenoſo conchæ, & reliqua, quæ modo enumeraui: Rimis, cauerniſque ſaxorum vertibula generantur, & glandes; & quæ per ſumma adhærent, vt patellæ, & natices.* ac infra: *Cancellus ille Concharū hoſpes, principio ex terra limoq; conſiſtit: mox conchulas ingreditur vacuas: vbi quum excreuerit, tranſit in Concham ampliorem, videlicet aut naticis, aut turbinis, aut alicuius ſimilis: ſæpe enim in parua buccina ſubit; ingreſſuſque ampliorem, illam gerit pari modo, viuit in domicilio capaciore, rurſuſque excreſcens aliam petit ampliorem.* Et ſi vero meminit Ariſtoteles alibi concharum grauidarum; illas tamen ait eſſe grauidas, vt pleraſque alias animantes, abſque maſculo, ac proinde ſine coitu; *Sexus autem,* d inquit, *maſculinus femininuſque non in omnibus animantibus eſt: ſunt enim, quibus id deſit; ac ſimilitudine quadam & parere dicantur, & ferre vterum: ſexus ergo diſcrimen in animalibus, quæ vitā ſtabilem viuunt, aut omnino in ijs, quæ teſta teguntur, nullum omnino*

b 8. hiſt. cap. 30.

c 5. hiſt. c. 15.

d 4 hiſt. cap. 11.

nino eſt . & mox. *Ad hæc in teſtaceis, atque in ſtirpibus, quod pariat, & generet, eſt; quod autem maris fungatur officio, deeſt.* Quare Conchæ grauidæ ſunt ſine coitu; quin & abſque partu: ſed quia ſeminali quodam excremento turgent, quo emiſſo e ſauaginem, & florem faciunt; ex quo ſponte naſcuntur alia ſui generis: en verba Magiſtri, f *Diſcrimen enim animalium, vt proſperè, contraue exigant, vel vtero pleno exiſtere nouimus. Teſta enim intecta, tunc optima ſunt, quum grauida; vt late in locuſtis, & reliquis huiuſcemodi patet. Sed quamquã teſta intecta grauida dicimus; tamen nullum eorum vel coitum, vel partum videmus. Cruſta intecta nimirum & coire, & parere percipiuntur.* Conchæ vero quum integantur teſta, non autem cruſta; iam grauidæ ſunt ſine coitu, ac ſine partu. Sed & inter ea, quæ coeunt, nonnulla viuentia ſine coitu grauida fieri, conſtat ex Ariſtotele ſcribente in hanc ſententiam; g *Terræ Perſicæ parte quadam mure femina reſciſſa, fœtus feminini prægnãtes comperiuntur. Sunt qui vehementer confirment, mures ſi ſalem lambant, impleri ſine coitu.* Quam ſententiam & Plinius attulit aſſerens, h *Generatio murium lambendo conſtare, non coitu, dicitur: apud Perſas vero prægnantes & in vtero parentis repertas. Et ſalis guſtatu fieri prægnantes opinantur.* Quare iam Fulgentij mythologia de Concha Veneris vero non innititur fundamento. Sed ego dixerim a Poetis propterea fingi, Venerem Concha vehi, quod Concharum eſus hominibus afferat ob flatulentiam impetum ad coitum, & venereorum deſiderium; libidiniſque membra ſuſcitet, ac eorum tentiginem promoueat; nam & apud Boccatium, i *Veneri myrtus dedicata eſt, quia ex baccis eius aliquod compoſitum fiat, per quod excitatur libido, ac etiam roboratur; quod teſtari videtur Furius Poeta Comœdus, dum Dionem meretricem inducit dicentem,*

c ibid. & 3. de gen. an. cap. 3. & 11.
f 8. hiſt. c. 30
g 6. hiſt. c. 37
h lib. 10. c. 65.
i 3. Geneol. Deo. c. 22.

Myrinum mihi affers, quod Veneri armis occurſem fortiuncula, &c.

Et apud k Martialem oſtrei concha de ſe dicit in diſticho,

Ebria Baiano veni modo Concha Lucrino:
Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.

Scio l Iouium de Piſcibus agentem, velle oſtrea adaugere tentiginem in ſalacibus, quia ſalſum humorem aggenerant, & præſertim ſi cruda comedantur; quod auctoritate Plinij confirmat.

k lib. 13. epig. 82.
l lib. 1. c. 41.

firmat. Ceterum ſalſedo poteſt quidem ſemini conciliare ſtimulum acrimoniæ; ſed ipſa membrorum venereorum tentigo non aliunde petendà, quã ab vbertate flatuum, quibus replentur pudendorum venæ, ac turgeſcunt mirum in modũ arteriæ; ſiquidem tubera, quę ſalſa non ſunt, ſed inſipida penitus, nihilominus excitant tentiginem, quam oſtrea: cõſimiliter legumina, fabæque præſertim ob flatuum copiam, quam alimento communicant, homines ad Venerem excitant, mireque ſollicitant: quo nomine fortaſſis etiam Pythagoras ab eſu fabarum abſtinendum eſſe præcipit ſuis auditoribus, qui vitam caſtam & puram aſſeclas ſuos obſeruare volebat. Pari ratione Satyrium, & Orchis, quorum ſapor ſalſus non eſt, ſed dulcis, at ſubſtantia flatuum procreatrix, miras habet vires excitandi venerem in vtroque ſexu, teſtimonijs *m* Dioſcoridis, & Galeni dicentis, *n Orchis, nuncupatur & herba hæc Cynos orchis. Radici eius bulboſæ ac geminæ vis ineſt humida & calida; ac guſtantibus dulciuſcula eſt. Ceterum maior radix multam habere videtur humiditatem excrementitiã, & flatuoſam; quapropter epota venerem excitat. Altera vero, minor videlicet, e contra: nimirum ad modum elaborata; vt ſit eius temperamentum ad calidius & ſiccius vergens. Itaque hæc radix tantũ abeſt vt ad coitum ſtimulet, vt etiam plane contra cohibeat, ac reprimat. Eduntur bulborum more toſtæ. Orchis, quem & Serapida nuncupant, ſicciorem facultatem obtinet, quam vt primi ordinis haberi mereatur; quocirca nec perinde ad venerem accommodus eſt.* Vnde plane conſtat, Concharum eſu non ideo Venerem ſtimulari, quia ſalſum alimentum præbeant; quod ſalſedo ſiccitatem affert, quæ venerem minuit; ſed quia calida & humida temperie quum prædita ſint, multos flatus procreant, quibus membra veneris maxime turgent, ac tentigine coitum poſtulant. Sed quid ego pluribus ad te Botanicum primariũ de hiſce ſcribo? non ne videar ſus Mineruam? Vale, vir egregie, & ad nos propera. Bononiæ. IV. Non. Iul. M DC XXXVIII.

m lib. 3 cap. 124. & ſeqq.
n 8. de ſimpl. med. facult.

L De

De Apologetico ſcribendi munere intermittendo, & de ſenſu Ariſtotelis circa legem Hebræorum.

Gabrielis Naudæi ad Clariſs. V. Fortunium Licetum Epiſtola XVII.

QVanquam a decennio, quo primum, Fortuni Licete, tuam in familiaritatem vt admitterer, ingens me & illuſtris ac peruagata compulit virtutum tuarum apud bonos omnes & eruditos admiratio, nihil prius in optatis habuerim, quam ex libertate, qua me donatum voluiſti, tecum agere cum præſens Patauij aderam, & abſens poſtea tractare per literas de ijs rebus, quarum me cognitio non ornatiorem modo, ſed meliorem etiam efficeret; multaque ab illo tẽpore viciſſim inter nos dicta & ſcripta ſunt, de quibus ad te continuo, quem doctiſſimum & ſapiẽtiſſimum eſſe cognoueram, referendum eſſe ſum arbitratus; ita vt vel teipſum teſtem adhibere maximopere idoneum non dubitem, inter tot epiſtolas, quas mutuæ noſtræ neceſſitudini conſeruandæ per ſingulos ferme tabellarios ad te dedi frequentiſſime, nullam prorſus excidiſſe mihi, in qua munus iſtud aſſumpſerim, docendi te ac commonefaciendi de re aliqua; quaſi per te ſatis illam ſcire ac perſpicere non poſſes. Neſcio tamen quomodo ita nunc impellor frequentibus literis & vocibus eorum, qui tuo præ cæteris honori, & Reipublicæ Literariæ commodis cõſultum volunt, vt venia mihi a te neceſſario impetranda ſit iſtud ſemel, & hoc præſertim tempore, quod conuenientiſſimum eſt, faciendi. Cupio igitur, ſi fieri poſſit propitijs auribus tuis, quid Homines eximie-periti, & in tuis rebus non minus forſan quam in ſuis oculati, cenſent, huc afferre, & acerrimo tuo iudicio relinquere diſcutiendum. Conſiderant autem ipſi, & apud ſe perpendunt diligenter, te in eo ſtatu collocatum eſſe, vt quam olim de ſe Hominum expectationem concitarunt Zabarella, quam ante illum Picolomineus, atque Pendaſius, & his antiquior Pomponatius, & alij excellentes Philoſophi, qui exulantem & tantumnon extinctam Barbarorum incurſionibus Philoſophiam in celebriora Italiæ Gymnaſia reduxerunt; eandem nunc ſolus in Europa ſartam tectam

ſuſtineas; qui per improbos labores, & eruditionem, quam ſupra humani vim ingenij ad eius ſtudium & illuſtrationem attuliſti, iſtud tandem conſecutus es, vt cum hi, quos antea nominabam, Philoſophorum Coryphæi plurimum laudis & exiſtimationis in ea diſciplina grauiter excolenda retulerint, nullus tamen eo felicitatis progreſſus ſit, vt ſeu multitudine librorum editorum, ſeu ipſorum varietate & elegantia, aut docendi & ſcribendi facilitate paria tecum facere poſſit vel debeat. Quare ſi te iam in æternitatis Sudo conſtitutum dixerim, quo pertingere non poſſunt improborum voces, non liuor æmulorum, non calumniæ aut tela aduerſariorum, a quibus certe non magis timere debes quam Olympus a ventis quos excedit, aut a mari tempeſtuoſo rupes Cyanea, in quam illati fluctus ſuo ſe illiſu diſſipant & infringunt: nihil equidem mentiar, aut quicquam dixerim quod mecum omnes nō ſentiant viri quotquot ſunt in Orbe celeberrimi, quorum adeo conſtans eſt de præclaris tuis ac eximijs virtutibus ſententia, vt nulla de re quam de ipſis lubentius aut maiori inter ſe conſenſu ſtatuant non eſſe dubitandum. Hæc vero cum ita ſint, moleſte ferunt ijdem ac ægerrime, tibi inter grauiora eiuſmodi ſtudia ſeneſcenti obices quoſdam ac veluti Rémoras inijci a maleferiatis quibuſdā hominibus, qui dum te minus forſan exploratis rationibus vſum contendunt in quæſtionis alicuius diſceptatione, & gloriā ſibi quærunt nō vulgarem ex eiuſdem accuratiori & magis dilucida expoſitione; minus quidem culpandi eſſent, ſi operæ pretium illis eſſet ſolidis & grauioribus argumentis quam tua ſint, hoc vnum quod in ſe recipiunt, præſtare: ſed horum loco cum rationes ita leues afferant, vt eas dum refellis videaris mihi cum Aenea Virgiliano perſequi tenues ſine corpore vitas, aut auras potius inanes conſectari, quæ tandem in ſcommata & a μαγειρικὰ ῥήματα ſe reſoluunt, non ſecus profecto quam nubes in pluuiam faceſſit, & nimius aeris tepor deſinit in fulmen & tonitrua. Quis iam non videt? ambitione potius illos duci quam vt Philoſophiæ ſubueniant, aut opitulentur veritati. Quamobrem oro te obteſtorque, doctiſſime Licete, vt me tanquam ab omnibus amicis tuis, viris certe prudētiſsimis & optimis, delectum patienter audias, dum enixe & quantum in me ſitum eſt, a te cōtendam vt etiamſi calamo ſemel aduerſus eos

a *Sordidos ſermones.*

concitato, qui te quaſi ſcopum habent ſuæ maledicentiæ, & vnum ferme deligunt e multis quem impudenter laceſſant, temperare tibi admodum difficile ſit, non tamen agas cum illis nimis acriter, & in poſterum ſis minus de ſtulta illorum garrulitate ſollicitus. Quid enim Lunæ deperit, etiamſi canes illam allatrent? Quid Soli, quando integræ gentes & nationes conuicijs illum inſectantur? Quid Cœlo, ſi ſputis aut luto appetatur? Quid Herculi, ſi magno tumultu Pygmæi in ipſum moueant? Quid Diogeni, ſi furens aliquis cæco impetu in eum irruat? Quid denique Virtuti nocet, immo quid tibi, ſi ignari & mali & inuidi, qui neminem eminentium virtutum abſque contumelia appellant, earum quoq; ſplendorem ac expreſſam effigiem ferre in te nō poſſint? Permitte igitur illos ſuo Genio libenter indulgere, & libros quos facis indies nouos mehercle & elegantes, ſine rimentur ac explorent non ad Critolai modo lancem, aut Demoſthenis lucernam, ſed eorū etiam more qui nodum in ſcirpo quærunt; & magnas crebraſque tempeſtates excitant in Simpulo; etenim tantum abeſt vt quicquam his rumoribus & b μωρολογίαις tuo nomini detractū iri arbitrandum ſit, quod ex aduerſo non minimum ei dignitatis accreſcet eo ipſo, quod vnuſquiſq; facile indicabit oportere libros tuos magni pretij eſſe, cum quibus ſic agitur ab illis, qui ſe alicuius forſan adumbratæ eruditionis opinione, quam de ſe habent, aliorum operum Cenſores conſtituunt; & hunc præterea ſingularis tuæ humanitatis & beneuolentiæ fructū percipies vberrimum, quod hi nullo tuo periculo aut incommodo poterunt ſuam ſibi ſcabiem ac pruritum defricare; nam etiamſi toties in te iaculando aliquando collineent (vt hoc illis dem) & tu ipſe leuiter in minutis offenderis, in quibus explorandis mirum eſt profecto quam diligentes ſint & ſupra modum ingenioſi oculatique; non propterea tamen minor eris apud bonos omnes & eruditos in exiſtimatione; cum illis abunde perſuaſum ſit c τὸ ἀναμάρτητον maius quiddam eſſe quam vt ab homine præſtari queat. Et ſane cum illud Horatio viſum itidem eſſet, ſequentes verſus protulit in gratiam Poetarū, quibus tunc ſcribebat; quos, ſi me audis, eruditiſſime Licete, in tuam quoq; aduerſus obſtrepentes æmulos vſurpabis,

Verum vbi plura nitent in carmine, non ego paucis

b *Maledictis.*

c *Impeccabile eſſe.*

Offen-

Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura . . . .

Si vero tantum nugantur, & d *νεανικῶν* ineptiunt, licet ætate decrepiti; ſatis tibi debet eſſe repoſitum præſidij contra illorũ morſus & aculeos in ipſa veritate; quæ ſeipſa facile in omnium oculos incurrit; ac ſimiliter in doctrina tua, quæ adeo excellens eſt, vt neminem latere poſsit; dum nouo quotidie partu Philoſophiæ campos fœcundat, & tam facile Nemeſes vibrat in Zoilos, quã ex Apennino præcipitantur flumina. Enimvero cum ex illis quidã ſint Rupices & improbę dicacitatis homines, qui nullo ſenſu ducuntur honeſtatis, nec alia intentione in e *σφάλματα* tua inquirunt, quam vt literas, rem omnium ſanctiſsimam, malignitatis ſuæ miniſtras habeant, atque ex floccis & nęuis, qui tibi ſerias inter meditationes occupato humanitus excidunt, famæ ſibi acceſsionem apud imperitos faciant

d *Pueriliter.*

e *Lapſus.*

Vilia vendentes tunicato ſcruta popello.

Alij vero tam præclare ſiht a natura & cõtinuis laboribus ſubornati ad doctrinam, vt in tuas & aliorum opiniones tantũ ſibi licere arbitrentur, quantum ipſi tibi cęteriſque in ſuas permittunt. Vellem omnino ita te componeres poſtea ad omnium inſultus excipiendos, vt illorum (quoniam ſunt prorſus inanes) nulla apud te ratio haberetur, nõ magis certe quam fucorum & crabronum, qui circum aluearia bombilant & ſtrepunt incondite interea dum in illis ſuauiſsimum mel apes cõficiunt & elaborant. Horum vero æqui bonique conſuleres libertatem; quandoquidem ignis ille & feruor contentionum, qui inter vos nonnunquam exardeſcit Philoſophiæ & ſcientiarum Cõſultos, non eius eſt ſimilis, quem Tacitus in quibuſdam Germaniæ locis e terra erupiſſe, atque villas arua vicos omnes peruaſiſſe & corrupiſſe ſcribit, donec ruſtici ira tantæ cladis, & inopia remedij commoti peniculos ſcruta purgamenta & vilia quæque eminus in foueam proijcerent; quæ quanto magis prophana erant & vſu polluta, tanto etiam incendium facilius citiuſq. reſtinguebant; ſed quemadmodum Hiatus, qui Romæ in medio foro terra ſubſidente apparuit, ea re tantummodo compleri potuit, qua Populus Romanus plurimũ valeret; ita vos Proceres literarum non eſt quod veſtras contentiones vlla alia re ſedari poſſe arbitremini quam ea qua plurimũ valetis, nempe libera

Veri-

Veritatis cenſura atque acri inueſtigatione facta ſine reliquarum opinionum præiudicio, aut eorum qui illas defendunt cõtumelia & vituperatione. Quare poſtquam maleuolos homines & ineptos rerum tuarum cenſores, quos ſuis moribus vlciſcendos multi reliquiſſent, tot iam editis reſponſionibus caſtigaſti, vt nemini amplius dubium ſit quin alias prioribus iſtis addere, & quoties opus fuerit defenſionem tui ac decretorum tuorum ſuſcipere nullo negotio poſſis. Reliquum eſt modo vt diſceptatores habeas reliquarum controuerſiarum, quæ inter te & probos alios ac eruditos ſcriptores exoriri poſſunt, æquiſſimos illarum Lectores. Quod equidem ſi facis, præterquam quod ea, quæ ſummo tuo candore digna ſunt, & communibus noſtrum omnium votis maiorem in modum concupita pręſtabis; illud deinceps tempus omne lucrifacies, quod antea quidem ab illo tempore quo primum tua virtus aliorum cœpit luminibus obſtruere, & æmulorum in te concitare vehementiam tam pertinaciter in contentioſo illo ſcribendi genere conſumpſiſti; vt fateantur etiam qui nihil de te niſi magnifice ſentiunt & loquuntur, te paulo quam par erat defendendi tui cupidiorem eſſe. Quanquam non tam illos dicere iſtud arbitror quod minus probent quicquid hactenus defenſionum a te cõſcriptũ eſt, quam quia verentur ne ſi in eodem conſilio perſtiteris f *ἴσον ἴσῳ* referendi, cum ea ſit nominis tui celebritas vt nouos quotidie tibi cenſores & æmulos excitare poſſit, totum interim tempus tibi effluat, quod grauioribus alijs & vtilioribus ſtudijs rectius conceſſeris: in quibus profecto ſi te, quemadmodum antea feliciter cœpiſti, exercere pergas, non admirationem tui modo, quam dudum apud nos excitaſti, ſed ſtuporem etiam poſteris relinques. Interim velim ad me perſcribas, quid cenſeas Ariſtotelem ſenſiſſe de Iudæorum Lege: nam audio neſcioquid peculiaris ad te miſiſſe Gaffarellum noſtrum ex antiquo Rabbino quodam exceptum. Vale. Dabam Reate XIII. Kal. April. M DC XXXVI.

f *Par pari.*

Fortunij

Fortunij Liceti reſponſio de propoſitis ad Cl. Naudaeum.

PAręneticam epiſtolam, ſiue potius orationem tuam, amiciſsime Naudęe, qua pluribus argumẽtis, eruditione multa refertis, reuocare me ſatagis ab apologetico ſcribendi munere, contra pleroſque mea dogmata carpentes nõ ita pridem ſuſcepto, patienti non ſolum animo, ſed etiam libenter legi; diligo namque plurimum in ea tui, & quos mihi memoras, inſignium virorum amoris erga me teſſeram: cui tantum tribuo, vt veſtris omnium votis nunc omnino concedam meum ſilentium, quo maleferiatorum æmulorum omnium maledicentias deſpicio, ſpernoque penitus; Reguliquе mei ſibila, quibus aſpidum bufonum & aliorum id generis venenoſorum animalium a mea Circe transformatorum virulentias extinguere iam parabam, omnino comprimo: quamquam aliter mihi faciendum eſſe perſuadere videatur, lecta paręneſi tua, Veſlingius noſter erudito quodam epiſtolio ad me tranſmiſſo. Non tamen omnino tanti viri iudicium negligendum cenſeo: quamobrem vtrique veſtrum arcta mihi neceſſitudine coniunctorum, & iudicio prudentiaque mirifice pollentium, morem hac in re geram: Te quidem, Cl. Naudęe, monitorẽ audio de non dignandis noua reſponſione maleuolis & ignaris ignauiſq. quibuſdam ſcriptoribus, probra potius & inſcitias quaſdam fatuas, quam argumenta meas in theſes ingerentibus, & ſicophantias atque calumnias impoſturaſque putidas obijcientibus: ringant illi, latrent, conuicientur, calumnientur, & de plauſtro ſuo ſordidiſſimo lędorias infames ſeque dignas iaciant ad laſſitudinem & ad animi deliquium, ſi non ad animi votum & ad ſatietatem; nam me ſemper habebunt Harpocratem, qui talium belluarũ inconditos clamores & dira mendacia coarguere nõ dignetur. Clariſſimo vero Veſlingio pariter aures præbebo, ſuadenti reſponſionem ad inclytum Collegam, quam iam inſtitui, ac magna ex parte perfeci, Typographuſque prælo preſſit a multis diebus; quod hic egregius Antagoniſta fere ſine iurgio diſſerere mecum videatur, & autoritatum omnigenarum multitudine,

pluſ-

pluſquam nimia me, mecumque (ſic opinor) obruere conatur ipſam veritatem; pro cuius incolumitate Sanctum eſſe decernit
a 1. *Ethic. cap.* 6. *a* Ariſtoteles nedum aliena, ſed etiam propria refutare: oſtẽdereque me oportet autoritates illas mihi lectas & intellectas fuiſſe; quod in ſuæ proluſionis calce Collega meus a Lectore flagitat. Atque Spartam hanc eo alacrius vrgebo, quod in diſputatione ſeruabo morem abſte non improbatũ; curaboque, quantumuis me fuerit, rem litterariam augere, nobiles ac perdifficiles meditationes in Peripato diligenter excolens, & vbi
b *Prædic. Ad aliq.* oporteat, ex *b* Ariſtotelis præſcripto ſæpe pertractans. Quod autẽ ex me nunc aues intelligere, quid exiſtimem Ariſtotelem ſenſiſſe de Iudæorũ lege, qua de re notam quamdam nobilem ad me dedit nouiſſime Gaffarellus noſter, perarduũ ſane quæſitum eſt; dicam tamen quæ mihi ſuccurrunt, vt tibi morem geram. Quum ſuperioribus menſibus inclytus Gaffarellus audiuiſſet me conſcribere tractatum de Pietate Ariſtotelis erga Deum & homines, indicauit huic argumento non parum adiumenti allaturam notam quamdam a ſe viſam Hebraica lingua ſcriptam ab antiquo Rabbino; rogatus, eam mihi communicauit, aſſerens ipſam *excerptam ab Hiſpano quodam Rabbino, Iactilia Ben Ioſeph appellato, in ſua Catena Cabbaliſtica, fol.* 122. *pag.* 2. ſtatimq. ſubiecit ſex lineas Hebraicis characteribus deſcriptas, & eam Latinã verſionẽ propoſuit verbis ipſiſſimis.

ראיתי לרבי יוסף אבן שם טוב בהקדמת
ביאורו לספר המדות שאומר אך הוא ר
לאה במצרים ספר כתוב בו אך ארסט״ו
בסוף ימיו הודה על כל הנמצא כתוב
בספר תורת משה ונעשה גר צדק וכזה
ראיתי בספר מגן אברהם לחכם פריצול

Quæ quidem Hebraica verba ſic vertit ipſe Cl. Gaffarellus.

Digitized by Google

Et vidi in Præfatione explicationis libri morum Rabbini Ioſephi Scem Tob, quod obſeruauerit in Aegypto librum, in quo ſcriptum erat, Ariſtotelem in fine dierum ſuorum ea confeſſum fuiſſe omnia, quæ reperiuntur ſcripta in libro Legis Moſis, transijſſeq. ad partes Peregrinorum Iuſtorum, ſeu Iudæorum: hoc enim ita legitur in libro Maquen, hoc eſt Clypei, cuius autor eſt Abrahã Sapiens Peritſol. Et conſimiliter nouiſſime Don Vincentius Noghera (quem virum noſtri mecum linguarum non minus quam diſciplinarum & eruditionum in omni genere peritia plurimum pollere) tranſtulit meo rogatu, Hebraica verba religioſe in Latinum idioma, prius deſcripta characteribus Latinis ita,

Veraìti lerabbì Yosèf abèn Scem Tob behaqdamàr
biurò lesèfer hamiddòt ſceomèr ach hu
raà bemizràim sèfer catùb bo ach Arſatò
besòb yamàf hodèh al col hanimzàh catùb
besèfer toràt Moſcèh veneesàh ger zèdeq. vechazèh
raìti besèfer maghèn Abrahàm lehachàm Perizòl. ideſt

Et-vidi Rabbinum Ioſephum filium Scem Tob in-præfatione Expoſitionis-ſuæ ad-librum moralium dicentem (quod) ***etiã ille Vidit in-Aegypto librum, in quo ſcriptum. Vere Ariſtoteles in-reuolutione*** (.ſ. fine) ***dierum-ſuorum confeſſus eſt omne quod inuenitur ſcriptum in-libro Legis Moſis, &-fecit-ſe proſelytam Iuſtitiæ*** (.i. vere fidei) ***& ſimile quid vidi in-libro*** (cui titulus) ***Scutum Abrahami, Sapientis Perizol.***

Quæ quidem vtraque nota, & Rabbini Ioſeph, & Sapientis Perizoli confirmari videtur apertiſſime conſimili teſtimonio pridem obſeruato per Cœlium c Rhodiginum; cui ***Proditum & illud monumẽtis eſt, quum Philoſophus Ariſtoteles extrema ſibi ingruere præſenſiſſet; dolore, ac ſpe in lachrymas amplius profuſum Primæ Cauſſæ miſericordiam intentius imploraſſe;*** vt qui legiſſet in ſacris litteris, id ſæpiſſime factitatum a Dauide, alijſq. viris inſignibus. Quin etiam huius rei coniecturam augent maxime, quæ Ioſephus hiſtoricus Hebræus attulit de Magni diſcipuli Ariſtotelici vera ſummaque pietate erga Deum, & Hebræorum legem, aſſerens, d ***Alexander vero in Syriam veniens cepit Damaſcum; & occupata Sidone, Tyrum quoque***

c 17. Ant. lec. c. 34.

d 11. Antiq. cap. 8.

oppugnabat: ſcriptiſque ad Iudæorum Pontificem litteris, petebat auxilium, & vt forum rerum venalium præberet exercitui, & vt quæ prius Dario conferre ſit ſolitus, nunc det Macedonibus, prælata eorũ amicitia; fore enim vt illum non pœniteat: quumq. Pontifex nuncijs reſpondiſſet, ſacramento ſe obligatum Dario, ne arma contra eum ſumeret; idque ratum fore quamdiu ille vixerit: iratus Alexander Tyri quidem oppugnationem non omiſit, quã breui potiturus videbatur: minatus eſt tamen, hac capta, ſe mox ducturum contra Pontificem; vt omnes diſcant, cui iuſiurandum ſeruari oporteat: quare non parcens labori tandem Tyrum expugnauit; & conſtitutis in ea rebus, Gazam profectus, in ea Babemeſem Perſici præſidij Præfectum obſedit. & mox. Septem autem menſibus in Tyri oppugnatione, & in Gaza duobus abſumptis, Sannaballetes fato functus eſt. Alexander vero expugnata Gaza, Hieroſolyma propere petijt. Iaddus vero Pontifex, poſtquam hoc audiuit, ſollicitus hærebat inops conſilij, nec inueniens quomodo Regem deberet excipere, iratum eo quod antea neglexiſſet mandata eius facere: ergo indictis populo ſupplicationibus, & immolatis Deo victimis, ad opem eius confugit, illi publicam ſalutem commendans: proxima deinde poſt ſacrificium nocte in ſomnis ei Deus apparuit, iubens vt bono eſſet animo, & coronata Vrbe portas aperiret; vtque Populus in albis veſtibus prodiret obuiam; ipſe vero cum alijs ſacerdotibus ſolemni cultu ſui ordinis, ſecurus de Dei prouidentia. Experrectus autem e ſomno lætus ciuibus hoc oraculum indicat; & paratis omnibus, vt in ſomnis præmonitus fuerat, Regis aduentum præſtolabatur: & quum renunciatum eſſet, eum iam non procul ab Vrbe adeſſe, progreſſus eſt cum ſacerdotibus, & vrbana multitudine, pompa quadam noua & venerabili, vſque ad locum, qui dicitur Saphà, quæ vox ſpeculam ſignificat, quod ibi & Vrbs, & Templum in proſpectu ſit. Et quum Phœnices, ac Chaldæi ſperarent ſibi licere quicquid iratus Rex poſſet permittere, direptionem Vrbis, & Pontificis exquiſitum ſupplicium; plane contrarium euenit: Alexander enim vt vidit e longinquo candidatum populum, & ſacerdotes ante agmen in amictu byſſino, Pontificemque in ſtola hyacinthina auro diſtincta, tiaram in capite geſtantem cum præfixa aurea lamina inſculpta Dei nomine; ſolus ad eum accedens, Nomen illud adorauit, & ſalutauit Pontificem: Iudæis autem omnibus

nibus vno ore Alexandrum conſalutantibus, & in orbem cingentibus, Syriæ Reges, & reliqui obſtupuerunt, vix credentes Regem mentis compotem: ſolus Parmenio propius accedens rogauit familiariter, quid ita quum ipſe adoraretur ab omnibus, nunc adoraret Iudæorum Pontificem? at ille, non hunc ſe adoraſſe, reſpondit; ſed Deo, cuius Pontifex eſſet, honorẽ eum exhibuiſſe; hunc enim, inquit, vidi & antea hoc ipſo habitu, quum adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Aſiam poſſem ſubigere, hortatus eſt forti eſſe animo, & ſine mora exercitum traycere; nam ſuo ductu potiturum me Perſarũ imperio: quapropter quia nunc primum talem habitum vidi, aggreſſus hunc, & viſionis memor, quæ me ad hanc expeditionem impulit, puto me non ſine Numine in Darium exercitum ducere, & breui fore victoriæ compotem; & ſublato Perſarum imperio, ceſſura mihi omnia ex ſententia. Hæc locutus ad Parmenionem, & comiter complexus Pontificem, deducentibus ſacerdotibus, in vrbem peruenit: & aſcendens in Templum immolauit Deo ex ſacerdotis præſcripto, ac Pontifici quoque ſuum honorẽ exhibuit. Oſtenſoque ſibi Danielis libro, in quo Græcum quemdam Perſas debellaturum ſignificat, hunc ipſum ſe eſſe interpretatus, lætus dimiſit multitudinem. Sequenti vero die vocatis eis iuſſit, vt quicquid vellent, peterent: Pontifice autem petente, vt patriis legibus viuere ſibi liceret; vtque ſeptimo quoque anno concederetur eis tributorum immunitas; conceſſit eis omnia. Rogantibus deinde, vt eos quoque Iudæos, qui Babyloniam ac Mediam colerent, ſineret vti inſtitutis patriis; hic etiam poſtulatis eorum ſatisfacturum ſe eſt pollicitus. Et quum feciſſet eis poteſtatem, ſi qui vellent ſaluis ſuis ritibus, ſequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina. Atque his apud Hieroſolyma actis, mouit inde in alias propinquas vrbes exercitum: quumque ab omnibus amice exciperetur, Samaritæ, quorum tunc caput erat Sicima ſita ad montem Garizim & habitata a deſertoribus gentis Iudaicæ, videntes quod Alexander Iudæos tractaret tam magnifice, decreuerunt ſe quoque Iudæos profiteri. Erat autem ante Chriſtum natum Alexander Iudaicæ religioni, adeoque tunc veræ pietati erga Deum addictus: ob quam religionem meruit a ſummo Deo gratias etiam ſupernaturales, iis cõſimiles, quas olim Deus Moyſi conceſſit, nimirum exercitui ſuo tranſitum

per ipſum mare, ſiccatum veſtigijs eorum: quam hiſtoriam

e 2 ant. Iud. cap. 7. Ioſephus idem multo prius retulerat, inquiens, e *Iamque in aduerſum littus euaſerant Hebræi, hoſtibus a tergo relictis, quos armis graues ipſa etiam miraculi nouitas nonnihil eſt remorata: ſed quum incolumes illos terram tenere viderent, ſibi quoque eumdem euentum pollicebantur: verum feſellit eos hæc opinio, neſcientes non quorumuis talem viam eſſe, ſed Hebræorum tantum; & fugientibus tantum ad ſalutem patere; non hoſtibus, qui eos perdendi animo inſectarentur: ergo quum iam vniuerſus exercitus introgreſſus eſſet, refunditur iterum mare, & Aegyptios fluctibus inuoluit, ventis etiam eodem impellentibus: acceſſerunt & imbres de cælo, & aſpera tonitrua fulguribus ſimul intermicantibus: fulmina quoque deferebantur, & nihil omnino deerat eorum, quæ ab irato Deo hominibus ad perniciem immitti ſolent: nam & nox eos caliginoſa nimis tenebroſa comprehendit: atque ita totus ille exercitus eſt deletus, vt ne nuncius quidem domum reuerteretur. Hebræi vero vix ſui compotes erant præ gaudio ex tam inopinata ſalute concepto; accedente huc etiam hoſtium interitu, quo maior eſſet libertatis ſecuritas, nemine ſuperſtite, qui eos in ſeruitutem vindicare cuperet; & Deo ex profeſſo illis auxilium ſubmittente: quapropter tum ſua ſalute, tum inimicorum ſupplicio læti magis quã vlli antehac homines, in hymnis & hilaritate totam noctem exegerunt: & Moyſes carmen laudes Dei, & ob præſentem fauorem gratiarum actiones continens hexametro verſu compoſuit. Hæc ego, vt in ſacris codicibus inueni, ita ſigillatim conſcripſi. Nemo autem mirari debet tamquam incredibilia, ſi priſcis hominibus, & ad malitiam etiam tum rudibus, de ſalute periclitantibus via per mare patuit, ſiue Dei voluntate, ſiue Naturæ ſponte; quandoquidem heri & nudiustertius Alexandri ductu Macedonibus Pamphylium mare ceſſit, & aliam viam non habentibus illac iter aperuit: quum Deus eius opera ad deſtruendum Perſarum Imperium vti decreuiſſet: id quod omnes teſtantur, qui res geſtas illius Regis ſcripto prodiderunt.* Quin

f 2. de bell. Iud. c. 21. f alibi Ioſephus idem de propoſito ſcribit, *In Alexandria autem ſemper quidem erat incolis aduerſum Iudæos ſeditio, iam ab illo tempore, ex quo ſtrenuus Alexander contra Aegyptios vſus Iudæis, præmium ſocietatis tradidit eis, & habitandi apud Alexandriam facultatem, & ius ciuitatis æquale cum gentibus: per-*

mane-

Digitized by Google

manebat autem eis honor iſte apud ſucceſſores quoque Alexandri: denique & in parte vrbis locum eis proprium deputauerunt, quatenus haberent conuerſationem per omnia mundiorem, a communi ſcilicet ſequeſtratam; praſtiteruntque eis vt etiam Macedones appellarentur. Deinceps vero quum in ditionem Romanorum Aegyptus veniſſet, neque Caſar primus, neque poſt eum quiſpiam, honores, quos Alexander Iudæis decreuerat, minuit. Si ergo parum abfuit, quin Magnus Ariſtotelis alumnus Alexander Legi Moſaicæ nomen dederit; quum a Iudæis culto ſummo Deo ſacrificauerit in templo Hieroſolymitano ex ſacerdotis Iudæi præſcripto; & hanc eius pietatem Deus remunerauerit victoria Perſica, & itinere mirabili cum exercitu ſuo incolumi per exſiccatum mare Pamphylium; iam hæc veriſimile reddunt teſtimonium tum Rabbini filij Scem Tob, & ſapiētis Abrahami Peritzol, aſſeuerantium Ariſtotelem (qui omnia & ſingula hæc Alexandri Magni diſcipuli ſui geſta cognouerat) in fine dierum ſuorum probaſſe, confeſſumque fuiſſe omnia, quæ reperiuntur ſcripta in Lege Moſis; & tranſijſſe ad partes Peregrinorum Iuſtorum, ſeu Iudæorum; qui Iuſti Peregrini dicuntur, quod ex Aegypto, & deſerto peregrinati ſint Deo duce in terram promiſſionis: tum etiam illius antiqui ſcriptoris, in cuius monumentis Cœlius Rhodiginus proditum legit, g *Quum Ariſtoteles Philoſophus extrema ſibi ingruere præſenſiſſet, dolore ac ſpe in lachrymas amplius profuſum Primæ cauſſa miſericordiam intentius imploraſſe*: nam æuo Ariſtotelis, & Alexandri Macedonis, antecedente trecentis plus annis Chriſti Domini Natales ex Virgine Matre, vera lex erat Moſaica, & vera Pietas erat Hebraica: & Deus ille, qui Alexandrum Macedonem pium reddidit erga ſe ac populum ſuum, quod eius opera ad deſtruendum Perſarum imperium vti decreuiſſet, vt omnes teſtantur, Autore Ioſepho, qui res geſtas Alexandri ſcripſerunt; multo potius Alexandri Magiſtrum Ariſtotelem pium reddidit item erga ſe & homines, quod eius opera vti decreuiſſet ad Theologiam ſcholaſticam illuſtrandam; vt omnes teſtantur Theologi ſcholaſtici. Ceterum & Ariſtotelem Hebræorum Legem probaſſe, quam non vidiſſe non potuit, non obſcure conſtat ex ijs, quæ Clearchus de Ariſtotelis ore ſuſcepta dicta refert; quorum habemus etiam Ioſephi Iudæi hiſtorici Claſſici

g lib. 17. cap. 34.

præcla-

b adu. Apio. lib. 1. præclarum teſtimonium; ait enim, b *Eos, qui de cœleſtibus ac diuinis primitus apud Græcos ſunt philoſophati, ideſt Pherecidem Syrium, & Pythagorã, & Thaletem, omnes concorditer confitentur, Aegyptiorum, & Chaldæorum fuiſſe diſcipulos; & breuiter conſcripſiſſe, quæ a Græcis omnium antiquiſſima iudicantur, ita vt vix ea credant ab illis fuiße conſcripta.* & infra. *Pythagoras igitur Samius, quum ſit antiquus quidem ætate, ſapientia vero & diuina pietate Philoſophos omnes excellens, non ſolum quæ noſtra ſunt, agnouiſſe manifeſtus eſt, ſed etiam æmulatus ea ex multis apparet. Et eius quidem conſcriptio nulla reperitur: multi tamen de eo retulere; quorũ inſignior eſt Hermippus, vir circa omnẽ hiſtoriam diligentiſſimus indagator. Refert itaque in primo de Pythagora libro, quod Pythagoras vno familiarium ſuorũ defuncto, nomine Calliphõte, genere Crotoniate, illius animã dicebat ſecũ agere diu noctuque, & quod præciperet, vt nõ tranſiret locum vbi aſinus lapſus eſſet; & ab aqua fæculẽta ſemetipſum abſtineret; & ab omni blaſphemia recederet. Deinde ſequitur. Hæc autẽ agebat atq. dicebat, Iudæorum, & Thracum opiniones imitatus, ac transferens in ſemetipſum. Dicitur enim vere, quod ille vir multas Iudæorum leges in ſuam tranſtulit philoſophiam. Fuit etiam per ciuitates nõ ignota olim gens noſtra: & multi iam mores ad quaſdam tranſierunt, & æmulatione digni a nonnullis habebantur: quod manifeſtat Theophraſtus in his quæ ſcripſit de legibus: ait enim, quia prohibent Tyriorum leges & peregrino ſacramẽto iurare: inter quæ ſacramenta cum quibuſdam alijs etiam iuſiurandum, quod Corban appellatur, enumerat: apud nullos autẽ hoc inuenitur iuramentum, niſi apud Iudæos ſolos; quod interpretatur ex Hebraica lingua, Donum Dei.* & mox *Quod autem non ſolum ſciebant Iudæos, ſed etiam in quotquot inciderent, admirabãtur non e vulgo Græci, ſed ob ſapientiã celebres, oſtendere facile eſt: Clearchus enim Ariſtotelis diſcipulus, & Peripateticorum nulli ſecundus, in primo libro de ſomno dicit, Ariſtotelem doctorem ſuum de quodam viro Iudæo ita referre, & ipſi Ariſtoteli eumdem ſermonem attribuit, quod ita conſcriptum eſt. Sed alia quidem longum eſt dicere; quæ vero habere potuerant illius admirationem quamdam atque philoſophiam, ea duco operæ pretium referre. Et Hyperochides vehementer, inquit, audire deſideramus vniuerſi: igitur ſecundum præcepta, Ariſtoteles inquit, rhetorica*

eius

eius genus primo indicabimus, ne reluctemur doctoribus præceptorum. Dic, inquit Hyperochides, ita ſi placet: tum ille: genere igitur Iudæus erat, e Celeſyria; qui ſunt ex propagine Philoſophorum Indorum: vocanturque, vt aiunt, philoſophi apud Indos Calani, apud Syros autem Iudæi, nomen accipientes a loco; locus enim, vbi habitant, appellatur Iudæa: nomen vero eorum ciuitatis valde difficile eſt; vocant enim eam nomine Hieruſalem. Is igitur homo multos hoſpitio recipiens, & de ſuperioribus ad maritima deſcendens, grauiſſimus erat non ſolum eloquio, ſed etiam animo: & tunc nobis degentibus apud Aſiam, quum diuinus homo veniſſet ad ea loca, confabulari cœpit nobiſcum, & cum alijs ſcholaſticis, eorum ſapientiam tentans: quumque multi eruditorum congregarentur, tradebat potius aliquid eorum, quæ habebat. Hæc ait Ariſtoteles apud Clearchum: & ſuper hæc multam ac mirabilem continentiam Iudæi viri in cibis, & caſtitatem narrat: Licet autem volentibus hæc ex ipſius lectione cognoſcere: ego enim refugio pluſquam decet inſerere. Sic ipſe Ioſephus Hebræorum Hiſtoricus inſignis ex Clearcho Ariſtotelis diſcipulo, Magiſtri ſui verba referente. Vnde plane conſtat, ab Ariſtotele cognitam non ſolum, ſed etiam probatam fuiſſe Iudæorum Legem; diuinamque ſcripturam cultam ab illo priſco Iudæo; quem Ariſtoteles ipſemet celebrauit inſignem ſapientia, caſtimonia, ſobrietate, ſeu potius abſtinentia, hoſpitalitate, liberalitate, & grauitate; philoſophum appellans, & recenſens inter ſapientes & ſacerdotes Iudæos; quos vitam monaſticam, ac ſolitariam maxime colentes Philo Iudæus etiam in opere ſuo de vita contemplatiua nuncupat Philoſophos, *qui perpetuam habent Dei memoriam, vt ne in ſomnis quidem aliud eis obuerſetur quam imagines diuinarum pulchritudinum; & ſunt in his qui ſomniando produnt præclaras ſacræ philoſophiæ ſententias: medium vero matutini veſpertini que temporis interſtitium totum meditationi attribuitur: verſantes enim ſacra volumina, dant operam philoſophiæ per manus acceptæ a maioribus, ſcrutando eius allegorias, quoniam ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturæ, coniecturis explicanda probabilibus. Habent etiam priſcorum commentarios, qui huius ſectæ autores multa monumenta reliquerunt de allegorijs eiuſmodi;*

ad

Digitized by Google

ad quorum imitationem poſteri ſe accommodant: itaque non ſolum contemplantur, ſed etiam cantica hymnoſque in Dei laudem componunt vario metrorum carminumq. genere, rythmis concinnatos in auguſtiorem ac religioſam ſpeciem: per ſex dies ſeorſum quiſque in ſuis illis modo dictis monaſteriis philoſophantur, non progredientes foras, immo ne proſpicientes quidem: ſeptima vero conueniunt in cœtum communem, & iuxta ætatis ordinem conſidunt decenti habitu, manus continentes ſub pallio, dextram inter pectus barbamque, ſiniſtram applicatam lateri: tum progreſſus in medium natu maximus, & dogmatum eius ſectæ peritiſſimus diſſerit vultu ad grauitatem compoſito, voce moderata, non ſine magna prudentia, ſecus quam oratores aut ætatis noſtræ ſophiſtæ, oſtentatores eloquentiæ; vt quibus magis cordi ſunt exquiſitæ ſententiæ, diligenſque & accurata harum enarratio, quæ non ſummis inſidat auribus, ſed per auditum penetret in animum, ibiq. firmiter inhæreat: reliqui omnes auſcultant per ſummum ſilentium, annutantes oculis tantum aut capite. & paullo poſt, *Temperantiæ tanquam fundamento in anima iacto virtutes ceteras ſuperſtruunt: nec cibum, nec potum quiſquam ſumit ante Solis occaſum, quod ſapientiæ ſtudium luci conuenire iudicent, tenebris vero curam corporis; ideo totos dies alteri, alteri vero exiguam noctis partem tribuunt: nonnulli ex his vix tertio quoque die famem ſentiunt, attenti magis ad diſciplinarum ſcientiam.* Quis non videt ex horum Sapientū Iudæorum cœtu, tantopere nunc a Philone celebratorum, viuēdi normam fere ſibi deſumpſiſſe philoſophum illum, quem apud Ioſephum hiſtoricum Clearchus aſſeruit ab Ariſtotele Magiſtro ſuo laudatū ob multam continentiam in cibis, ob admirabilem caſtitatem, ob grauitatem eloquij, ob animi magnitudinem, ob hoſpitalitatem, & liberalitatem, ob comitatem, & ob ſapientiam? Hæc omnia ſatis mihi videntur comprobare teſtimonium Rabbinorum, Iactiliæ Ben Ioſeph, Ioſephi filij Scem Tob, & Abrahami Perizol: quorum notas aſſeuerantes, Ariſtotelem in fine dierum ſuorum doctrinæ Moſaicæ ſubſcripſiſſe, Legique Iudæorum paruiſſe, non ita pridem repertas in vetuſtis quibuſdam monumentis ad me tranſmiſſit Gaffarellus noſter. Quæ velim tibi ſatisfaciant, amiciſſime Naudæe. Vale. Dab. Patauij. Nonis April. MDC XXXVI.

De Apologia conſcribenda, & de Nectare, an ſomnum afferat.

Ioannes Veſlingius Fortunio Liceto S.

Epiſtola XVIII.

SCilicet hoc illud eſt, non ſectaberis acriter nimis *a* τὰς ἐν ᾅδȣ τριακάδας, Tu qui viuus inter indigetas verſaris, qui in ſummo cum ſideribus elemento fulges; vt allatrare te ſane per vmbras quis poſſit, mordere non poſſit, ipſa quoque nominis æſtimatione,

. . . . . *& fama ſuper æthera notus.*

Sed hæc nihil exhibent negocij: Illud quærimus, ſi ex Titanis aliquis cum Dijs belligeraturus aggeſtu montium in arces illas enitatur; ecquid tibi ferendum? Scio, non cenſebis: nec Iupiter quidem ilthoc ſinat; quin fortiter de more maiorum ſe ſe vindicans

Vertit in autores pondera vaſta ſuos.

Sed mittamus tam alta, Apollodori illius memores,

. . . . . *b* ἐξ ἐλάττονος μέτρȣ
Ευαπόκρυφον (?) ἄλυπτον εἶναι τὴν δυσπραξίαν.

a trigeſimas qua in Orco.

b . . . ex minore mẽſura facile abſconſu eſſe infortunium.

Ecce Protogenes lineas tuas diuiſit. Quid cenſes, cum Telephane tibi rem eſſe? ſi recte memini tituli, cum primario Sapientiæ interprete commiſſus es, vt niſi tertio colore lineas ſecueris, amplius Apelles non ſis futurus, nec portum aditurus hoſpes. Nam honoris quidem tui, & rei litterariæ deliquium hic nullum eſt: immo erit ſane, ſi ſecus feceris. Ede igitur confidenter tabulam, non in Cæſarum palatio, ſed in poſterum memoria collocandam: Prome iam nectarea tua, mens noſtra ſitiens vnde ſaturetur. Sed heus tu, putasne Nectar ſomniferum eſſe, cum viro docto? Vale, & me ama. E meo Muſæo S. Elphem. Kalend. April. MDCXXXVI.

Cl. Viro Ioanni Veſlingio Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

TV quidem, inclyte vir, apologiam ſuades, Naudæus vero noſter cum plurimis amicis alijs diſſuadet; vtrique rationes cogentes affertis: poſitus in biuio, vix quo pergam video: Niſi quum duo ſint mihi contradicentes; alij quidem mea dogmata rationibus quibuſdam, & autoritatibus qualicūmq. modeſtia impugnantes; alij vero theoremata redarguere neſcientes, ad iurgia conuerſi calumnias, & impoſturas effreni petulantia ſcurriliter in me, meamque familiam ingerentes; priorum rationem habere mihi neceſſum eſt, conſilio tuo, illiſque philoſophice reſpondere: ſed ex Naudæi monitu poſteriorum halophantias deſpicere ſilentio. Sic enim & Pythagoras, & ex Pythagora Hierocles ille Stoicus admonet ſermones mendaces eſſe ſpernendos, & dulciter, hoc eſt cum riſu mendacijs eſſe cedendum; non autem nos illis implicandos eſſe: ita plane Socrates Ariſtophanis dicteria mendacia floccipendere voluit, nimirum probus & doctus philoſophus mimi ſicophantias; ita Domini paſſim ſcurrarum ſuorum in ſe dictas contumelias rident: ita Matrona princeps a ſcortillis diobolaribus in ſe iactatas obſcœnitates ſurdis excipiunt auribus; nec enim dignandi reſponſione ſunt, quibus data iam eſt licentia, & impunitas in viros conſpicuos lingua debacchari; ſinam igitur illam vulgi fœcem ſuo ſe cœno volutari, & in ſe dignis lœdorijs turpiſſime commorari. Sat mihi fuerit, me a probis, doctis, principibuſque viris non parui fieri, meaque non improbari. Ceterum quod a me quæris de Nectare, viri docti ſententiam non probo; cui dare non poſſumus, Apollineo nectare ſomnum cieri, & calamum e Poetæ digitis extorqueri; nam fontis Caballini lympha, quæ Nectar eſt Apollineum, non excutit e manibus Poetæ calamum, ſed vltro torpentem animum excitat œſtro diuino ad ſublimia pangenda carmina: non ne Perſium audis hæc dicentem?

Nec

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe parnaſo
Memini, vt repente ſic Poeta prodirem.

Nonne legis in Arquadæ fonte prope domicilium Petrarchæ inſculptum epigramma?

Fonti Numen ineſt, Hoſpes venerare liquorem,
Vnde bibens cecinit digna Petrarcha Deis.

Nonne audis Horatium de Ennio talia dicentem?

. . . . . nec vnquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda . . . .

Nonne denique legis Anacreontem ſemper ebrium canere? nam vt in Timæo Plato tres ignium differentias agnoſcit, flammam, prunam, & lucem; quarum flamma ſplendorem cum calore coniunctum obtinet: pruna calorẽ ſine ſplendore continet; atque lux ſplendorẽ ſine calore retinet: ita legimus apud Antiquos tria potionum genera ſumma, videlicet Aquam, Vinum, & Nectar; inter quę diſcrimẽ illud inuenitur, quod quum ſingula ſitim ſedare valeant, vinum primo bibentibus affert hilaritatem animi, deinde ſoporem oculis; aqua nec hilaritatem animi, neque ſoporem oculis inducit, ſed ſolum faucibus extinctionem ſitis; atuero potio Nectaris promouet hilaritatẽ mentis, non autem affert vllum ſoporem oculis; primo quia Nectar obſeruatu Ficini in Theologia *a* Platonica denotans excellentem facillimamque prouidentiam, vigilię ſymbolum eſt, ſomno prorſus contrarium: deinde quia Nectar deſignat immortalitatem, denominationem, ſeu deriuationem habens ab *νε*, quod priuationem ſignificat, & *κτείνω*, quod eſt *neco, occido*; quum ſomnus apud M. *b* Tulllium, & paſſim apud Claſſicos audiat mortis imago, necíſq. frater: deinceps quia Nectar conſtituebatur propria Deorum potio, quibus æternã vigiliam ſine ſomno tribuit *c* Ariſtoteles: tum demum quia Poetis etiam Nectar bibendum conceditur, quos in Ione Plato Deorum filios appellat, vt eo diuino ſucco madidi, repleti, ac bene poti, ſuauiores verſus edant; quos non in ſomno ſilentes, ſed in vigilia canentes edunt. Tu ergo vigila, tibi, Muſiſque cane, vir egregie, & me ama. Vale. Patauij. ex Meo Scalumnæ Muſæo. III. Non. Aprilis M DC XXVI.

a *18. de Im. an. c. 8.*

b *1. Tuſcul.*

c *10. Ethic. cap. 8.*

De Veterum poetarum Acroſtichide, Meſoſtichide, ac Telioſtichide.

Aloyſius Lollinus Belluni Epiſc. Fortunio Liceto S. D.

Epiſtola XIX.

NÆ tu ſtudiorum meorum bono viuis mi Licete, qui ea & ſubtiliſſimis diſquiſitionibus rerum abditarũ ſubinde acuis, & amœnitatibus reficis Muſarum, quibus vndique ſcatet Strozæ tui aureolus libellus: quem ego virum ob ſingularem eruditionem, gentileque maiorum ſuorum decus, rei poeticæ peritiam, cuius ipſe egregium dat ſpecimen in Anacroniſmo; & quia Amoris vadimonio me prouocat, ſane tam diligo nec dum a me viſum, quam ſi ſecum vixerim. Lucernæ me tuæ æſtiuis licet menſibus, vel medio, quod mirere magis, meridie delectant: de cenſura quod timeas, cauſſa non eſt: nullam ego nullis ad me vnquam ſuffragijs delatam gero, aliorum obelis adhuc obnoxius. Porrò ſi quid a nobis præter meditatas laudes expectas, fruſtra es: ingenij acumen tui, doctrinaq. multiplex, Laodicenos lectores ſcriptorum tuorum ad vnum omnes reddit, modo abſit liuor: me vero etiam iura amicitiæ nõ ſinunt vt a tua ſententia ne tranſuerſum quidem vnguem diuerſus abeam, niſi quum de me, meiſque ſtudijs ſentis tam præclare: tunc enim in mentem venit ſubuereri, ne tibi amor in me tuus, mirus ille quidem fallendi artifex, imponat: ſed de hoc tu videris; noſque ſi quando per otium licebit, ſaltem per epiſtolam inuiſes tui cupidiſſimos; qua ſi quid ſentias de vetuſtiorum Acroſtichide, Meſoſtichide, ac Telioſtichide, me certiorem feceris, magnas tibi gratias habebo. Vale. Strozæ tuo, immo iam noſtro plurimam ſalutem: audio eum in iuſtis exequiarum Magno Duci Etruriæ ſolutis orationem luculentam habuiſſe, quæ pompæ illius omnium pulcherrimæ maxima pars fuerit. Belluni, Idibus Iulijs MDCXXI.

Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Bellun. Epiſc. Aloyſio Lollino

Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

ETſi ſumma tua doctrina & eruditio meas commentationes deletis ingenua cenſura næuis plurimũ perficere valeret; attamen incomparabilis tua modeſtia, benignitas, & amor, quo me perſequeris, obolum & aſſariſcum e digitis tuis excutiunt; laudes pro emendationibus ad me mittis minori fœnore; tamen hæ mihi gratiſſimæ, quod a viro laudatiſſimo proueniunt. Stroza noſter Orationem funebrẽ, a ſe Manibus Magni Ducis Etruriæ dictam, ad te quamprimum tranſmittet vna cum tota illa exequiali pompa. Quod meam ſententiam de priſcorum Acroſtichide, Meſoſtichide, ac Telioſtichide requiris, paucis expedire nequeo; quum viri docti dudum cenſuerint eſſe iuniorum ſcriptorum figmenta veteribus adſcripta, nõ autem ſeniorum inuenta, quæ dicuntur Acroſtichides, Telioſtichides, ac Meſoſtichides: etenim mihi cum Claſſicis Autoribus certum eſt Acroſtichides olim fieri conſueuiſſe ab antiquiſſimis Scriptoribus, Sibylla, Homero, Ennio, Plauto, Publilio, Damaſceno, Beda, & Rhabano Mauro; etenim Plautus argumenta ſuarum Comœdiarum cum Acroſtichide Latina nomen Comœdiæ ſignificante, velut antepagmento quodam inuulgauit; quamquam conſentio viris doctis argumentũ continens Acroſtichidem Bacchidarum, cum toto prologo, & primi actus initio, ſubdititia eſſe carmina, quod non ſatis redoleant Plautinam elegantiam. Sed in Acroſtichide formanda M. Tullius Ennium dat ſocium Sibyllæ, dum de Sibyllæ verſibus agens ea protulit, a *Non eſſe autem illud carmen furentis, cum ipſum poema declarat (eſt enim magis artis & ſcientiæ, quam vaticinationis & motus) tum vero ea quæ ἀκροστιχὶς dicitur, quum deinceps verſus litteris aliquid connectitur; vt in quibuſdam Ennianis, quæ Ennius fecit, id certe magis eſt attenti animi, quã furentis: Atque in Sibyllinis ex primo verſu cuiuſque ſententiæ primis litteris illius ſententiæ carmen omne prætexitur: hoc ſcriptoris eſt, non furentis; adhibentis diligentiam, non inſani.* Sane Sibylla quum propheticum carmen de IESV CHRISTO

a 2. de Diui.

redem-

redemptore condidiſſet cum huiuſcemodi acroſtichide ἰησοῦς Χρισὸσ θεοῦ ὑὸσ σωτὴρ, vt ex Flactiano Proconſule Romano, viro facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, notat Diuus b Auguſtinus. Quibus verbis Euſebius in deſcriptione Vitæ Conſtantini addidit σταυρὸς; quare Diuo Auguſtino Acroſtichis Latine vertitur, *Ieſus Chriſtus Dei Filius Saluator:* quibus Euſebius Pamphilus adiecit, *Crux:* Quin & Diuus Auguſtinus acroſtichida Sibyllæ non ſimplicem, ſed duplicem agnouit; alteram nimirum ex apicibus omnium verſuum propoſitã; & alteram ex apicibus quinque dictionum primæ Acroſtichidis: at ipſum audiamus, *Erythræa Sibylla quadam de Chriſto manifeſta conſcripſit; quæ etiam nos prius in Latina lingua verſibus male Latinis, & non ſtantibus legimus, per neſcio cuius interpretis imperitiam, ſicut poſt cognouimus: nam vir clariſſimus Flactianus, qui etiam proconſul fuit, homo facillimæ facundiæ, multæque doctrinæ, quum de Chriſto colloqueremur, Græcum nobis codicem protulit, carmina eſſe dicens Sibyllæ Erythrææ, vbi oſtendit quodam loco in capitibus verſuum ordinem litterarum ita ſe habentẽ, vt hæc in eo verba legerentur,* ἰησῦς χριςὸς θεῦ ὑὸς σωτὴρ: *quod eſt Latine, Ieſus Chriſtus Dei filius ſaluator.* & mox. *Horum autem Græcorum quinq; verborum ſi primas litteras iungas, erit* ἰχθὺς, *id eſt, Piſcis, in quo nomine myſtice intelligitur Chriſtus, eo quod in huius mortalitatis abyſſo velut in aquarum profunditate viuus, hoc eſt, ſine peccato eſſe potuerit.*

b 18. de ciu. cap. 23.

Metra vero Græca Sibyllæ ſunt hæc;

I Ἰδρίωσει γὰρ χθὼν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔςαι,
H Ἥξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς, αἰῶσιν ὁ μέλλων,
Σ Σάρκα παρὼν κρίναι πᾶσαν, καὶ κόσμον ἅπαντα.
O Ὄψονται δὲ θεὸν μέροπες πισοὶ καὶ ἄπισοι,
Υ Ὕψισον, μετὰ τῶν ἁγίων, ἐπὶ τέρμα χρόνοιο,
Σ Σαρκοφόρων ψυχὰς δ' ἀνθρώπων ἐπὶ βήματι κρινεῖ.
X Χέρσος ὅτ' ἂν ποτὲ κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθαι γένηται,
P Ῥίψωσι τ' εἴδωλα βροτοὶ, καὶ πλοῦτον ἅπαντα,
I Ἰχνίνων ῥήξεται πύλας εἱρκτῆς ἀΐδαο,

Σάρξ

Σ Σάρξ τότε πᾶσα νεκρῶν εὐ ἐλευθέριον φάος ἥξει.
Τ Τὺς ἁγίυς, ἀνόμυς τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
Ο Οππόσα τις πράξασ ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
Σ Στήθεα γὰρ ζοφόεντα θεὸς φωςῆρσιν ἀνοίξει.
Θ Θρῆνος δ' ἐκ πάντων ἔςαι καὶ βρυγμὸς ὀδόντων,
Ε Εκλείψει σέλας ἠελίυ, ἄςρων τε χορεῖαι
Ο Ουρανὸν εἰλείξει μήνης δέ τε φέγγος ὀλεῖται.
Υ Υ'ψώσει δὲ φαράγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βυνῶν.
Υ Υ"ψος δ' ὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
Ι Ισα τ' ὄρη πεδίοις ἔςαι, καὶ πᾶσα θάλασσα
Ο Οὐκ εἰς πλῦν ἥξει, γῆ γὰρ φρυχθεῖσα κεραυνῷ,
Σ Σὺν πηγαῖς ποταμοὶ καχλάζοντες λείψυσιν.
Σ Σάλπιγξ δ' ὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει,
Ω Ωρύυσα μύσος μέλλον, καὶ τήματα κόσμυ.
Τ Ταρταρόεν δὲ χάος δείξει τό τε γαῖα χανῦσα.
Η Ηξῦσι δ' ἐπὶ βῆμα θεῦ βασιλῆες ἅπαντευς,
Ρ Ρεύσει δ' ὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδέγε θείον.
Σ Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδείκετον, οἷον
Τ Τὸ ξύλον ἐν πιςοῖς, τὸ κέρας τὸ ποθύμενον ἔςαι
Α Ανδρῶν εὐσεβέων ζωὴ, πρόσκομμά τε κόσμου
Υ Υδασι φωτίζον κλητὺς ἐν δώδεκα πηγαῖς.
Ρ Ράβδος ποιμαίνυσα σιδηρείηγε κρατήσει.
Ο Ουτος ὁ νῦν προγραφὴς ἐν ἀκροςίχοις θεὸς ἐςὶ
Σ Σοτὴρ, ἀθάνατος βασιλεὺς, ὁ παθὼν ἕνεχ' ἡμῶν.

Quos verſus Latine primum vertit *c* Gyraldus agens de hiſtoria Poetarum, ſeruata quantum fieri potuit, acroſtichide Græca, hunc in modum. *c* 2. *Dial.*

I *Iudicij fuerit quum ſignum, terra madebit,*
H *E cælo veniet Princeps per ſecla futurus,*
Σ *Scilicet vt carnem præſens & iudicet orbem.*
O *Omnis homo hunc fiduſq. Deum infi duſq. videbit,*
Υ *Vna cum ſanctis excelſum fine ſub ani,*

Sede

Σ *Sede ſedens animas cenſebit corpora & ipſa.*
Χ *Cherſos erit mundus, ſpinas feret undique tellus.*
Ρ *Reijcient ſimulachra homines & munera Ditis.*
Ι *Inquirens portas infringet carceris atri;*
Σ *Sic etenim cuncta ventet lux libera carni*
Τ *Tunc ſanctis; ignis ſontes æternus adurct.*
Ο *Occultos actus omnes & quiſque loquetur;*
Σ *Sed tenebroſa Deus colluſtrans pectora pandet.*
θ *Threnus erit cunctis, & ſtridor dentis adeſt.*
Ε *Effugiet Solis iubar, aſtrorumque choraa,*
Ο *Omne poli lumen ſoluetur, & aurea Luna.*
Υ *Valles extollet, colleſque a vertice perdet.*
Υ *Vſquam nec celſum mortalibus, aut graue quicquam,*
Ι *Inde aqui montes campis, hinc carula ponti*
Ο *Omne rates ſpernent onus, hiſcet fulmine tellus.*
Σ *Sic fontes ſimul areſcent & fluminis aluei,*
Σ *Stridula tum querulum ſonitum tuba fundet Olympo,*
Ω *Orbis grande malum rugiens, & damna futura,*
Τ *Tartareumque Chaos monſtrabit terra dehiſcens,*
Η *Et venient omnes reges Magni ante tribunal,*
Ρ *Refluet & cœlo tunc ſulphuris amnis, & ignis,*
Σ *Sic cunctorum hominum fient manifeſta ſepulchra.*
Τ *Tum fidis lignum cornu atque optabile fiet,*
Α *Atque piorum vita hominum nocumentaque mundi*
Υ *Vndis luſtrabunt biſſeno in fonte vocatos.*
Ρ *Rex paſtor iterit nobis & ferrea virga.*
Ο *Omnipotens Deus eſt præſcriptus verſibus iſtis,*
Σ *Seruator noſtro æternus rex paſſus amore.*

d in Vit. Conſtant. lib. 4.

Sed ab interprete *d* Euſebij Pamphili, mutata fuit Acroſtichis Græca in Latinam ita.

I *Iudicio telluris erit ſudoribus omen,*
E *Erumpetque alto, caruem qui iudicet atque*
S *Suſpenſum (tanti eſt regis præſentia) mundum.*

Viderit

V *Viderit inde omnis, vel ſi perſpecta fides eſt,*
S *Siue hac nulla, Deum ſanctoſque in finibus æui.*
C *Carnis amaſius, & pulpa veſtitus amica,*
H *Hic animus alba e ſella ius dicet, eritque*
R *Rerum campus inops, tribuli naſcentur, opeſque*
I *Inuiſæ fient homini, atque iacebit imago.*
S *Soluentur portæ Stygij Plutonis ab illo.*
T *Tum quoduis iſta gaudebit luce cadauer.*
V *Vir ſacer atque exlex flamma dignoſcitur, atque*
S *Scitur integrum quicquid tamen vſque latebat.*
D *Ducet enim lampas reſeratis foribus intro,*
E *Et multi plangent, multi ringentur, & aſtra*
I *Inducent choreæ legem, facies tum Solis opaca.*
F *Flexum erit & cælum, nulla quoque luce Diana.*
I *Implebit valles, & caſſa cacumina reddet.*
L *Labentur colles hominum faſtidia, toti*
I *Incipient æquor fieri montes, mare demum*
V *Veliuolum nulli, quum tellus fulmine areſcet.*
S *Subſident fontes, & nuſquam fluminis horror*
S *Suſpectum cælo ſonitum dabit ære recuruo*
E *Eiulans tuba perniciem mundique labores.*
R *Recludetque chaos immenſum terra dehiſcens.*
V *Vndique conuenient reges, ſedemque videbunt.*
A *A cælo riuus flammæ, vndæ ſulphuris atri.*
T *Tum bene iactandum iudicium mortalibus atque*
O *Optatum cornu ſignum, cum gente fideli*
R *Res æque vna pijs vitas orbique inſitus error.*
C *Clara duodenis illuſtrans fontibus vnda*
R *Roboreumque pedum toto dominabitur æuo.*
V *Verſibus exſcriptus Deus his primo relictura eſt*
X *Xenophilus noſtra cauſſa rex vltima paſſus.*

Quod vaticinium quum multi non Sibyllinum, ſed apocriphum cenſerent, ipſum tamen e Euſebius Pamphilus ita genuinum Sibyllæ confirmauit, inquiens, *Iſta diuinitus in animum venit edicere Virgini; quam ego profecto beatiſſimam eſſe iudico, delectamque a Deo Optimo Maximo conſilij ſui vaticinatricem de nobis. Etſi plurimi ſeuere negent hac eſſe digna fide; quum tamen Erythream Sibyllam fateantur: atque illi quidem* e *4. lib. de vita Conſtantini.*

Digitized by Google

aliquem ſuſpicantur, huiuſce ritus obſeruatorem hominem poeticæ non ignarum confeciſſe verſus; ſubinde Sibyllæ nomine circumferri quædam quaſi vaticinia, quæ reuera adulterina ſint, & tamen ad inſtituendam probe vitam conducibilia, quum excidio voluptatum homines ad honeſtatem arripiant & temperantiam. Ad exquiſitam autem rationem veritatis, hominum noſtrorum diligentia annotatis interuallis temporum, tam vt nemo aliqua de re poſſet ambigere, poſt aduentum Chriſti poemata compoſita eſſe, & tanquam verſus eſſent a Sibylla dicti, ita falſo tenuiſſe: nam certum illud eſt incidiſſe in poema Ciceronem (qui ſcilicet

f 2. de Diui. de hac locutus eſt f Acroſtichide) *idque factum ab eo Latinum cum ſuis elucubrationibus annumerauiſſe, qui tenente Antonio rerum ſummã ſublatus eſt. Iterum Auguſtum Antoniano bello ſuperiorem euaſiſſe: Ille ſex & quinquaginta annos imperauit: Inſecutus eſt Tiberius, quo ſeculo aduentus illuxit, atque ſacroſancti ritus inualuit vbique loci myſterium.* Si ergo carminum horum acroſtichida vidit Cicero, qui mortuus eſt tempore Antonij triumuiri ante Imperium Tiberij, ſiue ante Auguſti imperium, quo tempore natus eſt Chriſtus Dominus; iam nemo Chriſtianorum hos verſus confinxit; ſed ante Domini Ieſu natiuitatem facti ſunt a Sibylla: Sed & D. Ioannes Damaſcenus Acroſtichidem triplicem conſtituit ad hymnos longiſſimos; quos breuitatis ergo non refero, ſat habens Acroſtichidas tantum afferre: nam hymnum de Chriſti Natiuitate compoſuit Iambis pentaſtichis, quorum primæ litteræ conficiunt hæc duo diſticha,

> Εὐεπίης μελεΐσσιν ἐφύμνια ταῦτα λιγαίνει
> Υἷα θεοῦ, μερόπων εἵνεκα τικτόμενον
> Ἐν χθονὶ, καὶ λύοντα πολύστονα πήματα κόσμου.
> Ἀλλ᾽ ἄνα, ῥητῆρας ῥύεο τῶν δε πόνων. idest

> *Boni eloquij cantibus hymni hi canunt*
> *Filium Dei hominum gratia natum*
> *In terra, & ſoluentem multi luctus nocumenta mundi.*
> *Sed o Rex, locutores libera ab his laboribus.*

Deinde vero de Epiphania iambos itidem pentaſtichos effinxit valde multos, quorum primæ litteræ in acroſtichide formant hos quatuor verſiculos,

Σήμερον

Σήμερον ἀχράντοιο βαλὼν θεοφεγγεῖ πυρσῷ,
Πνεύματος ἐν θάπτει νάμασιν ἀμπλακίην,
Φλεύξας παμμεδέοντος ἐὺς παῖς: ἠπιόναν δὲ,
Υμνηταῖς μελέων τῶν δὲ δίδωσι χάριν. ideſt

Hodie puri iaciens Dei luco igne
Spiritus ſepelit in aquis peccatum
Comburens omni dominantis bonus filius: propitius autem
Cantoribus cantuum horum præbet gratiam.

Deinceps autem de Pentecoſte formauit ſimiliter Damaſcenus plurimos iambos pentaſtichos, quorum primæ litterę conſtituunt hoc epigramma,

Θεογενὲς λόγε, πνεῦμα παράκλητον πάλιν ἄλλον,
Ἐκ γενέτου κόλπων ἧκας ἐπιχθονίοις,
Οἷα πυρὸς γλώσσῃσι φέρον θεότητος ἀΰλου,
Σῆμα τεῆς φύτλης, καὶ χάριν ὑμνοπόλοις. ideſt

O Deigenum Verbum, ſpiritum aduocatum rurſus alium
Ex genitoris ſinibus miſiſti terreſtribus,
In ſimilitudine ignis linguis ferētē diuinitatis immaterialis.
Signum tuæ generationis, & gratiam cantoribus.

Ceterum & Damaſus Epiſcopus duo ſcripſit epigrammata, quorum & acroſtichis, & telioſtichis idem I E S V S nomen exprimit; primum quidem ita

I *n rebus tantis trina coniunctio mund* I
E *rigit humanum ſenſum, laudare venuſt* E
S *ola ſalus nobis, et mundi sũma poteſta* S
V *enit peccati nodum diſſoluere fruct* V
S *umma ſalus cũctis venit per ſecula terri* S.

Alterum autem hoc modo

I *ure pari regnat, communis conditor æu* I
E *t cum patre pia regnat ſublimis in arc* E
S *idereo ſanctis inſidit numine regni* S
V *nde mare et terras ſolo videt omnia nut* V
S *uggerit humanis & donat munera rebu* S.

De quibus Telioſtichidibus agit Lilius in ſua Poetarum hiſtoria dicens, g *Sunt & acroſtichis contrarij, qui appellantur Telioſtichides, quum vltimis verſuum litteris aliquid ſignificatur;*

g *Dialog. 2.*

O 2 *quorum*

aliquem ſuſpicantur, huiuſce ritus obſeruatorem hominem poeticæ non ignarum confeciſſe verſus; ſubinde Sibyllæ nomine circumferri quædam quaſi vaticinia, quæ reuera adulterina ſint, & tamen ad inſtituendam probe vitam conducibilia, quum excidio voluptatum homines ad honeſtatem arripiant & temperantiam. Ad exquiſitam autem rationem veritatis, hominum noſtrorum diligentia annotatis interuallis temporum, tam vt nemo aliqua de re poſſet ambigere, poſt aduentum Chriſti poemata compoſita eſſe, & tanquam verſus eſſent a Sibylla dicti, ita falſo tenuiſſe i nam certum illud eſt incidiſſe in poema Ciceronem (qui ſcilicet de hac locutus eſt f. Acroſtichide) *idque factum ab eo Latinum cum ſuis elucubrationibus annumerauiſſe, qui tenente Antonio rerum ſummã ſublatus eſt. Iterum Auguſtum Antoniano bello ſuperiorem euaſiſſe: Ille ſex & quinquaginta annos imperauit: Inſecutus eſt Tiberius, quo ſeculo aduentus illuxit, atque ſacroſancti ritus inualuit vbique loci myſterium.* Si ergo carminum horum acroſtichida vidit Cicero, qui mortuus eſt tempore Antonij triumuiri ante Imperium Tiberij, ſiue ante Auguſti imperium, quo tempore natus eſt Chriſtus Dominus; iam nemo Chriſtianorum hos verſus confinxit; ſed ante Domini Ieſu natiuitatem facti ſunt a Sibylla: Sed & D. Ioannes Damaſcenus Acroſtichidem triplicem conſtituit ad hymnos longiſſimos; quos breuitatis ergo non refero, ſat habens Acroſtichidas tantum afferre: nam hymnum de Chriſti Natiuitate compoſuit Iambis pentaſtichis, quorum primæ litteræ conficiunt hæc duo diſticha,

f 2. de Diui.

Εὐεπίης μελέεσσιν ἐφύμνια ταῦτα λιγαίνει
Υἷα θεοῦ, μερόπων εἵνεκα τικτόμενον
Ἐν χθονὶ, καὶ λύοντα πολύστονα πήματα κόσμου.
Ἀλλ' ἄνα, ῥητῆρας ῥύεο τῶν δε πόνων. idest

Boni eloquij cantibus hymni hi canunt
Filium Dei hominum gratia natum
In terra, & ſoluentem multi luctus nocumenta mundi.
Sed o Rex, locutores libera ab his laboribus.

Deinde vero de Epiphania iambos itidem pentaſtichos effinxit valde multos, quorum primæ litteræ in acroſtichide formant hos quatuor verſiculos,

Σήμερον

Σήμερον ἀχράντοιο βαλὼν θεοφεγγέϊ πυρσῷ,
Πνεύματος ἐν θάπτει νάμασιν ἀμπλακίην,
Φλεύξας παμμεδέοντος ἐὺς παῖς: ἠπιόναν δὲ,
Υμνηταῖς μελέων τῶν δὲ δίδωσι χάριν. ideſt

Hodie puri iaciens Dei luco igne
Spiritus ſepelit in aquis peccatum
Comburens omni dominantis bonus filius: propitius autem
Cantoribus cantuum horum prabet gratiam.

Deinceps autem de Pentecoſte formauit ſimiliter Damaſcenus plurimos iambos pentaſtichos, quorum primæ litterę conſtituunt hoc epigramma,

Θεογενὲς λόγε, πνεῦμα παράκλητον πάλιν ἄλλον,
Ἐκ γενέτου κόλπων ἧκας ἐπιχθονίοις,
Οἷα πυρὸς γλώσσῃσι φέρον θεότητος αὔλου,
Σῆμα τεῆς φύτλης, καὶ χάριν ὑμνοπόλοις. ideſt

O Deigenum Verbum, ſpiritum aduocatum rurſus alium
Ex genitoris ſinibus miſiſti terreſtribus,
In ſimilitudine ignis linguis ferētē diuinitatis immaterialis,
Signum tuæ generationis, & gratiam cantoribus.

Ceterum & Damaſus Epiſcopus duo ſcripſit epigrammata, quorum & acroſtichis, & telioſtichis idem I E S V S nomen exprimit; primum quidem ita

I *n rebus tantis trina coniunctio mund* I
E *rigit humanum ſenſum, laudare venuſt* E
S *ola ſalus nobis, et mundi sūma poteſta* S
V *enit peccati nodum diſſoluere fruct* V
S *umma ſalus cūctis venit per ſecula terri* S.

Alterum autem hoc modo

I *ure pari regnat, communis conditor au* I
E *t cum patre pia regnat ſublimis in arc* E
S *idereo ſanctis inſidit numine regni* S
V *nde mare et terras ſolo videt omnia nut* V
S *uggerit humanis & donat munera rebu* S.

De quibus Telioſtichidibus agit Lilius in ſua Poetarum hiſtoria dicens, g *Sunt & acroſtichis contrarij, qui appellantur Telioſtichides, quum vltimis verſuum litteris aliquid ſignificatur;* g *Dialog. 2.*

quorum extant exempla in eodem Rhabano: ſunt vero & apud Homerum eiuſmodi carmina, quorum acroſtichide, & telioſtichide, hoc eſt prima, & nouiſſima verſus ſyllaba, vel eſculenta aliqua, vel vaſa, vel ſimilia ſignificantur; vt pleraque ſunt, quæ ab Athenæo colliguntur. Ceterum & hiſce Publilius Optatianus ille Porphyrius adiunxit omnium factu difficillimam, & artificioſiſſimam Meſoſtichida; deſumens medias verſuum litteras tum ad nomen aliquod exprimendum, tum laborioſius ad integram ſententiam quampiam referendam, tum laborioſiſſime ad alicuius rei ſeu naturalis, ſeu artificioſæ imaginē repreſentandam: quem laborem nemo præter Bedam, & Rhabanum hactenus ſubire voluit. Quare iam conſtat inſignes viros audiendos non eſſe, dum veteribus acroſtichidas interdixerūt, ac ſolis iunioribus adſcripſerunt. Sed illis fortaſſis impoſuerunt acroſtichides appoſitæ ad argumenta Comœdiarum fere omnium Ariſtophanis, earum nomina referentes; quas non Ariſtophanes ipſe cōdidit, ſed Q. Septimius Florus Chriſtianus; indeque non bene collegerunt alios antiquiores non feciſſe Acroſtichides ex eo, quod Ariſtophanes illas non condiderit. Hæc habui, vir eruditiſſime, quæ tibi patens de propoſito ſcriberem. Vale. & me ama. Patauij. X. Kal. Auguſti M DC XXI.

Cur vorent Struthiocameli ferrum, & an metalla nutriant.

Ioannes Veſlingius Fortunio Liceto S.P. Epiſtola XX.

VIdi Securim, & Lilia tua, vir Cl. veri florum reges, quippe quæ exempta communi fragilitate, nec imber edax diluere, nec Aquilo ſubruere, nec longa vnquam temporum ſeries abolere poteſt. Temperare vel inter ſummas diſſectionum occupationes vix ſuſtinui ab eorum vago & curioſo aſpectu: dubius voti, oculus mallem cum Argo fieri, an cum Catullo naſus: Ita hinc eximius a modeſtia tua nitor, inde ab ingenio cœleſti ſuauiſſimus ſpiritus, in nauſeā mihi vertebant quicquid Alcinoi quondam exhalabant horti, vel felices Arabum ſyluæ. Gratias tibi referrem pro immortali munere immortales, niſi

penitus

Digitized by Google

penitus hic impar beneficio ſuccumberem. Ago tamen ingenue quicquid earum tum animo, tum calamo habere poſſum. Mitto obſeruationes meas ad Pr. Alpinũ de plantis Aegyptijs. Si non faſtidis impolito libello admouere manum: queſo, Cenſorem te mihi præbeas Catonianum. Conſtabit, non minus promptum ad monendum te fuiſſe, quam ego ad corrigendum & delendum futurus. Ab Anatomes ſexenni munere (qui fauore Numinis) feliciter me expediui. Ceterum laſſus, & pertæſus ſordidi laboris, cœpi ſimplicium med. profeſſionem, hortique Medici præfecturam a Triumuiris expetere, quum Fato iam defunctus Alpinus ſit. Quid futurum, neſcio: nec diuinus ego ſum, nec Mathematicorum cœlum curo. Vale Cl. Vir, illibate Cordatorum flos, Sophiæque medulla, mihique factum velle perge; ac vbi per otium liceat, quid ab eſu ferri ſibi conquirat vtilitatis Struthiocamelus, ſenſum tuum aperi. Patauij. II. Idus Februarij M DC XXXVIII.

Cl. Viro Ioanni Veſlingio Patauino Anatomico Primario Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

DVm pro duplici meo Lilio, ſimplicique Securi, non ita pridem ad Te tranſmiſſis, Cl. Vir, me tot raris ac pretioſis plantis Aegyptijs muneraſti, Caſſia, Palma, Cypero, Colocaſſia, Moſcho, Tamarindis, Acacia, Balſamo, Carob, & alijs id generis quampluribus: næ tu Diomedi meo ſatis egeno voluiſti Glaucus haberi, qui fuerat ab Homero celebrandus rara liberalitate, quod ab amico ferrea ſuſcipiens, aurea retribuerit arma longe pretioſiora. Quod autem meorum Liliorum candore, ſimul & qualicumque ſuaueolentia delectatus fueris; & quod inter anatomicas adminiſtrationes tuas, etiam meam Securim tractare volueris, ipſius aciem non improbans; id affectum erga me tuum aperte declarat, & me mirifice delectat, qui te perſpicaci iudicio pollere, ipſoque candido & ingenuo ſemper vti ſcio. Scias autem & tu velim, me legiſſe maxima cum oblectatione ſtirpes illas tuas Niloticas, ex eiſque tum fructum vberis doctrinæ decerpſiſſe; tum alimentũ animi ſolidum hauſiſſe, conditum eruditionis, & elegantiæ ſalibus. Hinc habebunt

Digitized by Google

bebunt prudẽtiſſimi Senatores, quò te (Cortuſo, Guillandino, & Alpino ſeniore non inferiorem) digne præficiant Horto Medico Patauij: nec tibi ſedes alia quærenda. De problemate paucis; nam ferrum Struthionibus non eſſe cibum & alimentum, vt vulgo creditur, ſed condimentum alimenti, & medicamentum alterans, ideoq. ab illis animalibus expetitum, ac de-
a lib. 1. c. 108 uoratum, late nos olim probauimus in opere *a* De his qui diu viuunt ſine alimento. Cui contemplationi nunc in tui gratiam adijcere lubet, fieri poſſe vt ferrum deuorent Struthiocameli, tamquam adiumentum ad cõcoctionem duriorum eduliorum promouendam; vt enim caro prope oſſa degens citius concoqui ſolet; vtque gallina nuper interempta cito decoquitur, ſi lapis intra illã, vel nux, vel plumbea glans, vel durius aliquod corpus inſuatur; quia calefactum ab igne carnes coquente durum illud corpus, in ſua duriori ſubſtantia calorem intenſiorẽ, & actuoſiorem gerit; adeoque carnes velut a duplici calore coquuntur; externo ſcilicet ignis ardentis, atque ab interno calore vel oſſi, vel ferro, vel etiam lapidi quomodocunque impreſſo: Sic plane Struthiones inſtinctu naturæ ferrum deuorant, non quidem vt eo nutriantur, ſed vt illo a naturali caliditate ſtomachi percalefacto facilius ingeſta cibaria concoquantur, ſuapte natura ſolo ventriculi calore difficilia coctu, tantumque non incoctilia. Ferrum autem Struthiocamelis non
b 1. ſect. probl. 43. cedere in alimentum, expreſſe nos edocet *b* Ariſtoteles, metalla cuncta remouens ab alimentorum genere, quod cõcoqui nequeant a natiuo calore viuentis; & a numero medicamentorum purgantium, quod ob maximam duritiem ab eodem calore nequeant in vapores reſolui per venas in vniuerſum corpus diffundendos, indeque noxios humores ad aluum retrahere; dum ait, *Aes vero, argentum, ceteraque generis eiuſdem*, metalla ſcilicet, *etſi concoqui a calore animalium non poſſunt* (quo nomine diſſident ab alimentis, quorum conditio eſt, vt
c 2. de an. t. 44. 45. 50. animalium calore concoquantur eidem *c* Ariſtoteli) *ſed reſolui a ventribus nequeunt*; qua ratione differunt a pharmacis purgantibus, quæ in animalium ventre reſolui debent in vapores, per venarum ſpatia peterrantes in totum corporis habitum, indeque ſuccos noxios, cum quibus ob familiaritatem naturæ copulantur arcte, deducentes ad ſui mineram & radicẽ

in

Digitized by Google

In ſtomacho & inteſtinis commorantem, ac ſuo tempore, ceu
rem naturæ noxiam vel per os vomitu reijciendam, vel per ſe-
ceſſum extra corpus expellendam; quum aliqua eorum vapo-
rum portio cum humoribus prauis, quibus agglutinata fuerit,
vellicans partes corporis habitum contexentes, ab earum vi
expultrice irritata protrudatur nōnunquam per cutis poros in
ſudores; at frequentius ad aluum ferūtur attracti ſimul a maſſa
craſſiori medicamenti per venas non delata, ſed in ventriculo,
& inteſtinis commorante. Neque vero huic Ariſtotelico dog-
mati repugnat experimentum, quo videmus Antimonium, a
d Dioſcoride ſtimmi, ſeu ſtibium appellatum, & inter metal- *d lib. 5. c. 59.*
lica numeratum, habere vel eidem e Dioſcoridi vires validiſ- *e lib. 4 c. 149*
ſimas purgandi; quod experimentum a f Matthęolo ſæpe *f 5. in Dioſc.*
comprobatum eſt: quoniam Ariſtoteles agit de metallis pro- *cap. 59.*
prie dictis, atque præcipuis; quum ſtibium proprie metallum
non ſit, ſed foſſile quidpiam, ac ſi placet metallicum ſaxum, vt
ait Dioſcorides, ipſum collocans inter lapides metallicos: quā
ſententiam habet g Plinius, h Fallopius, & alij iuniores. Idip- *g lib. 32. c. 6.*
ſum dicas de Argento viuo nuncupato, cuius inunctione ſub- *h de metal.*
ſtantia per cutis poros permeans in corporis habitū, peculiari *cap. 29.*
quadam ratione tetra lue venerea ſuccos infectos trudit ad gin
giuas, & per fœtida ſputamina corpus mirifice purgat; etenim
hydrargyrus metallum nō magis eſt quam naphtha, & alumen
liquidum, ſed extra metallorum genus, excrementum ac ve-
nenum, vt ait i Fallopp ius, ex omnium Claſſicorū antiquio- *i de foſſil.*
rum ſententia. Sed redeamus ad penſum, vt vt ingurgitent *cap. 10.*
Struthiocameli ferrum, id illis in alimentum cedere non poteſt
ob rationes allatas. Quod etenim k Plinius, & ex Plinio vir *K lib. 8. c. 57*
doctus ait, olim *Mures arroſiſſe Lauinij clypeos argenteos, por-
tentum Marſici belli: & ex Theophraſto, in Gyaro inſula, quum
incolas fugaſſent, ferrum quoque roſiſſe eos; id quod natura
quadam & ad Chalybas facere in ferrarijs officinis: Aurarijs
quidem in metallis; ob hoc aluos eorum excidi; ſemperq. furtum
id deprehendi; tantam eſſe dulcedinem furandi.* Hoc inquam
nil me turbat; quoniam de roſione ferri, & chalybis purum
putum commentum eſt, vel a Seneca relatum inter fabulas, vbi *l in ἀπο-*
ludens Claudij Cęſaris obitum, l inducit Herculem aſſerentē *κολοκύν-*
Mures in cœlo ferrum rodere. Sed vt concedere poſſumus *τωσι.*

Iulio

m Prodig. 79. Iulio *m* Obſequenti, prodigia vera narranti, Africano & Lelio Coſs. mures aurum ſacrũ arroſiſſe Fruſinone; auri ſacri nomine intelligentes lignea vaſa deaurata, ſacrificiorum miniſterio dicata; vel etiam ſi placet aurea; nam aurum obrizum metallum eſt valde molle; quod a muribus non ita magno negotio corrodi poteſt: Idem forte dici valet de argenteis clypeis, deque gladijs; mures nimirum arroſiſſe illorum lora ſcortea deargentata, & horum manubria lignea deaurata; vel etiam argentea, & aurea; nam argentum puriſſimũ, vt aurum obrizum molliorem ſubſtantiam habet. Ceterum vtcumque ſit, ea metalla muribus alimento non fuiſſe dicendum, ſicuti neque ferrum Struthiocamelis. Hæc ſunt, eximie vir, quæ mihi nunc occurrunt in propoſito. Tu ſi meliora poſſides, impertiri ne graueris. Vale. Bononiæ. XI. Kal. Martij M DC XXXVIII.

De Lapide Speculari Veterum, de Gypſo in Herculis Clypeo, & de impoſitura lapidis Indici apud Thuanum

Eruditiſſimo ac doctiſſimo Viro Fortunio Liceto Philoſophiæ Eminenti Sede Bononienſis Gymnaſij Profeſſori Ioannes Argolus S. Epiſtola XXI.

Rimeni Patauinum, vbi quinquatribus noſtris æſtiui anni feriari aliquandiu cogito, Licete Vir doctiſſime: Hic interim dum Te, amicitiam tuam vna cum ſtudijs, literiſq. meum recolo, ſubijt interdum animum, quoniam de Bononienſi illo lapide agis diſerte in erudito illo opere, quod nupera emiſſione feſtinas, efflagitandi a Te per epiſtolam, vt quid (in ea enim re cognoſcenda omnem pœne lapidem moui) vt quid, in quam eſt, quod Ioan. Auguſti Thuani hiſtorici probiſsimi teſtimonium, cuius fidem de quodam lapide ad Galliarum Regem a quopiam Barbaro Bononię allatum quum Io. Fabricius, & Muſæi Calceolarij auctor aduocet, id omnino in codicibus, quos integrę notę eiuſdem hiſtorici habeo, ſedulo a me id propter verſatis nuſquam appareat. Cœpi primum bonitatem librorum culpare, atque ideo cęterorum fidem excutere, mox in incerta reuolutus ad Te ſcribere decreui, vt ſi quid luminis

in hac tenebra habes, mihi proferas; quando, etſi quoque in omnibus tenuitatem ingenij profiteor, hic me Io. Argolum, nõ Argum, non Oedipum prædico quam maxime. Præterea quoniam huc deuenimus, libet etiam a Te quærere, quia lapis Tuus hic Bononienſis ſpecularis ille idem eſt, vt reor, Plinianus, videlicet gypſus; quid ſibi Heſiodus velit in libello, cui titulum *a* ἀσπὶς ἡρακλέως fecit, vbi Herculis clypeum ex gypſo, ebore, electro, auro, limbiſque nigricantibus componit: aurum quidem, cæteræque ibi materiæ quoniam prægraues duræque, ſane vel ictibus reſiſtunt, vel corpus muniunt; gypſus glacialis naturæ non hic mihi prudentius inducitur, quam, vt aiunt, in bellum *b* θώραξ ὑάλινος. Aſcræi vero vatis hi ſunt verſiculi,

a Scutum Herculis.

b Thorax vitreus.

Χερσί γε μὴν σάκος εἷλε πανάιολον. οὐδέ τις αὐτὸ
οὔτ' ἔρρηξε βαλὼν, οὔτ' ἔθλασε. θαῦμα ἰδέσθαι.
πᾶν μὲν γὰρ κύκλῳ τιτάνῳ, λευκῷ τε ἐλέφαντι,
ἠλέκτρῳ θ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε φαεινῷ
λαμπόμενον, κυάνου δὲ διαπτύχες ἠλήλαντο. idest.

Manibus autẽ clypeũ ſuſtulit vndiq. elaboratũ, quem nõ alius
Conijciens (baſtam) effoderet, neque erigeret. mirabile viſu.
Omnis enim circa oras gypſo, alboque ebore,
Et electro ſplendeſcens erat, auroque nitido
Lucidus, ſubnigræque faſciæ circum deferebantur.

In tanto vbi negotio nulla opera Interpretis præſto eſt, ſolũ ille addit, *d* τίτανος, ἡ ἄσβεστος, ἐνταῦθα δὲ τὸν γύψον λέγει, ὃν καλοῦμεν σκίρρον. Sed ego vel ſine ipſius admonitu id noueram. Sed mittes me puto ad allegoricum clypei ſenſum, quem & idem intellexit Interpres, *e* ἰστέον, ὅτι ἡ τοῦ ἡρακλέως αὕτη ἀσπὶς, ἣν ἐκφράζει ἡσίοδος τὴν οἰκουμένην ἅπασαν εἰκονίζει. Verum neque iſtud me latet, vir doctiſſime: Quæro ego ſcire, num in gypſo Heſiodi aliquod naturæ arcanum reliquum ſit, quod me prætereat; ipſeque lapis num aliquando ita (quod vix credo) obdureſcat, vt ferro repugnet. Sed Cantorum tecum vitium, quod notat Horatius, facile ſubibo, nunquam deſiſtam obſtrepere. Addo præterea, quod

d gypſus, calcis ſpecies. hic gypſum ſignificat, quẽ ſcirrhũ vocamus

e ſciendũ eſt, Herculis hũc clypeũ, quem hic deſcribit Heſiodus, terram uniuerſam repræſentare.

quum perſuaſum illud Panciroli mihi ſit, Specularia hodie non reperiri, puto ipſa non naturali forma, ſed artificio apud veteres innotuiſſe: natura ſiquidem non effæta eſt, inquit Columella; & quæ priſcis olim tribuit, poſteritati non denegat: igitur vt arena ad id diſpoſita vitrum artificioſe, ita & ſpecularia conflabantur; ſpongiaque hęc Solis, quam vocatis, ſpeculariorum pars fuit: moueor quinimo ex auctoritate petitis argumentis: in crudelē amicum ait Martial. lib. VII. Epigr. XIV.

Hibernis obiecta notis ſpecularia puros
Admittunt Soles, & ſine fece dies.

legit Cuiacius, *& ſine Sole dies*, ad membranas profecto; lux vero *ſine Sole* lumen eſt, quod hauſerat, & retinebat lapis adhuc Sole deuio: hinc ſunt formulæ apud eumdem Martialem, *admittunt Solē*: & apud Senec. epiſt. 91. *Latis ſpecularibus diem admiſerat*, quod veluti hoſpitem retinere & includere denotat, imbutis ſpecularib. Sole *ſine Sole* ipſo; inflammabantur quippe ſpecularia, & Solis radijs inardeſcentia fucum luminis tãquam lana potabant, eaque illuſtri fullonia coloratus lapis per interuallum quodpiam ſine Sole refulgeſcebat: quod etiam Plinij reſignat ſcriptum, Fortunę ſcilicet ſacellum fuiſſe factum a Nerone e ſpecularibus; in quo qui erat extrinſecus, abſque vllo obſtaculo conſpiciebatur, & portis etiam clauſis *lux ibi incluſa, non tranſmiſſa* videbatur: quid de hac luce dixiſſet lucidius, vbi incluſa ipſa & veluti capta, nō tranſmiſſa videretur? In ſacello præterea Diuæ Virginis, quæ ad Porticum Romæ dicitur (Porticum Octauiæ Auguſti ſororis) columna adhuc cernitur in Odæo ex eodem lapide, & quæ fortaſſe in æde Neronianæ Fortunæ olim fuit; hæc Sole per feneſtram quum tangitur, radiorum colore bracteata, & memor Solaris beneficij, non ſtatim lucis obliuiſcitur, verum momēto vitales per viſcera ſplendores diu volutat. Quid ſi gypſus ille Heſiodi idem cum iſto ſit lapide? ſcis enim Cappadociam, Hiſpaniam, Cyprum, Ciliciam ſpecularia olim habuiſſe, non modo apud agrum Bononienſem. Ego tamen totum hoc tibi penſum remitto, me, & ſæculum doce, Vir Clariſſime. Vale interim, & me vt facis ama: ſalutat Te Pater meus. Tu Claudium Achillinum, quod caput Dij ſuperi! caput diſciplinarū, & omniū virtutū verticē, meo nomine ſaluum velis. Patauij Kal. Iun. M DC XXXIX.

Erudi-

Eruditiſſimo Viro Ioanni Argolo in Bononienſi Lyceo Humaniorum Litterarum Profeſſori

Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

TE ſaluum Antenoream Vrbem perueniſſe gaudeo, Vir Cl. ſimul & litteras tuas inde tranſmiſſas ad me legi ſumma cum animi voluptate; quod & amorem effuſum in me tuum mirifice teſtantur, & non vulgarem ſpirant eruditionem: ſed quid me Philoſophiæ tetricæ ſenticeta colentem, quaſi Muſarum amænos hortos incolerem lectiſſimorum eruditionis reconditę florum poſtulatione torques? non ne ſit hoc, e pumice fluctus efflagitare Pontum? Quis te melius, eruditiſſime Virorum, nodos de gypſo in Herculis clypeo; de lapide ſpeculari veterum; & de Thuani lapillo mirabili, ſoluere poſſit? Sed tuæ parendum eſt iuſſioni: referam ingenue, quæ ſentio de propoſitis. Atque vt a poſtremis exordiar, quæ me magis vrgent, ad ſuprema conſcenſurus, De ſpecularibus lapidibus, quæ cum Cl. Pancirolo reris hodie non reperiri, quod non naturæ, ſed artis eſſent opera, quam nos amplius non calleamus, deperditam cum multis alijs antiquorum artibus; a Pancirolo diſſentire cogor, quod Plinium nulla facta prorſum artis mentione videam teſtari, ſpeculares lapides non arte fieri, ſed inueniri in Africa, dari ab Hiſpania circa Segobricam vrbem; quin ait, de ſpecularibus lapidib. a *Sunt & in Bononienſi Italiæ parte breuiores maculoſi, complexu ſilicis alligati, quorum tamen appareat natura ſimilis eis, qui in Hiſpania puteis effodiuntur profunda altitudine. Nec non & ſaxo incluſus ſub terra inuenitur, extrahiturque, aut exciditur* lapis ſpecularis. *Sed maiori parte foſſili natura, abſolutus ſegmenti modo, nunquam adhuc quinq; pedum longitudine amplior. Humorem hunc terræ quidam autumant cryſtalli modo glaciari. Et in lapidem concreſcere manifeſto apparet, quod quum fere decidere in puteos tales, & medullæ ex oſſibus earum in eamdem lapidis naturam poſt vnam hiemem figurantur. Inuenitur & niger aliquando.* Iſidorus in eamdem ſententiam infit, b *Specularis lapis vocatus eſt, quod vitri modo transluceat, repertus primum in Hiſpania citeriore,*

a *l. 36. c. 22.*

b *l. 16. c. 4.*

& circa Segobricam vrbem. Inuenitur enim ſub terra, & effoſſus exciditur atque finditur in quamlibet tenues cruſtas. D. etiam Baſilius in Hexamero ſcribit, c *Specularij lapidis natura in metallis concreſcens: eſt autem lapis pellucidus peculiarem, eamq. puriſſimam tranſparentiam adeptus; qui ſi iuxta ſuam naturam ſyncerus & abſolutus fuerit repertus, neque putredine aliqua exeſus, neque ſegmenta ac ſtyrias in altum producťas habet, fere aeris lucíditate ſimilis exiſtit.* Neque me Columella mouet, cui Natura non eſt effœta, nec poſteritati denegat munera priſcis olim tributa; nam paſſim exhauſtas qua lapidum, qua metallorum fodinas legimus in multis locis. Et apud Plutarchum habemus multa deſijſſe; ſiquidem agens de oraculorum defectu, præclare dicit in hanc rem, *Quemadmodum multis alijs rebus, quas Dij nobis conficiunt atque apparant, interitum natura infert, aut materia potius priuationi obnoxia retexit atq; mutat quod a præſtantiore cauſſa fuerat conditum: ita diuinandi quoq; facultatum arbitror obſcurationes eſſe atque abolitiones: quippe præclara multa hominibus Deus dedit, immortale nihil; vt deorum quoq; pereant opera, ipſi non, ſecundũ Sophoclẽ.* & inferius. *Ipſam proinde terram, vt Heſiodus melius quam a nonnullis factum eſt philoſophis, re conſiderata appellauit Immotam ſedem cunctorum: ita nos quoque ſempiternum interituſque expertem ſtatuimus, facultatum autem eius aliquando defectus, aliquando ortus, nonnunquam alio migrationes probabile eſt euenire, vniuerſique temporis circuitu tales conuerſiones in ea reuoluit: quod conijcere licet ex ijs, quæ animaduerti ſenſu poſſunt: nam & lacus, & amnes, ac frequentius thermæ quibuſdam in locis defecerunt ac omnino euanuerunt; in alijs quaſi ſubterfugerunt ac delituerunt: aliquantò poſt tempore rurſum ijſdem, aut vicinis locis extiterunt. Iam metalla quædam prorſum exinanita iacent; vt in Attica ſecturæ argentariæ, & in Eubœa æris venæ, ex quo cudebantur gladij, qui aqua tinctura durabantur, quorum ſic meminit Aeſchylus, Sumens acutum mucronem Euboicum manu. Neque diu eſt, quod Caryſtia rupes deſijt ſimul cum marmore proferre ſtamina quædã mollia ac quaſi fila lapidea (exiſtimo enim quoſdam veſtrum vidiſſe mantilia, retia, & inuolucra capitis ea ex materia confecta; quæ neque vruntur, & quum vſu ſordes cõtraxerunt, in ignem coniecta nitorem ſplendoremque ſuum recipiunt)*

c Homil. 3.

piunt) plane enim deſijt; & vix graciles quædam tanquam fibræ & quaſi capilli eius materiæ per metalla diſcurrunt. Quid ni tale quid accidere potuit lapidi ſpeculari, priſcis frequentiſſimo, nobis non amplius vſui? Sic olim frequentes gigantes fuere, nunc iam nulli ſunt. Natura quidem perennia ſeruat ad vſum hominum, quæ procreat ex inſtituto primario; ſed quæ fiunt ſecundario naturæ inſtituto, ac ex neceſſitate materiæ, deſinere poſſunt aliquando penitus, nullo naturæ crimine. Sed fortaſſe lapis ille ſpecularis in Talcum appellatum degenerauit, aut in gypſum nobilioris conditionis. Quid ſi fuerit etiã quoddam genus cryſtalli foſſilis? neque te turbet, quod apud nos Talcum, & cryſtallus non habere videatur eas dotes, quas de ſpeculari lapide veteres prædicant; quia mirabilia ſua cuncta prædicare conſueuerunt antiqui, vt puta ſuis tẽporibus noua; ſed nunc nobis obſoleta, & familiaria nullam excitant admirationem. Immo vero qui lapidem adamantem paſſim celebrant malleis non tundi, flammis non vinci, ſanguine ſolum hircino frangi, potuerunt ijdem læſa veritate ſpecularium lapidum vires extollere ſimiliter, quas in Talco, gypſo, & cryſtallo non videmus: quod eo mihi fit veriſimilius, quia ſpecularium maximam copiam memorant, qua cubicula, balneas, totas porticus, item pomætia, & hortos muniebant. Caute Lipſius hac in re, d ſed artem excludens, a natura pelluciditatem eorum agnoſcit, *Specularia, inquit, quadræ, ſiue orbes feneſtris inſtiti ad lucem immittendam, ventos excludendos: vicem & vſum hodie vitreorum: dicta a lapide ſpeculari: cui hoc nomen a natura tralucẽte: Creber olim, in Hiſpania, Cypro, Cappadocia, Africa: nunc ſit ne in notitia, neſcio; vix in vſu: at olim frequenti: neque enim cænationes ſolum aut cubicula eo illuſtrabant, ſed balnea, ſed totas porticus, in Plinij epiſtola* XVII. *lib.* II. *Item pomaria & Hortos (tanta copia erat) contra cæli iniurias ſic claudebant: ex Martiali palam lib.*8. *epig.* XIV. & lXVII.: apud quem ipſe prius e legerat,

d *ad Sen. ep.* 90.

Hibernis obiecta Notis ſpecularia puros
Admittunt Soles, & ſine fece diem.

e *in not. ep.* 86.

Sed tua coniectura legendi, *& ſine Sole*, mihi ſubtilior videtur, magiſque probatur. Laudo pariter coniecturam de columna lapidea Phengite dudum ex æde Neronianæ Fortunæ in Porti-

cum

cum Octauiæ delata, quæ nunc Romæ viſitur in Odæo Sacelli D. Virginis: ceterum vt columnam cenſeo ab arte figuram induiſſe, tamen a natura luminis concipiendi vim vniuerſam habere mihi videtur; & quidem tactu ſolis lumen intimius haurit, vt olim lapidea Statua Memnonis vocem cõcepiſſe dicitur: ſed hæc illuminata columna, recedente ſole lumen aliquandiu ſine ſole retinet, quia perſpicuitatis admodum particeps eſt, cuius actus lumen eſt proprius, *f* Ariſtotele doctore; cui etiam abeuntibus *g* obiectis ſenſibilibus, aliquãdiu permanẽt in organo ſenſus eorum imagines; ita diu Solem intuentes, ac totam diem perambulantes loca niuibus obſita, clauſis palpebris, ac in obſcurum locum delati, diutule ſibi ſeruant in oculis imaginem Solis, & niuis; eſt autem lumen nihil aliud quam imago lucidi, a quo prouenit, quam in ſcholis appellare ſpeciem viſibilem conſueuimus. At harum ſpecierum fere momentanea duratio eſt; in Bononienſi lapide lux genita ab ambiente claro diutius conſeruatur in tenebris quam a columna ſacelli D. Virginis ad Porticum; etſi nondum compertum habeam, an ea columna lucem ſibi retineat in meris tenebris. Et hactenus de lapide ſpeculari; quem vt nullo penitus artificio, ſed ſola naturæ vi lucem a præſente Sole concipere cenſeo; ſic ambigo num Talcum ſit vulgatum, gypſuſve purior, an quidpiam quod æuo noſtro lateat, certe nõ ita proſtat, vt antiquitus, de viribus eius antiqui ſi vera prædicant. Ad gypſum in Herculis clypeo poſitum ab Heſiodo quod attinet, arbitror non inepte poſitum in Herois illius fortiſſimi ſcuto, multas ob rationes, primã quidẽ ex gypſi duritie pondereq. deſumas; nam etſi coctum, & calcinatũ nõ ita rigeat, crudus tamẽ lapis, vt a natura gignitur, nõdũ artis operã expertus, duriſſimus, & grauiſſimus eſt; quod nos experimur quotidie in Bononienſi Gypſo, & Plinius ante nos in Syria *h* duriſsimos eſſe lapides ait, qui coquuntur in gypſum: hi lapides gypſi nomine ab Heſiodo vocati, potuerunt emblemate, nimirum opere vermiculato, noſtris *Moſaico* nuncupato, clypeo intexti ſua duritia vim eludere vibrati iaculi, & adactæ lanceæ vel a manu fortiſsima. Præterquam, quod læuore ſuo certitudinem ictus eludens hoſtile telum innoxie trãſcurrere facit. Deinde vero duas alias propoſiti tibi poſſum, C.V. afferre cauſſas; quarum altera pendet ab orn atu, & firmi-

f 2. de an. t. 69.
g 2. de an. t. 138.
h l. 36. c. 24.

tate clypei; pertinet ad terrorem hoſtibus incutiendum altera, ſiue ad oculos perſtringendos inimicorum: Hanc ſecundam vtcũque nobis prodere videntur Laberij poetæ verſus ab *i* A- gellio relati, verbis ipſiſsimis. *i l.10.c.22*

Democritus Abderites phyſicus philoſophus clypeum
Conſtituit contra exortum Hyperionis, oculos
Effodere vt poſſet ſplendore æreo, ita radijs
Solis aciem effodit luminis, malis bene
Eſſe ne videret ciuibus: ſic ego
Fulgentis ſplendore pecuniæ volo
Elucificare exitum ætatis meæ,
Non in re bona videam eſſe nequam filium.

Aſt vtramque belliſsime videtur Heſiodus aſpexiſſe ſimul & expreſsiſse in verſiculis abſte prolatis. Sane Gypſus cũ ebore, ac electro, & auro poſitus in ora clypei, varietate ſplendoris pulchritudinem afferebat ſimul, & diuerſicoloribus radijs ad Solis repercuſſum euibratis facilius aciem oppoſitorũ hoſtium perſtringebat, eoſq. non parum deterrebat. Duritiem Gypſo lapidi nondum calcinato marmoream eſſe, ac maximam Plinius k edocet, cui *Gypſi plura genera ſunt: nam & e lapide coquitur, vt in Syria, & Thurijs; & e terra foditur, vt in Cyprio, ac Perrhæbis; e ſumma tellure & Tymphaicum eſt. Qui coquitur lapis, non diſſimilis alabaſtritæ eſſe debet, aut marmoroſo. In Syria duriſſimos ad id eligunt.* Ad quos alluſiſſe crediderim Heſiodum hic deſcribentem clypei firmitudinem, quem neque rupiſſet aliquis vulnerans, neque ferre potuiſſet, ob pondus. At vero fortaſſis etiam poeta, qui ſolum veriſimilia tradere debet, ſeu vera, ſeu falſa ſint; & a veris abſtinere, quæ videntur incredibilia, nec vllam apud populum habent apparentiam veritatis; ac excuſare mirabilia quapiam machina credibili; quum animaduerteret in fabulis heroica geſta Herculis humanam virtutem longe tranſcendere, machinam Scuti mirabilis adiecit, cuius virtus adiuncta virib. Herculeis geſta patrare poſſet admiranda: Non alia ratione nuper *l* Areoſtus noſter itidem ſuo Rogerio clypeum Atlantis dedit, cuius fulgore perſtringens oculos plurium aduerſariorũ fortiſſimorũ, eos facile vinceret. *k l.36.c.24.* *l Cant. 3.*

Ha lo Scudo mortal, che come pria
Si ſcuopre, il ſuo ſplendor sì gli occhi aſſalta,

La

La viſta tolle, e tanto occupa i ſenſi,
Che come morto rimaner conuienſi.

Quare Gypſo, & alijs lucidis conflatum clypeum Herculi dedit Heſiodus, vt excuſaret vtcumque victorias illius fabuloſas. Nec abnuerem Gypſo libenter viſum fuiſſe poetam ad ſignificandum robur Herculis omnibus aduerſarijs mortiferum, atq; letale; namque Gypſum aſſumentibus mortiferum eſt ac le-
m l.2. c.17. l.23. c.4. l.28. c.9. l.36 c.24. tale venenũ; vt ſæpe teſtatur m Plinius, potiſſimum inquiens, *Exemplum illuſtre C. Proculeium Auguſti Cæſaris familiaritate ſubnixum in maximo ſtomachi dolore gypſo poto, conſciuiſſe ſibi mortem.* De lapide vero Thuanico, V. Cl. Fabricius me pariter, & Chioccus diu multumque torquere potuerunt, perinde ac in præſentia tuam excruciare mentem videntur; ſed me non ita pridem liberarunt a difficultate Fernelius, & inclyti Puteani fratres Pariſienſes: Fernelius quidem huiuſmodi fabulam affa-
n l. 1. c. 17. bre cõfingẽs, vbi tractat n *De abditis rerum cauſſis* in hæc verba (quæ nos in Thuano legere non potuimus, at ex Thuano referunt illi tam in Hemerologio, quam in Muſæo Calceolario) *Sed omiſſis ſerijs, liceat mihi tecum parumper vrbanius iocari. Nuper ex India quidã meus familiaris lapillum mire luminoſum reportauit, qui totus quaſi incenſus admirabili lucis ſplendore fulget, iactiſque radijs ambientẽ aerem lumine quoquouerſus implet. Is terræ impatiens, ſuopte ipſe impetu confeſtim in ſublime euolat. Neque vero anguſte haberi poteſt, ſed amplo liberoque loco tenendus: ſumma in eo puritas, ſummus nitor, nulla ſorde aut labe inquinato; figuræ ſpecies nulla certa, ſed inconſtans & momento mutabilis. Quumque ſit aſpectu longe pulcherrimus, ſe ſe tamen contrectari non ſinit; &, ſi diutius adnitaris, feriet acriter: ſi quid illi demitur, fit nihilo minor. Aiebat inſuper huius vim eſſe ad plurima tum vtilem, tum ſumme neceſſariam.* Br. *Ita ſane fabuloſis ænigmatibus cum Oedipodibus quibuſdam te iocari putas?* Ph. *Nihil fabularum texo: rem ſi ante te conſtitui voles, oculorum fide veriſſimam fateberis.* Br. *Beſtiolam aut noui generis auiculam eſſe oportet.* Ph. *Nihil iſtorum, ſed res eſt prorſus inanima atque muta.* Br. *Nouam et admirabilem rem audio: cuius profecto ſi cuiuſquam alterius, proprietas debet occulta cenſeri. At nullũ ne illi eſt inditum nomen?* Ph. *Ignis, flamma.* Br. *Captus ſum, & quidem ſatis ſuſpicabar quippiam*

fallaciæ

fallaciæ ſubeſſe: Ph. *Quid me fallaciæ aut vanitatis inſimulas? rem profero veriſſimam.* Br. *Sed tamen viliſſimam & maxime protritam. Hoc vno maxime ſpem meam fefelliſti, quod ex India allatam diceres.* Ph. *Ergo India ſi quid eiuſmodi rarum carumq. ſola protuliſſet, admirarentur ſcilicet omnes ac laudarent occultas eius proprietates: nunc quoniam vulgare eſt paruoque parabile; contemptum proinde erit & nullo in pretio? Si, vt recte protulit Auicennas, ignis inuentu admodum difficilis eſſet, nobiſque ab extremis & ignotis regionibus deferretur; illius quidem vim & proprietatem magis, quam ceterorum omnium omnes admiraremur, illius cauſſas attentius ſcrutaremur, illiuſq. multo magis quam magnetis effectus nos in admirationem traherent.* His ego lectis, cogitare cœpi de impoſtura; quam ſuſpicionem vt eluerem, ac fidem non habere non valens Andreæ Chiocco, qui Thuani verba propoſita referre ſe fatebatur; adiui per litteras nobiliſſimos viros Puteanos, Pariſienſes illos litterarum Patres, quos a Clar. Naudæo monebar poſſe totum hoc negocium extricare, quod & eruditiſſimi forent, & Thuano maxime coniuncti: ſurdum ille non monuit; etenim illico ſic ad eos ſcripſi,

Illuſtriſſimis nobilitate pariter ac eruditione Viris DD. Puteanis Pariſienſibus Fortunius Licetus B. A.

Audio a Cl. V. Gabriele Naudæo, inclyti viri, penes Vos eſſe litteras, olim a Pipino Medico Regio datas ad Mizaldum, de lapide mirabili, cuius hiſtoriam primo Thuanus recepiſſe videtur, & ſuis voluminibus aliquot inſeruiſſe; verum dein e poſterioribus editionibus expunxiſſe. Quia mihi nunc agenti de Lapide Bononienſi paullo diligentiori calamo non parum ex vſu foret eam impoſturam detegere, præmonereque ſtudioſos de errore, in quem nuper Cl. VV. Ioannes Fabricius Hemerologij cõpilator, & Andreas Chioccus Muſæi Calceolarij deſcriptor, impegerunt, plenam fidem adhibentes Hiſtorico grauiſſimo: & quia cupio vehementer apud præſentes itidem & poſteros excuſare nobilis Hiſtoriographi credulitatem (quæ in optimi cuiuſque mentem facillime irrepit, obſeruatione Tulliana) propterea Veſtram humanitatem enixe rogare cogor, vt, ſi fieri

Digitized by Google

bona veſtra gratia poteſt, particeps & ego ſim exemplaris illius epiſtolæ, quin & diſtinctę narrationis vniuerſæ fabulę, cuius exordium tantummodo legere mihi licuit inFerneliano volumine De Abditis rerum cauſſis. Valete Viri præſtantiſſimi, & me vobis ad omnia vota paratiſſimum amare ne dedignemini. Dabam Bononiæ. XVIII. Kal. Februar. M DC XXXIX.

Sic enim arbitratus ſum aſſequi poſſe me plenius totā lapidis fabulam & impoſturam; quæ ſimul & fidem Chiocci, Fabricijque liberaret a crimine falſi; & Thuáni conſilium in accipienda, & reſpuenda eadem narratione detegeret: neque ſpes mea me feſellit; etenim demū ab eximijs viris tale reſponſū tuli,

Cl. doctiſſimoq. viro Fortunio Liceto in Inclyta Bononienſi Academia Philoſophiæ Profeſſori Petrus & Iacobus Puteani fratres S. P. D.

Litteras tuas XVIII. Kal. Februar. Bononię datas, doctiſſime Licete, Vir Cl. Gabriel Naudæus vtrique noſtrum amiciſſimus nobis reddendas curauit. Gaudemus oblatam nobis occaſionem Te ſalutandi, quem iampridem late didita nominis tui fama nos ignorare non ſinebat; nihilque optatius nobis contingere poterat, quam labores tuos, reipubl. litterariæ tam vtiles, pro virili noſtra iuuare. Pipini ad Mizaldum epiſtolam, quam requiris, inter chartaceam ſupellectilem parentis noſtri † *fel. mem.* † τοῦ μακαρίτου vix tandem repertam, mittimus. A tergo epiſtolæ parens noſter annotauerat hæc verba, *Pipini ad Ant. Mizaldum epiſtola, de Igne*. Vides vt fraus non tam bene proceſſerat, quæ hoc ipſo fere, quo nata erat, momento detecta fuit. Et nihil erat facilius quā Mizaldo, viro alioqui non malo, ſed credulo imponere. Et miramur quomodo Illuſtriſs. hiſtoriarum ſcriptor, vir & alias emunctiſſimæ naris, ſibi tam facile imponi paſſus ſit. Sed agnitum errorem cito emendauit; nam hæc mira, de lapide illo Bononiæ Regi noſtro Henrico II. oblato, in omnibus editionibus Lutetiæ cuſis omiſſa ſunt, præterquam in vna ſola, eaque valde manca; in cuius calce inter additamenta hæc ſcripta reperiuntur; quæ poſtea Typographi Germani in omnes ſuas editiones, fruſtra reclamante auctore, tranſtulerunt; vnde Io. Fabricius Hemerologij compilator &

An-

Andreas Chioccus Muſæi Calceolarij deſcriptor deſumpſerũt. Et vt tibi ingenue cõiecturam noſtram aperiamus, in ea ſumus opinione, Fernelium ipſum Henrici II. Archiatrum epiſtolam ſub nomine Pipini ad Mizaldum ſcripſiſſe, non inuito ipſo Pipino; nam eadem verba in libro De Abditis rerum cauſſis, paucis fere mutatis, vſurpauit; & elegantia ſtyli Ferneliano valde reſpondet. Vale vir ampliſſime, & rempublicam litterariam, vt facis, porro iuuare non deſine. Datum Lutetiæ Pariſiorum XXV. Februarij. Anno Domini M DC XXXIX.

Adiuncta fuit his epiſtola Pipini, verbis hiſce delineata.

Ioannes Pipinus Antonio Mizaldo ſuo S.P.D.

Gaudeo mihi oblatam eſſe occaſionẽ, cariſſime Antoni, qua rem nouam ac plane admirabilem tibi nuntiare ſit datum. Nuper ex India Oriẽtali Regi noſtro allatum hic vidimus lapidem, lumine & fulgore mirabiliter coruſcantibus; quique totus velut ardens & incenſus incredibili lucis ſplendore præfulget, micatque. Is iactis quoquouerſus radijs ambientem circumquaque aerem luce nullis fere oculis tolerabili latiſſime complet. Eſt etiam terræ impatientiſſimus; ſi cooperire coneris, ſua ſponte & vi facto impetu confeſtim euolat in ſublime. Contineri vero includiue loco vllo anguſto nulla poteſt hominum arte, ſed ampla liberaq. loca dumtaxat amare videtur. Summa in eo puritas, ſummusq; nitor; nulla ſorde aut labe coinquinatur: Figuræ ſpecies nulla ei certa, ſed incerta & momento commutabilis. Quumque ſit adſpectu longe pulcherrimus, contrectari tamen ſeſe non ſinit; &, ſi diutius adnitaris, vel obſtinatius agas, incommodum affert, ſicuti multi ſuo non leui malo, me præſente, ſunt experti. Quod ſi quid ex eo fortaſſis enixius conando adimitur, aut detrahitur (nam durus admodum non eſt) fit, dictu mirum, nihilo minor. Addit inſuper is hoſpes, qui illum attulit homo, vti apparet, barbarus, huius virtutem ac vim eſſe ad quamplurima cum vtilem, tum præcipue, Regibus inprimis, neceſſariam: ſed quam reuelaturus nõ ſit, niſi pretio ingenti prius accepto. Reliqua ex me præſente audies, quum primum Rex ad Vos redierit. Supereſt vt te, & ſi quos iſtic habes viros eruditos, diligentiſſime orem, ex Plinio, Alberto, Marbodeo, alijſque, qui de lapidibus aliquid ſcriptum

reliquerunt, ſollicite diſquiratis, quiſnam ſit huiuſmodi lapillus, aut quod illi nomen (ſi modo antiquis fuerit cognitus) præſcribi veri poſſit: nam in eo peranxie, nec minus infeliciter ab aulicis noſtris eruditis hactenus laboratur: quibus ſi palmam ea in cognitione præripere poſſem, mecum feliciſſime actum iri exiſtimarem: Incredibilis enim & Regi in primis, & toti denique aulicorum turba ea de re commota eſt expectatio. Vale. Bononiæ. pridie Aſcenſionis Chriſti M D L.

Pipinus erat Medicus Annæ Monmorantij Equitum Magiſtri, Conneſtabilem vulgo vocamus.

His litteris fidem adhibuit facile Mizaldus, a tam inſigni viro miſſis, nec difficile dedit aſſenſum Thuanus, & ipſe motus autoritate viri ſcribentis; at poſtea noſcens eas ludificandi cauſſa credulitatem Mizaldi ſcriptas, & miſſas; hiſtoriam vtcumque ſuis voluminibus inſertam expungere tentauit. Quare monemur hinc nos non ita faciles ac procliues eſſe debere ad credendum nedum vulgi rumoribus, ſed etiam clariſſimorũ alioqui virorum teſtimonijs de rebus admirabilibus. Vale, vir eximie, Magnumque Matheſeos incrementum, Parentem tuum meo nomine plurimum ſaluere iube. Claudium Achillinum, virum vere Muſageten, ac omniſcium tibi ſalutaui; qui te colit non minus intimo pectore. Dabam Bononiæ. Kalen. Iunij M DC XXXIX.

De latiori Vmbra ducta ex eodem opaco mane & Veſpere quam meridie.

Viro Maximo & Celeberrimo Fortunio Liceto Gabriel Naudæus S. P. D.

Epiſtola XXII.

PRæſtantiſſimorum Philoſophorum, atque tui, Fortuni Licete, & Gaſſendi noſtri ſimilium, vt magna nuſquam copia reperitur, ita maxima ſemper laus apud omnes eſſe ſolet: Quamobrem multum me Vobis ambobus deuinctum eſſe profiteor, qui occaſionem mihi per litteras veſtras omnis doctrinæ

ſecre-

ſecretioris pleniſſimas frequẽter exhibetis, vt iter illud magno & confidenti animo ingrediar, quod eo me ducere poſſit, quo Vos dudum feliciter, & publica totius orbis confeſſione peruenistis. Verum quum is ego non ſim; quem Vos forſan ex quadam de me concepta hominum opinione, ſuſpicamini; & nondum induſtriæ meæ, ſi qua tamen illa ſit, periculum fecerim, in eiuſmodi quæſtionibus tractandis, quas nullus explicare meo iudicio recte poteſt, qui in naturalibus iuxta & mathematicis ſpeculationibus non fuerit maxima cum animi contentione verſatus, propterea non committendum eſſe mihi putaui, vt difficilem illam obſeruationem de Sole qui quum Horizonti vicinus eſt, nõ ſolum maior nobis apparet, ſed maiores etiam vmbras proijcit, quam dum in æthere puriori, & ab oculis valde remotus conſpicitur, meo proprio Marte excutiendam ſuſciperem. Nam ſi quid eſt in ſcientijs, quod mihi per earum amœnitates diuaganti, minus ex officio meo tractandum duxerim, illud profecto Mathematicæ diſciplinæ ſunt, quarum cognitionem magis admiror in alijs, quam in meipſo deſiderari moleſte fero; maxime quum totum ſibi hominem requirant, me vero ſiue propria conſilia, ſiue aliorum etiam imperia vnius tantum rei ſtudio deditum hactenus fuiſſe, minime permiſerint. Quum igitur penderem animi qua tandem ratione expedirem me ab illis ſalebris, in quas me doctiſſimus Gaſſendus conieceraт, dum amorẽ in me ſuum magis quam iudicium conſulit, nulla mihi conuenientior viſa eſt, quam ſi pro licentia, quæ mihi ab ipſomet Gaſſendo conceditur, communicarem tecum de hac difficultate, & explorarem diligenter quid tibi, omnium hominum qui nunc ſunt a φιλοσοφώτατῳ, ſtatuendum eſſe de ea videretur. Nempe quum hic tuam in dicendo vim, in ſcribendo ſolertiam, in meditando diligentiam, felicitatemque in iſtis omnibus perſpectas haberet, & apprime cognoſceret quam bene de ſtudijs cũ philoſophicis, tum mathematicis meritus ſis, exiſtimauit, nec iniuria ſane, lucem aliquã ab immenſo & exculto ingenio tuo his obſeruationibus nouis poſſe conciliari. Quapropter oro te, vir præclariſsime, age cũ illo tam liberaliter, vt non modo officium tuum, ſed neque meum etiam deſideret: Literas enim illius ea de cauſſa ad te tranſmitto, quas ad me reuerti curabis, quamprimum tibi per

a *Sapientiſſimo.*

occupa-


occupationes tuas licuerit, quicquid in illis continetur, eo modo quo reliqua ſoles, ad veritatis lancẽ explorare. Atque hoc vt pro veteri tua in me & Gaſſendũ beneuolentia facere non graueris, tam enixe a te contendo, quam meus etiam in te peruetuſtus amor videtur mihi ſatis audaciæ tribuere, hoc in præſentia vt faciam, & in poſterum quoque facere non verear, ſi nodus aliquis in ſtudiorum meorum ratione vindicem poſtulet, aut Deum potius ex Machina, qui profecto nunquam erit a Liceto meo diuerſus. Vale vir clariſsime, & ſyntagma meum de ſtudio militari, quod Typographus vltra quam ſperaſſem diligentius, atque vt nihil diſsimulem, accuratius vrget, propediem expecta. Dabam Romæ IX. Kal. Iun. M DC XXXVII.

P. Gaſſendus G. Naudæo ſuo S.

Significaſti, mi Naudæe, obſcurum euaſiſſe me, dum breuis eſſe volui. Ecce igitur vt mulctam expendam, Dixeram Solem horizonti vicinum, ac inter vapores degentem, conſpici maiorem, quam in æthere ſublimi ac puro: Id vero neque intellectu videtur eſſe difficile, neque a quoquã abnuitur, quum *a* αὐτοψία ipſa probetur. Nemo certe eſt, qui etiam a pari id non obſeruarit in Luna, dum orbe præſertim pleno collucеſcit; quippe vel ſtatim ab exortu, vel mox ante occubitum, deprehenditur vaſtior, quam dum refulget in alto cœlo. Adieceram Solem prope horizontem maiorem proijcere vmbram, quam dum excelſus graditur; potueramque id etiam exemplo Lunæ adſerere, quando ea de re mihi conſtat indubitatis experimentis. Hoc autem eſſe video quod fecerit difficultatẽ, quippe ſi vmbra maior eſt, dum Sol horizonti incumbit, debet ergo Sol adparere minor; quod tamen prius expoſitæ obſeruationi aduerſatur. An etiam non ſatis perſpicue rationem illam expoſui, quam tum concepi animo, quum præter omnium expectationem grandeſcere vmbram iuxta horizontem conſpexi? Id vereor. Quare eo res tota dicenda paullo vberius eſt, vt luculentius innoteſcat. Itaque quum dico in primis maiorẽ vmbram proijci, longiorem non intelligo: certũ eſt enim vmbram longiorem ab humili Sole creari ſupra horizontis planitiem, ac breuiorem ex edito: Intelligo potius craſsiorẽ, ſiue ſecundum latitu-


a Experientia.

latitudinem, & in diametro tranſuerſa ſpectatam, quæ nimirum diſcernitur, & cum minore (ſiue mauis cum anguſtiore) comparatur in eadem diſtantia ab opaco, cuius eſt vmbra. Vt res graphice declaretur.



Eſto A, corpus opacum; & vel idem, vel ipſi æquale ſit B. Lucidum maius eſto D. Lucidum minus eſto E. Non requiro iam vtra vmbra ſit euaſura prolixior; ſi nempe vltra F, aut G, continuata intelligatur: Limitatam vtramque volo ad ipſum planum F, G, a quo eadem opaci A, quæ opaci B, ſit diſtantia: hoc autem poſito nihil eſt neceſſe vt tibi demonſtrem vmbram opaci A, ab ipſo D, maiore Lucido creatam, vbi recipitur in F, eſſe contractiorem, quam ſit vmbra opaci B, creata ab E, lucido minore, dum recipitur in. G; quando res ex ſe eſt ſatis conſpicua. Dico hoc ſolum, ſi ſupponamus Solem, dum eſt prope horizontem, eſſe Lucidum D, & dum eſt ſublimis, eſſe Lucidum E, debere, ſi illic ſit maior, minorem projcere vmbram, videlicet qualis eſt F: & ſi heic ſit minor, maiorem, videlicet qualis eſt G. Atqui non ita ſe res habet, quantum quidē mihi obſeruanti conſtat: ſiquidem prope horizontem Sol maiorem porrigit vmbram, vt puta qualis eſt G, adeo vt tunc ſe habeat quaſi Lucidum minus E. Et quum ſublimis eſt, minorem, vt puta qualis eſt F, adeo vt tunc ſe habeat quaſi Lucidum maius D: quod idem de Luna eſt intelligendum.

Si modum quæris obſeruationis, intuere ſequentem figurā: Ea refert valde quidem ſimplex, ſed adpoſitum tamen Organum, quo Solis ac Lunæ aucupari diametros ſoleo, Nempe H, I, repræſentat læuigatam trabeculam quatuor propemodum Orgyarum, ſiue Toiſarum Pariſienſium;



K L M N, & O P Q R, ſunt duo æqualia pinnacidia dimidium prope pedis lata, at ipſi plano trabeculæ, eiuſq. extremis ad normam exacta; Trabeculā enim pinnacidijs ita erigo, & ſuffulcio (idque intra ædificium quantum fieri poteſt aliunde obſcurum) vt Trabecula componatur ſecundum Solis radium, & pinnacidio K L M N facto ſuperiore, Sol dirigat ipſius vmbram in inferius O P Q R. Et quia Sole exſiſtente maiore quā ſit ſuperius pinnacidium, neceſſe eſt vmbram ipſius ſic procedendo decreſcere, vt quum ad inferius pinnacidium exporrigitur, non ipſi iam æqualis ſit, ſed intra illius planitiem plane decurtata nigreſcat: Ideo ratione habita tum huiuſce decurtationis, tum diſtantiæ inter pinnacidia, ratiocinor de diametro, ac proinde de adparente magnitudine Luminaris. Quippe vt diſtantia inter pinnacidia ad dimidium Lucis in lateribus pinnacidij inferioris reſiduæ, ita Radius ad Tangentem ſemidiametri Illuſtrantis: ſed hoc iam Geometricum eſt, & Trigonometriam perſpectam ſupponit. Redeo igitur ad experimentum. Aduertis, opinor depictam vmbellam inter pinnacidium inferius; ea eſt quæ ipſi imprimitur a pinnacidio ſuperiori. Obſeruaui autem illam ampliorem creari, quum Sol eſt prope horizontem; contractiorem, quum abeſt procul; Idque demum eſt paradoxum, quod vulgatis illa obſeruatio ferre non poſſe videbatur.

Iam vt rationem explicem, qua vtrumque experimentum, quantum quidem mihi videtur, cohæreat, adtingo pauca quædam ex ijs, quę inter nugas illas meas circa Epicuri Philoſophiam proſequor vberius. Vnum eſt, Ex diſco Solari (de hoc videlicet dicendum) tot ſenſibiles euibrari radios, ſeu in oculum, ſeu in pinna-

pinnacidium (pro Opaco id vſurpemus) quot ſunt in eo ſenſibilia, & ſeu verſus oculum, ſeu verſus pinnacidium reſpectantia puncta. Alterum, Vaporem nihil eſſe aliud, quam texturam quandam corpuſculorum minutiſſimorum, quæ ſingula ſingulos radios renibrare, diuertereq. a traiectione valeant: ex quo efficitur, vt ſi vapor tenuis, & pauca fuerint corpuſcula, pauci radij præpediantur, & Sol nihilominus lucidiſſimus adhuc relinquatur. Sin vapor craſſus fuerit, & corpuſcula multa, cōfertaque ſic ac diſpoſita, vt qui radij præcedētia euaſerint, in ſubſequentia incurrant, pauci tandem radij ſuperſtites ſint, & Sol hebetatus non multum reſplendeat. Tertium, Viſionem fieri in oculi fundo, ſeu Tunica Retina, & quodvis obiectum tanto adparere extrinſecus maius, quanto illius ſpecies per pupillam traiecta ampliorem locum occupat intrinſecus, ſeu in eo fundo, ad eo vt etiam res diſtantes minores ſeipſis vicinis adpareant, quod pro ratione diſtantiç tantum ex ſpeciebus reſecetur continuo, quantum ex cuiuſq. ſuperficie eſt, quod circumquaque recta immittens ſui radium, ſeu ſpeciem, effugit oculi pupillam. Poſtremum, Pupillam effici aliunde tanto anguſtiorem, quanto in maiore luce conſtituta fuerit, tanto ampliorē, quanto in minore: Id obſeruare autem potes non modo in felibus, ſed in quocumque etiam homine, ſi iuſſeris illum nunc ad claram lucem, nunc ad vmbram reſpicere, & ipſe in vtroq. ſtatu ſpectaris illius pupillam.

Heinc dici poſſe videtur primo, Solem humilem oculo ſpectatum ideo adparere maiorem, quam dum altius egreditur, quia dum vicinus eſt horizonti, proxima eſt ſeries vaporum, atque adeo corpuſculorum, quæ Solis radios ita retundunt, vt oculus minus conniueat, & pupilla quaſi vmbrefacta longe magis amplificetur, quam dum Sole multum elato rari vapores intercipiuntur, Solque ipſe ita ſplendeſcit, vt pupilla in ipſum ſpectans contractiſſima efficiatur. Nempe ex hoc eſſe videtur, cur viſibilis ſpecies ex Sole procedens, & per pupillam amplificatam intromiſſa in Retinam, ampliorem in illa ſedem occupet, maioremque proinde creet Solis adparentiam, quam dum per contractam pupillam eodem intromiſſa contendit. Dici videtur poſſe ſecundo, a conſtituto ibidem Sole maiorem vmbram proijci, quoniam Solis ſpecięs reuera decreſcit ob vapo-

ris corpuſcula ipſius radios circumcidentia, quum aliunde neque vmbra, neque pinnacidium, res inanimæ, iiſdem quibus totum organum viſus adfectionibus ſubijciuntur. Nempe, ſi quando in confinium Lucis, ac vmbræ reſpicias, adtendere poteris debiliſſimam illeic eſſe Lucem, quod ea pars ſpatij non niſi ab ora Solis extrema illuſtretur; at fortiorem eſſe, vbi eſt remotior, quod ſpatium illeic reſpiciatur ab vberiore portione Solis; denique multum iam remotam eſſe ſplendidiſſimam, quod ſpatium illeic a toto Sole (quippe nihil opaco iam impediente) lucem accipiat. Porro ſi contingat vt Radij, qui ſingulares prope emiſſi ex ipſa Solis extrema ora debiliſſimam illam lucem creant, a corpuſculis vaporum interpoſitis præpediantur; nonne vides fore, vt ſpatium, quod in luce erat debiliſſima, luce iam ſpolietur, & in vmbra ſit, ipſaque vmbra, quæ prius fuit, tantundem adaucta cenſeatur?

Quanquam hæc propono tibi verecundius, quod ratiocinio meo diffidam, & dijudicari rem malim ab eximio illo Liceto, ſi difficultatem cum illo communicandam cenſueris. Mihi ſatis eſt, ſi de re obſeruata fecerim fidem, quæ vt tibi non abſono cõfirmetur experimento, ſcias velim Lunam mihi obſeruatam per nocturnam obſcuritatem diametri maioris, quam deinceps in aurora; & per auroram maioris, quam exorto primũ Sole; & tunc etiam maiorem adhuc, quam per diurnum ſplendorem: quod ego hucuſque non habeo, quo referam alio, quam in memoratam pupillam, quæ quo ſit illuſtrior, eo euadat cõtractior; & minori ſpecie tranſmiſſa minorem creet adparentiam. Et de continuo illo quidem decremento nõ cogitaſſem, ſed me fortuita propemodum admonuit obſeruatio; ac tum ratiocinatus ſum debere ipſum contingere ea proportione, qua ſtellæ quoque aduentante luce imminuuntur, & euaneſcunt; adparituræ denuo quotieſcumque non modo nox, ſed in ipſo etiam meridie vel putei profunditas, vel Lunæ interpoſitus circumfuderit tenebras adſpectui. Id notandum, tametſi Luna minor interdiu ad oculum quam per noctem adpareat, adparere tamen adhuc maiorem quam reuera ſit, octaua pene diametri parte; & comprobatum habeo per expoſitum organum, quod perinde ac oculus non eſt tot fallacijs obnoxium.

Quod obſeruationes aliquas depoſcis pro Cl. Scipione Claramon-

ramontio, exhibere paratus ſum, ſi modo conſtet qualeſnam velit: omneis certe exſcribere, quaſcumque habeo in commentarijs, ne per annum quidem liceret; tametſi aliunde illæ nudę ſunt, quod calculum adiungere, niſi in quam-pauciſſimis, nondũ per otium fuerit conceſſum; Nimirum illas excerpere, conſcribereq. contentus: opportunitatem expecto qua reuocentur ad numeros, quum poſt myriades etiam annorum id præſtari commode poſſit. Id itaque velim ſignifices illi, ac ſimul promptum animum, quo ad obſequium ſum comparatus, ſeu eclipſes velit tam Solis, quam Lunæ, quam etiam Stellarũ; ſeu Planetarum elongationes, ſtationes, oppoſitiones, quadraturas, & cętera; deligat modo, communicabo. Tu, mi Naudæe, bene vale, & me quod facis, perpetuum ama. Scribebam Aquis Sextijs Non. Decemb. M DC XXXVI.

Cl. Viro Gabrieli Naudæo Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

VT Laudum tuarum pondus, erudiſſime Naudæe, meum fere meritum opprimit; ita quod mihi dudum ex inclyto Gaſſendo tenebricoſiſsimum problema dilucidandum propoſuiſti, mentis meæ vires tantumnon impares habere videtur, ſed vobis parendum cenſeo, vel cum intellectus mei iactura. Quæſitum igitur de vmbra maiori, ſiue craſsiori, latiorive producta ex eodem opaco corpore, dum Sol horizonti proximus maior apparens, lumẽ ſuum poſt refractionẽ in orbe vaporoſo latioris amplitudinis effundit, quã dũ elatior procul a Finitore minoris magnitudinis viſui conſpicitur, lumine ſuo minorem in eadem ſphæra vaporoſa terræ circumfuſa refractionem paſſo, proindeq. minorem latitudinem adepto; id quidem habere videtur ſui rationem & cauſſam in abdita Naturæ maieſtate deliteſcentẽ; quare nõ debuit a me tractari, niſi prius oculata fide per idoneum inſtrumentum problematis veritatem & naturam iteratis obſeruationibus bene ac certo perſpexiſſem; non quia fidem non adhiberem viro præcelſo; ſed quia viſus plerumque cauſſam in effectuum generatione conſpicit. Hoc experimentum hactenus agere mihi nõ licuiſſe ſcis, amiciſsime Naudæe;

qui meas & multiplices, & diuturnas, & ingentes occupationes agnouiſti; quæ me plurimis menſibus tum Patauinas Athenas incolentem, tum inde Palladium ad Bononienſe tranſmigrantem, tum etiam in hac Vrbe Felſinea ſedes figentem atque ſtabilientem, nunquamnon auocauerunt ab accurata phaſmatis obſeruatione pariter ac meditatione: Nunc tandem aliquid otij nactus, inſpectioni ſimul & contemplationi phænomeni & cauſſarum ipſius vacare potui. Quum autem, parata mihi trabecula cum pinnacidijs ad normam deſcriptæ a viro præſtanti, pluribus obſeruationibus exactis nihil proficerem, nunquam eiuſdem vmbræ finitæ decrementum ſecundum latitudinem in altiori Sole fieri, nunquam augmentum in humiliori comperirem; meo plane diffidens experimento, mathematicarum peritos amicos adiens conſului, num aptioribus inſtrumentis veritatem problematis obſcuriſſimi ſecum perſpicere valerem: non ſemel alijs etiam organis vmbram conſpeximus ex eodem opaco corpore manantem & ad Solem horizonti proximum, & ad eumdem in editiori loco ſplendidum; at nunquam aſpicere potuimus vmbram ita variaſſe propriæ latitudinis magnitudinem, vt anguſtior appareret in meridiano Sole, anguſtior e contra in matutino, & veſpertino. Sed quia fortaſſis huiuſmodi varietas latitudinis eſt admodũ exigua, & Cl. Gaſſendus viſu pollet acutiore, vel vſus eſt inſtrumento noſtris exquiſitiore: quum vir inſignis aperte fateatur, ea de re ſibi conſtare indubitatis experimentis; non debeo talis tantique Philoſophi dictis fidem non adhibere pleniſſimam; & eo magis, quo mihi confirmantur ab Illuſtriſs. Peyreſcio (quem litteratorum Patronum recens vita defunctum vna mecum merito lugent omnium diſciplinarum alumni) ab eo ſiquidem quum petijſſem admirabilis huius obſeruationis exactiorem notitiam, datis ad me litteris ita reſpondit, *M. Ill. &c. Conforme a ciò, che comanda V. S. Eccellentiſs. con la ſua vltima delli 26. Settembre, il Sig. Pietro Gaßēdo noſtro hà ſcritto la ſua oſſeruatione dell'ombra, che fà la luce del corpo Solare quando ſtà vicino all'Orizonte; molto diuerſa da ciò che ſuccede quando ſtà nel Meridiano, & quaſi al contrario di ciò, che ſi ſtarebbe aſpettando dall'apparēza del diſco Solare molto maggiore vicina all'Orizonte, che quando ſtà vicino al Meridiano; & ne hauerà qui la copia V. S. Eccellen-*

tiſs.

tiſs. &c. Di Aix alli 4. Decembr. &c. Di V.S. &c. De Peireſc.

Quare dolens non habere poſſe me quicquam luminis ex viſu, ſed coactum eſſe cæcutiente mentis oculo in his vmbris ipſarũ cauſſas indagare, ſuppoſita veritate problematis, de ratione cur ex eodem opaco corpore ſtrictior effluat vmbra, dum id percutitur ab excelſiori Sole, minorem amplitudinem ſui viſui repreſentante; ac ex aduerſo latior, dum illud ipſum illuſtratur ab humiliori Sole, quando Sol oculis amplioris magnitudinis apparet; diutius anceps, certi quicquam inuenire non poteram, in quo mentem firmarem. Verum enimuero quia vir præclarus de propoſito meam optat audire ſententiam, tuiſq. verbis ipſam a me flagitat, non debeo, neque poſſum ego tantis viris non obtemperare. Dicam ergo libere quid ſentiam de cauſſa mirabilis huius euentus; mea dicta candide ſubijciens tuæ, peritiſſimique Gaſſendi cenſuræ. Data nunc igitur veritate Gaſſendicarum obſeruationum de latiori vmbra ducta ex eodem opaco corpore ab humiliori Sole, quam ab editiore: quum hoc experimentum reclamantes habeat geometricas Opticorum demonſtrationes, & phyſicas etiam rationes, quibus neceſſario conuinci videtur, a Sole meridiano produci debere latiorem vmbram ex eodem opaco corpore, quam a Sole matutino, & veſpertino; quia quo Sol excelſior eſt, eo minus refractam ſui ſpeciem (quę lumen eſt) adeoque contractiorem mittit ad opacum; quæ ſtrictior etiam poſt illud incedit ad latera; quapropter pauciores partes &. opaci corporis, & medij diaphani vltra illud locati colluſtrans, amplioris latitudinis vmbram effluere permittit: quo vero Sol degit humilior, eo magis refractam in orbe vaporoſo terræ circumfuſo propriam imaginem, quæ lumen eſt radijs innixum, latius diffundit ad opaci latera; maioremque ſimul & opaci corporis, & medij perſpicui portionem illuſtrat; & eapropter anguſtiorem locum relinquit vmbræ; quæ proinde latior debet eſſe meridie, quam mane ac veſpere. Si tamen oppoſitum accidit, & obſeruatur oculata fide, vereque matutina pariter & veſpertina determinati corporis vmbra latior eſt, quam ſit vmbra meridiana; neceſſarium penitus eſt id euenire per accidens aliquod extrinſecus adueniẽs aut oculo, qui meridie nequeat aſpicere iuſtam & integram latitudinem vmbræ productæ ab altiori Sole; aut

Problematis difficultas maxima.

ipſimet

Quæſiti tres cauſſæ referuntur. ipſimet vmbræ, vel matutinæ pariter ac veſpertinæ, quod illas augeat vltra terminũ latitudini ſuæ datum a natura: vel potius meridianæ, quod eam corrodat & circumcidat a lateribus. Porro Cl. Vir duas priores cauſſas attulit, primum aſſerens, ab editiori Sole lumen euibrari viuidum, quo pupilla valde cõtrahitur; per eam vero coarctatam vmbræ ſimulachrum minoris amplitudinis ingredi, quod ideo minorem locum occupans in retina tunica, fundum oculi poſſidente, procreat apparentiam vmbræ minoris, nimirum anguſtioris: ex aduerſo lumen Solis orientis & occidentis in aere debilius eſſe; propterea que pupillam hiare patentiore foramine; per quod ingreſſa grandior vmbræ ſpecies ad retinam, in ea mane veſpereque viſui repręſentat grandioris latitudinis vmbram. Secundo conſtituens, vaporum corpuſcula plurima circumcidere mane ſeroque radios Solis, indeque ſpeciem Solis decreſcere; ac debiliſſimam illam lucem, quæ fuerat in vmbræ meridianæ cõfinio, propter impeditũ omnino tranſitum radijs illis paucis, qui proueniunt ex ora Solis extrema, mutari penitus in vmbram nouam, quæ meridianæ lateribus vtrimq. copulata latitudinem illius adaugeat oriente ſimiliter ac occidente Sole.

Quæ quidem acuti ſunt ingenij ſubtiles admodum inuentiones, hoc eſt, vt ait M. *a* Tullius, excogitationes rerum veriſimilium probabilitatem afferentes: attamen & magnis premuntur difficultatibus; quibus vtinam nõ opprimerentur: ob quas difficultates vtrique ratiocinio ſuo diffidere fatetur ingenue vir inſignis, & ipſum ſe verecundius proponere. Sane primam cauſſam dum animaduerto, concedo facile pupillam in viuidiori lumine minus hiare, quam in debiliori; cuius rei rationem agnoſco, quia validius lumen eſt obiectum excellens, quod oculos nimiũ diſgregans miſere torquet, ac *b* deſtruere tentat: quare natura rerũ, quas condidit, ſedula conſeruatrix, ſatagit per anguſtiam & coarctationem pupillæ prohibere ingreſſum noxij luminis; quod quo pluribus radijs innititur, eo vim habet validiorem: pauciores autem radios trãſire per anguſtiorem pupillam, plures per auguſtiorem, vnicuique perſpectum ſatis eſt: at uero mediocre lumen, vt pote perſpicui corporis *c* actum & perfectionem, oculus naturæ *d* diaphanæ ceu ſibi proficuum excipit vltro, pupillæque ſuæ foramen illi dilatat.

a de Inuent.
b 1 de an. t. 143. 3. de an. t. 7.
c 2. de an. t. 69.
d de ſen. & ſen. c. 2.

Digitized by Google

dilatat. Ceterum mihi difficile ſatis eſt, quomodo latior pupilla conferat ad perſpiciendam vmbram in imo Sole latiorem, & e contra pupilla contractior cauſſa ſit vt in editiori Sole ſpectetur eiuſdem opaci corporis vmbra ſtrictior, ob minorē quantitatem ſpeciei viſibilis per anguſtius pupillæ foramen ingredientis alto iam Sole; ac viceuerſa ob maiorem amplitudinem eiuſdem ſpeciei viſibilis per auguſtiorem laxioremque pupillam oriente, ac occidente Sole: primo, quia ſic non vmbræ ſolius amplitudo maior in humiliori Sole ſpectaretur; ſed etiam quodvis aliud viſibile deberet ſero & mane latitudinis amplioris inſpici, prope meridiem vero ſtrictioris; eiuſdem ſpecie viſibili pariter ampliore per dilatatam pupillam ingrediente matutinis & veſpertinis horis; & ex aduerſo ſtrictiore ſpecie per coarctatam pupillam intromiſſa prope meridiem: quod tamē experimento minime reſpondet; nam æqualis latitudinis eſt, atque videtur idē corpus in meridie pariter ac oriente vel occidente Sole. Dein vero, dum ſpectatur vmbra meridie ſtrictior, intra duas lineas eius latitudinem terminantes in plano pinnacidij a Sole diſtantioris coercita; ſimul etiam aſpicitur illud planum, æquale vmbræ meridianæ, qua denigratur: ſit ergo & vmbræ ſimul, & plani vmbra tecti, latitudo geometrico pede vnico metita, ac omnino pedalis menſuræ; profecto ſi talis anguſtia vmbræ meridianæ prouenit ab anguſtia pupillæ, per quā exigua ſpecies viſibilis ingreditur meridie; quum per latiorem pupillam mane ſeroque maior ingreſſa ſpecies vmbrę latiorem vmbram viſui repreſentet; iam planum intra eaſdem lineas cōcluſum æquale vmbræ meridianæ, ſero maneque conſpiceretur maioris amplitudinis quā meridie; quod itidem accideret pedis menſuræ: nam & pes menſurans, & menſuratum eo planum pinnacidij contentum intra lineas vmbræ meridianæ latitudinē finientes, nihilominus quam vmbra, ſpectatur per propriam ſpeciem viſibilem ingredientem foramen pupillæ meridie pariter ac oriente vel occidente Sole. Deinceps autem, quia teſtimonijs etiam anatomici *e* Ab-aquapendente, cuius obſeruanti conſtat, vnius oculi recluſi pupillam dilatari, dum alter occluditur; quod fit oculo turgente nimia ſpirituum vbertate; nam qui prius diuidebantur ad ambos oculos replendos, tunc ſimul colliguntur in vno, qui ſolus hiat; cuius propterea

Difficultates circa primā cauſam.

e de viſ. org. cap. 6.

tunicę diſtenduntur omnes, ac pręſertim quam Choroidem appellant ac Vueam, cuius foramen a *f* Galeno, & *g* anatomicis pupilla nuncupatur: non tamen inde fit, vt quod vnicò ſpectamus oculo, maioris amplitudinis id euadat, & nobis appareat, quam dum illud ipſum arctioribus amborum apertorum pupillis inſpicimus. Denique quia *h* Galeni decretis, & Hieronymi *i* Fabricij ſæpius obſeruatis, *Pupillæ foramen anguſtius certiſſimam & acutiſſimam, latius vero debiliſſimam & imperfectiſſimam viſionem efficit; quo fit, vt qui pupillæ dilatatione laborant, ijs ita diſtincta lædatur viſio, vt alij ſolam lucem, alij colores confuſe; figuram autem, magnitudinem, & alias exactiores viſiliũ differentias cernere non poſſint, propterea quod pleraque indiſtincta & confuſa, quam diſtincta & certa viſione videant:* Galeno decernente pariter, Ampliationem pupillæ ſemper incommodare viſui, ſiue a natali ſit, ſiue poſt accedat. Amplius difficilius mihi videtur, quomodo ſpecies obiectum repreſentans dici valeat ab inclyto viro, tanto maiorem illius viſilis amplitudinem oculis oſtendere, quanto fuerit & ipſa maioris quantitatis; necnon viceuerſa tanto minorem, quanto vel a vaporibus, vel aliunde reſecta minoris & ipſa molis feratur intra pupillam: non ſolum quia fatetur ipſemet, ab humili Sole, quando vicinus horizonti maior apparet, *Vmbram maiorem proijci, quoniam Solis ſpecies reuera decreſcit, ob vaporis corpuſcula radios circumcidentia:* ſi namque reſecta & imminuta Solis ſpecies ampliorem Solem viſui repreſẽtare valet; cur itidem reſecta pariter & imminuta ſpecies vmbræ meridianæ neceſſario repreſentabit oculis minorem vmbram? vt enim ad Solem ſe habet illius ſpecies viſibilis ratione magnitudinis, ita ſpecies vmbræ ſe debet ad vmbram habere. Verum etiam quia ſpecies viſibilis, quæ repreſentat obiecti magnitudinem, qualitas eſt diſtincta prorſus ab ea, quæ colorem obiecti repreſentat; etenim eminus aſpicio magnitudinem corporis, cuius colorem ob magnam diſtantiam intueri non valeo; quare fertur ad oculum ſpecies magnitudinis, non item ipſa ſpecies coloris: omnis autem ſpecies viſibilis, tam obiecti proprij, quã obiecti communis, repreſentat ipſum ratione ſimilitudinis, quam cum eo retinet eſſentialem; non autem ratione magnitudinis vllius; quia quum omnis magnitudo ſit a materia ſimul & in materia;

ſenſus

f de vſ. par. lib. 10. c. 4.
g A. Veſſal. 7. de fab. hu. cor. c. 14.
h 1. de ſymp. cau. cap. 2.
i de viſ. org. cap. 6.

ſenſus tamen eſt receptiuus formarum k ſine materia; proindeque ſine magnitudine. Neque res diſtantes ideo minores apparent, quia reſecetur aſſidue de ſpecierũ quantitate; ſiquidem ſpecies vnaquæque replet vniuerſum medium inter oculos & rem viſam interiectum; ſed tum quia iugiter imminuitur in ſpeciebus virtus repreſentatiua, quanto magis abſunt ab obiecto, a quo vim eam adeptæ fuerant: tum quia diminuitur ſemper in eis vis motiua ſenſus, ad entitatis ipſarum detrimentum, quanto longius diſtant ab obiecto, a quo dependent etiã vt a cauſſa conſeruatrice; quod enim ſpeciem genuit in medio, illud idem obiectum ipſam conſeruat præſentia ſua: tum demum quia ſpecies repreſentans obiecti viſilis extremitates, ob ſui debilitatem ac minimam entitatem lõgius ab obiecto progreſſa vel non poteſt ad ſenſum vſque pertingere, ſed plane fatiſcit in itinere; vel ad ipſum perueniens adeo debilis eſt, vt oculum mouere nequeat, & viſum excitare ad actum viſionis promouendum. Tertio difficillimum videtur admittere contra l Seniores, obiri viſionem in tunica retina, non autem in humore cryſtallino; quandoquidem videndi functio fieri debet in ea parte potiſſimum, in qua recipi valeant & contineri ſpecies omnium viſibilium, imagines omnium colorũ; huiuſmodi vero pars debet eſſe diaphana; quia perſpicuum ſecundum ſe viſibile m non eſt, ſed propter externum colorem; colorata non poteſt eſſe; quia ſecus omnes colores percipere non valeret, eo quod imaginem ſui coloris in ſe recipere nequiret; nec a conſimili colore moueri ad eius perceptionem; quã namque ratione ſenſus tactus tangibilium ſolas exuperantias percipit, mediocres qualitates non ſentit, quoniam ipſius organum ex elementorum miſtione cõſtitutum retinet in ſe tangibiles qualitates refractas, ad mediocritatem redactas, & omni exceſſu ſpoliatas: quam veritatem nedum Ariſtoteles, verum etiam experientia plane demonſtrat; Ariſtotelica ratio eſt, quia n *Sentire pati quoddam eſt; quare faciens quale ipſum actu, huiuſmodi illud facit, quum ſit potentia: vnde ſimile calidum & frigidum, aut durum & molle non ſentimus, ſed exuperantias; tanquam ſenſu velut medietate quadam exiſtente eius, quæ in ſenſibilibus contrarietatis: & propter hoc diſcernit ac iudicat ſenſibilia; medium enim iudicatorium eſt; fit enim ad vtrumq.*

k 2. de an. t. 131.

l Gal. 2. meth. med. c. 6.

m 2. de an. t. 68.

n 2. de an. t. 118.

ipſorum alterum vltimorum. Quum igitur oporteat, organum ſenſus carere natura ſenſibilis obiecti cognoſcẽdi, a quo debet affici & *o* alterari; nihil enim affici valet ac alterari a *p* ſimilibus omnino rebus: quumque neceſſarium ſit, inſtrumentũ ſenſus in ſe *q* recipere ſpecies obiectorũ ſenſibilium: & omne recipiens debeat eſſe denudatum a natura receptibilis; nam intus exiſtens prohibet extraneum, & alienum iuxta apparens *r* prohibet, & obſtruit; profecto quum viſus candidum, rubrum, & omnes omnium colorum differentias percipiat; diaphanum ſecundum ſe non perſpiciat; oculi pars ea, cui per ſe primo competit actio videndi, colorum omnium ſpecies ac differentias in ſe ſuſcipere debet; propterea debet eſſe diaphana, non poteſt eſſe colorata: quamobrem humor cryſtallinus in oculi medio perſpicuus exiſtens, erit ea pars, in qua proprie ac primario celebratur actio videndi; non autem retina tunica, quæ reſidens in oculi fundo diaphana non eſt, ſed colorata; nempe corpus eſt opacum, colore proprio candidum, vt pote materiam ſuæ conſtitutionis habens ex *s* opticorum neruorum, membranarumque cerebri candida ſubſtantia; & aduentitio rubrum, quamplurimis refertum arterijs, & venis, floridiſſimo ſanguine plenis, conceſſuro in alimentum & vitam non ſolum ipſius retinæ tunicæ, ſed etiam humoris *t* vitrei pariter & cryſtallini: *u* quapropter ipſa retina viſioni rerum albarum, & rubearum inepta non minus eſt, quam organum tactus perceptioni conſimilis calidi & frigidi temperati. Nec omittendum eſt, quæſitum fuiſſe propoſitum de vmbra, non ſolum quæ appareat mane ac veſpere latior, meridie ſtrictior; ſed etiam quę reuera ſit meridie ſtrictior, mane ac veſpere latior; quum tamen ratio petita ex anguſtia pupillæ meridianæ tranſitum ſpeciei diminutæ ſtrictius obiectum repreſentanti concedente; ac viciſſim ex ampliatione pupillæ matutinæ ac veſpertinæ tranſitum ſpeciei maiori latius obiectum repreſentanti cõcedente, ſolum attingat apparentiam variæ latitudinis obiecti, nõ item exiſtentiam; etenim ſpecies viſibilis, & pupilla nihil omnino poſſunt agere in obiecti magnitudinem, vt eam realiter ampliare valeant, aut imminuere. Propter hæc igitur, & ſimilia, ſapienter vir eximius primo ſuo ratiocinio diffidit, quo dicebatur, Cauſſam, ob quam vmbra prodiens ex eodem opaco

o 7. phy. t. 14 & ſeqq. 2. de an. t. 51 & ſeqq.
p 2. de an. t. 50 & ſeqq.
q 2. de an. t. 123.
r 3. de an. t. 4
s Gal. de ad. Anat. [illegible] de vſ. par. c. 6. A. Veſal. 7. anat. c. 14.
t Gal. de oculis c. 3.
u H. Fabric. Ab-aqua. de viſ. org. c. 9.

corpore videatur, & ſit reuera latior, Sole prope finitorem amplioris magnitudinis apparente; ſtrictior e contra, Sole procul ab horizonte minorem orbitam viſui exhibente; referendam eſſe tum in dilatationem pupillæ ab imbecilliori lumine Solis humilioris, & in conſtrictionem eiuſdem foraminis a viuidiori lumine Solis editioris: tum etiam in maiorem, & in minorem magnitudinem ſpeciei viſibilis vmbram repreſentantis in retina tunica.

Conſimiliter non ab re diffidit ſecundo ratiocinio Vir doctiſſimus, quo referebatur cauſſa problematis in corpuſcula vaporum, quibus mane ſeroque prorſus impediatur aditus radiorum Solis ad locũ vmbræ meridianæ conterminum; in quo lumen imbecillimum paucis radijs innixum extinguatur, & in vmbram nouam conuertatur; quæ meridianæ lateribus adiuncta latitudinem ipſius adaugeat: primo quidem, quia talis vmbra de nouo genita, meridianæ lateribus adiungenda, non eſt reuera corporis vnius & eiuſdem vmbra, de quo problema proponitur; ſed eſt vmbra corpuſculorum vaporis denſioris, opacitate propria prohibentium ne radij prodeuntes ab extrema Solis ora, ferantur vlterius ad latera corporis opaci, & vmbræ ſuæ: ſecus enim nulla dubitandi cauſſa fuerit omnino, cur ab humili Sole latior vmbra pellatur ex aggregato pluriũ opacorum corporum; & ab altiori Sole ſtrictior vmbra trudatur ex vnico illorum corporum; etenim vmbrę latitudo maior aut minor ſequitur proportionabiliter opaci corporis amplitudinem maiorem, aut minorem. Deinde vero, quum talis vmbræ differentia ſpectetur maxime ſereno prorſus aere; fieri nõ poſſe videtur, vt citra nubium tetram corpulentiam ſola corpuſcula vaporis diaphani prohibeant radiorum tranſitũ ad partes aeris vmbræ meridianæ cõterminas; vapores enim vbi puri fuerint, ac defæcati prorſus omni ſorde terrena, omnique tetra exhalatione fumida ſenſibili; ac extiterint aquei ſolummodo, quantumuis denſi ponantur, tantũ abeſt vt exile lumen extinguant, & ipſum vertant in vmbram nouam, radioſve Solis vllos impediant ne tranſeant ad locum vtrimque tangentem vmbræ meridianæ latera; quod potius ex aduerſo lumen Solis in aere ſplendidius efficiant, liberumque tranſitum illi concedant ad vlteriora: Sic in aere ſereno prope pluuias apparet aſtrorum

Difficultas in ſecunda cauſſa.

Soliſque ſplendor illuſtrior, quia tunc viget magna vaporum aqueorum manus in aere, quibus lumen viuidius efficitur, & aſtri facies amplior vna ſplendidiorque repreſentatur obtutui: Quod etiam obſeruauit Alexander, Trallianus mihi potius quã Aphrodiſeus, in x problematibus inquirens *Cur vbi per hyemem imber deſijt, ſtellæ illuſtriores videantur*. Cuius rei rationem afferens ibidem ex aeris attenuatione, mihi probari non poteſt; apud quem aqua ſemper & vapor eſt aere craſſior; aerem itaque natura ſua tenuiorem vapor & aqua ſemper incraſſabit, nunquam attenuabit: poterit quidem pluuia (quod forſan intelligere voluit ille Philoſophus) ex aere deducere terras & fumidas exhalationes impuras, ac velut eluere detergereque ſubſtantiam aeris, & eam defœcare, puriorem que reddere; ſed tamen aquei vaporis purioris admiſtione craſſiorem & denſiorem aerem effici neceſſarium eſt imminente pariter ac nuperrime decidua pluuia; quod aperte demonſtrant calores æſtuoſiores eo tempore vigentes in aere; quippe certũ eſt, in ſubiecto craſſiori denſiorique calorem ſeruari vegetiorem, quam in tenuiori & rariori: ſimiliter vitri puriſſimi phiala, cõtinens aquam limpidam, oppoſita Soli, vel ardenti faculæ, lumen & radios a lucido corpore ſuſcipiens, eos illuſtres extra ſe retro ſpargit in aeris diaphani partem vlteriorem: ita cryſtallus etiam admiſſos in ſe Solis radios emittit poſt ſe tam viuidos, vt amburant non raro tomenta, in quæ feruntur: pariter intuentes Solem per cryſtallina perſpicilla grauius afficiuntur ab intenſiori lumine, quam nudis oculis diſcum Solarem inſpicientes: ita denique lumen Solis illuſtre viuidumque recipitur in oculum, & chartam, ad ea corpora tranſiens per cryſtallinas dioptræ laminas, obſeruatu quoque y Cl. Galilei: *Illud adijciam*, ex Seneca, † *omnia per aquam videntibus longe eſſe maiora: litteræ quamuis minutæ & obſcuræ, per vitream pilam aqua plenam maiores clarioreſque cernuntur. &c.* Quæ ſingula tollunt poſitionem decernentem, vapores matutinos ac veſpertinos, aerem pluſquã nimium incraſſantes & addenſantes, impedire penitus & omnino tranſitum radiorum Solis ad vlteriores medij partes, ipſoſque reuibrare totos ad lucidum corpus, a quo profluxerant; nam vt id efficere valent vapores referti terris exhalationibus, terreniſque ſordibus infecti, nigram nubem,

x *lib. 1. prob. 116.*

y *de mac. ſol. pag. 52.*

† *1. nat. qu. cap. 6.*

nubem, tetramve maculam, vt Cl. Galileo placuit, conſtituentes; qualis ea fuit, quæ meridie Solem eclipſaſſe dicitur triduo poſt quam Lunæ fuiſſet eclipſis; qua de re teſtimonium perhibuit ex hiſtoria Gallicana vitam Caroli Magni referēte Scaliger in z Subtilitatibus, & Galileus in Maculis a Solaribus, qui mathematicos, opinantes huiuſmodi Solis eclipſim ortā fuiſſe Mercurij corpore iuncto cū diſco Solari, recte coarguit ex eo, quod illa Solis affectio fuerit octo dierum, quum Mercurius neque ſeptem horas cum Sole coniunctus eſſe valeat: quique maculas Solis autumat habere naturam b nubium; etſi contra Cleomedem exiſtimet eas eſſe Soli proximas orbita Lunæ ſuperiores procul a nubibus noſtratibus; Cleomede contra dicente in Circulari ſua meteororum inſpectione, c *Quum igitur purus, & vt fert natura, fuerit aer, poſſibile non eſt vt contra Solem obtueamur; quum autem aeris obijcem exhibuerit, tum demum ipſum obtuemur: quandoq. alteratus nobis apparet; quandoque albus, quandoque veluti liuidus; eſt ignea faciei; ſæpenumero quoque maculatus, aut cruentus, aut flauus; viſus eſt etiā aliquando varius, aut viridis; & circa ipſum ſæpenumero tanquam ſpiræ nebuloſæ; quæ tamen ab ipſo prope infinitis abſunt ſtadijs; & tamen nobis circa ipſum eſſe videntur. &c.* Puri tamē vapores aquei, corpus aeris quātumuis incraſſantes & addenſantes, liberum ſemper ad vlteriora tranſitum lumini radijſque permittunt per ſuam corpulentiam: Quum itaque non ſemper oriente pariter & occidente Sole terræ propinquus aer tetris exhalationibus, ac terrenis impuritatibus obſideatur; ſed plerumque ſerenus habeatur, & puris ac limpidis vaporibus abundet, qui radios in ſe recipiant, & ad vlteriora pertranſire permittant; propterea nō eſt, vt cauſſam latioris vmbræ matutinę ac veſpertinę ſupra meridianam referamus in corpuſcula vaporum, quæ radios extremitatum Solis, in aerem vmbræ conterminum profluere geſtientes, retro pellant vnde venerunt, inhibeantque ne ferantur ad locum deſtinatum; qui locus proinde nouam induat vmbram, meridianæ, cui copulatur, augmentū: quum tamē in problemate quæratur abſolute, cur vmbra latior effundatur ex vno & eodem opaco corpore, dum Sol eſt horizonti vicinus; & e contra ſtrictior, dum Sol a finitore longius abeſt in editiori cælo. Sic ergo iure non firmarunt inclyti viri

z exerc. 79. ar. 3.

a pag. 54.

b ibid. pag. 21.

v. exer. de lucidij in ſubli. c. 11.

c lib. 2. c. 1.

mentem

mentem duæ cauſſæ priores ab ipſo tractatæ.

Tertia cauſſa explicatur, & comprobatur. Conſideret itaque vir oculatus, num aliquid luminis haberi valeat in hoc obſcuro quæſito ex tertia cauſſa, quam ego ſic explicatem; aſſerens propriam opaci cuiuſque corporis vmbram, eius eſſe latitudinis per ſe, qua ſpectatur dum Sol eſt horizonti proximus; verum per accidens imminui, decreſcereq. ſecundum latitudinem, dum Sol excelſior procul abeſt a finitore; quum per ſe, ac omni remoto prorſus impedimento, minorem vmbram, arctioremque Sol ex eodem opaco corpore propellere debeat, dum in ortu & in occaſu viſui maior apparet. Quam ſententiam vt latius explicemus, quum gemina ſit vmbræ ſpecies apud Opticos; primo determinandum, de quanam vmbra proprie quæſtio propoſita ſit. Sane duplicis vmbræ mentionem ab *d* Aguilonio fieri video; perfectæ nimirum, quam plenam appellat vir inſignis; & imperfectæ, quam diminutam nuncupat: perfectam quidem & plenam vmbram definit eam eſſe, quæ radiorum omnium a luminoſo corpore rectis lineis emanantium priuatio ſimpliciter eſt; at vmbram diminutã & imperfectam eſſe determinat illam, in quam aliqui dumtaxat radij, pauci nimirum, a parua portione lucidi corporis, hoc eſt ab extremo limbo luminaris influunt. Si quidem ſermo ſit in problemate de vmbra plena & perfecta (vt ego quidem arbitror; etenim vir doctus vmbram imperfectam ab Aguilonio dictam, appellat lucem debiliſſimam, & non eſſe vmbram fatetur, ſed in vmbram mutari ſtatuit, dum vaporum conferta corpuſcula ſic ad inuicem diſpoſita ſunt, vt omnino prohibeant radiorum tranſitum ab extremo limbo Solis in aerem vmbræ meridianæ conterminum) ea de cauſſa cenſeo Solem procul ab horizonte iuſtam & integram opaci corporis vmbram rodere, circumcidere, ſtrictioremque reddere, quia lumen Solis alti vegetum, viuidis & multis radijs innixum, repercutitur ab aere contermino, & reflectitur in proximum locum vmbræ; qui radij viuidiores, corrodentes & abſumentes vmbræ limbum, & oras laterales extremas, introductione noui luminis repercuſſi diminuunt vmbram, arctiorem ipſam efficientes: quod efficere non valent imbecilles & pauci radij manantes ab oriente vel occidente Sole; quia lumen adeo paruum & languidum afferunt, vt id in vmbram repercuſſum ab aere

d 5 opt. defi. 15 & 16.

pro-

proximo, deſtruere nequeat vllam vmbræ plenæ particulam: ſed hæc eludens infirmi luminis circumfuſi conatus omnes, integram ſuam ſibi magnitudinem ſeruat; ideoque mane ac veſpere corpus idem opacum habet vmbram ſuam integram, & propterea latiorem: e contra prope meridiem idem corpus anguſtiorem minoriſque diametri de ſe proijcit vmbram, quia Solis humilioris, tam infantis exorientis, quam decrepiti morientis, lumen infirmum ac debile non valet vmbræ plenæ limbum arrodere; quem nullo negotio corrodunt eiuſdem Solis adulti radij potentiores: eſt autem excelſi Solis lumen apud vmbram in aere viuidius atque potentius, tum quia radij magis verticales & perpendiculares in reflexione ferme directa multiplicantur, non autem vni ſimpliceſque præterfluunt, vt radij prouenientes ab humili Sole; tum quia Solis elatioris lumen a minori portione vaporoſę ſphęrę globo terreno circumfuſæ tangitur; proindeque minus in ea refrangitur; quum certum ſit ex e Opticis, Omne lumen refractione debilitari. Ceterum aerem vmbræ conterminum radios a Sole ſuſceptos in vmbram reflectere; taleſque radios repercuſſos vmbræ marginem vtrumque, ſi viuidiores fuerint, abſumere, latitudineq. ipſius vmbræ reddere ſtrictiorem, non ſolum pridem Ariſtoteles, verum etiam nouiſſime videtur Aguilonius inſinuaſſe; nam is agens de vmbra plena ſiue perfecta, poſteaquam præclaro ſchemate nobis eam ob oculos poſuit, eiuſque definitionem aperuit, adiungit, f *Notandum vero, hanc vmbram, tametſi ſuapte natura vnius vndique obſcuritatis ſit, quod videlicet totius luminis ſit abſentia; tamen ex accidenti minime vniformem eſſe; quum enim aliquid ſemper luminis a circumfuſo aere illuſtrato in obſcurum ipſum locum deriuetur (quod definitione ſeptima eſt explanatum) idque non vniforme; fit vt vmbra partes, quæ longius abſunt a ſtipante lumine, obſcuriores relinquantur.* Septima vero definitio fuerat, *Lumen primum dicitur, quod immediate a lucido corpore proficiſcitur; lumen ſecundum, quod a lumine primo eſt; tertium, quod a ſecundo; & eodem ordine cetera. Quum Sol hæc inferiora ſuo fulgore perfundit, is locus, in quem directi a Sole radij procidunt, primo ſiue primario lumine colluſtratus dicitur: eſtque hic ille præcipuus fulgor, quem Sol in omnem circum partem directo vibrat, vbi nullo craſſiore*

e *Allax. l. 7. cap. 7. Vitell. lib. 10 p. 10.*

f *5. opt. definit. 15.*

corpore obſiſtente prohibetur. Ab hoc lumine propinquus aer participat; pars enim a corporibus, in qua primarium lumen impingit, repercutitur; pars vero ab aere, in quo præcipuum lumen nitet, in vicinum aerem traducitur, &c. Dum itaque lumen hoc primarium, ab aere circumfuſo in vmbram proximam reuibratum, non adeo vigens viuidumq. fuerit, ſed imbecillum, quale nimirum effluit ab humili Sole, ſimplicibus ac vnis radijs fultum, & valde refractum in orbe vaporoſo denſiori multis terrenis exhalationibus oppleto; tunc vmbræ partes laterales extremas abſumere non poterit omnino, ſed tamen eas forte rarefacere valebit ac minus obſcuras reddere: dum autem potentioribus radijs pollens eſt illuſtriſſimum (cuiusmodi dubio procul eſt reuibratum ab altiori Sole) iam facile tenues atque raras illas & minus obſcuras vmbræ partes laterales extremas penitus exterminat, abſumit, & in lumen vertit; quare priſtinam vmbram matutinam natura ſua determinatæ latitudinis arrodit, & circumcidit vtrimque, ac ita diminuit vmbræ naturalem latitudinem: quam iterum vmbra veſpere ſibi reſumit integram, debilitato rurſum lumine Solis occidentis adeo, vt id reuibratum ab aere proximo in vmbram conterminam, vmbræ latera nequeat amplius abſumere, ſed rarefacere tãtum ac minus obſcura reddere. Verum & multo prius in eamdem ſententiam lumini ſonum comparans Ariſtoteles aſſeruit, g *Echo autem fit, quando ab aere, vno facto propter vas quod terminauit & prohibuit frangi, iterum aer repellitur, quemadmodum ſphæra. Videtur autem ſemper fieri Echo, ſed non clara; quia accidit in ſono ſicut & in lumine; etenim lumen ſemper repercutitur; non enim fieret vbique lumen, ſed tenebræ, extra locum Sole illuſtratum; ſed non ſic repercutitur vt ab aqua, aut ære* (male plerique vertunt hic dictionem χαλκῦ in vocem, aere) *aut etiam aliquo alio læuium, vt vmbram faciat, qua lumen determinamus.* Nempe, quemadmodum in ſono plerumque repercutitur aer quoquopacto a vaſe, in quod impulſus fuit, vt a pariete pila luſoria; proindeque ſonus clare geminatur, quia poſt primum ſonum reuibratum oritur ſecundus, a quo pariter deſtruitur ſilentium, quod eſt mera ſoni priuatio; ſæpius tamen aer, motu ſuo ſonum vehens, magna ex parte diſpergitur; & minori parte ſui leuiter repercuſſus exilem inſenſilemq.

g 2. de an. t. 80.

sonum

ſonum efficit, qui non eſt Echo clara: ſic omnino lumen ſemper etiam repercutitur; ſed illuſtrius ab aqua, ære, ſpeculo, vel alio quouis polito & læuigato corpore ſubſtantiæ denſioris; vnde reſiliens lumen tum imaginem Solis plerumque pingit in oppoſito corpore; tum etiam aliquando radios vſtorios in illud emittit; quod & Plutarchus obſeruauit inquiens, *f Alioquin etiam caua ſpeculorum validius reflectunt Solis radios, ita quidem vt flammas quoque ſæpenumero edant:* & † Tzetzes, & cum eo Galenus aſſerens, *g Archimedem hoſtium triremes vrentibus ſpeculis incendiſſe:* quod ex Galeno quoque notauit *h* Rhodiginus, & *i* Philalthæus, cui quum reſiliunt radij e centro ſpeculi concaui ſimul concurrentes in vnum combuſtibilia quælibet incendunt. Quin & ego non ſemel vidi radijs æſtiui Solis per cryſtallinam phialam aqua plenam traiectis linteum mantile menſæ meridie comburi. Qua de re Cantuarienſis in † Optica ſua theoriam propoſuit, ac demonſtrationem geometricam. Sed ab aere minus quidem viuidum repercutitur lumen, quod vrere non poteſt ita, nec imaginem Solis in oppoſita parte depingere: quæ quidem repercuſſio luminis ab aere deinceps euadit aſſidue minor atque debilior, vt demum in vltima poſtremi aeris reflexione lumen ſit adeo debile, quod luminis nomen non mereatur; quia corpus opacum in eo poſitum nullam de ſe penitus effundit vmbram; quæ ſolum in lumine gignitur; & eapropter illa res eſt, qua lumen determinamus, aſſerentes lumen ibi tantummodo eſſe, vbi collocatum corpus opacum poteſt vmbram facere. Verum enimuero primus aer ille radijs Solis illuſtratus, primarioque lumine perfuſus a iubare diei, tale lumen primum, eoſque radios reimbrat in vmbram conterminam, quibus eius vmbræ partes extremas aut minus obſcuras reddit (quod notat Aguilonius) ſi non ita validos ipſos ab oriente vel occidente Sole ſuſceperit; aut eas partes vmbræ laterales omnino deſtruit, quemadmodum repercuſſus aer in Echo clara ſilentiũ tollit (vt innuit Ariſtoteles) vmbramque propterea circumcidens a lateribus imminuit, vbi receperit aer ipſe repercutiendos radios vegetiores a Sole ſublimiori. Sic obſeruatu noſtro non ſolum, & Cl. Mathematici Cauallerij, ſed etiam eximij eiuſdem alumni Galilei, *k Dum Luna tum ante, tum etiam poſt coniunctionem non procul a Sole*

f de fac. in orb. Lun.
† *3. chil. hiſt. 35.*
g 3. de tempe ram. c. 2.
h lib. 15 c. 13
i 1. cal p. 51. & 2. cal. p. 398.
† *lib. 3. prop. 16.*
k Nunc. ſid. pag. 14.

reperitur, non modo ipſius globus ex parte, qua lucentibus cornibus exornatur, viſui noſtro ſpectandum ſe offert; verum etiam tenuis quædam ſublucens peripheria tenebroſæ partis, Soli nempe auerſæ, orbitam delineare, atque ab ipſius ætheris obſcuriori campo ſeiungere videtur. Quin & huic Lunæ ſplendori comparans eiuſdem eclipſi laborantis obſcurum lumen, adijcit paullo poſt, *Fulgor enim, qui in deliquijs apparet in Luna, longe minor eſt, ſubrufus, ac quaſi æneus; hic vero clarior, & candidior: eſt inſuper ille mutabilis, ac loco mobilis; vagatur enim per Lunæ faciem, adeo vt pars illa, quæ peripheriæ circuli vmbræ terreſtris propinquior eſt, clarior; reliqua vero obſcurior ſemper ſpectetur.* Quia ſcilicet proximus æther, primario lumine Solis illuſtratus, reuibrat radios Solares vegetiores in Lunaris orbitæ marginẽ, a quo depellit vmbram, quæ viuidioris luminis eſt abſentia; propterea que vigens illud lumen, repercuſſum ab æthere contermino in Lunam tam coniunctam, ſiue coniunctioni proximam, quam oppoſitam in eclipſi, corrodit & imminuit Lunarem obſcuritatem ac vmbram in eius extremo tenebroſo; quĩ extenuat & rarefacit etiã in reliquo Lunæ corpore; quod ideo ſubluſtre conſpicitur; etſi minoris claritatis, quam peripheria. Cui quidẽ ſẽtẽtię mecũ plane ſentiens ipſa veritate ductus illico manus dare videtur Cl. Galileus addẽs, *Ex quo omni procul dubio id accidere intelligimus ex radiorum Solarium vicinitate tangentium craſſiorem quamdam regionem, quæ Lunam circulariter ambit: ex quo contactu Aurora quædam in vicinas Lunæ plagas effunditur, non ſecus ac in terris tum mane, tum veſperi crepuſculinum ſpargitur lumen.* Sic ergo nobis aperte conſentit, aſſerentibus ab æthere Lunæ circumfuſo, radijs Solaribus illuſtrato, repercuti ſplendorem in eclipſatæ Lunæ partes margineas clariorem; at in partes alias, procul a peripheria ſitas minus clarum; quia nempe reflectenti lumen ætheri propinquior eſt Lunæ limbus extremus, quam intra limbum cõtenta reliqua ſuperficies: magis autem illuſtrari viciniora quam diſtantiora, cuique notum facit experientia: ſuadetque ratio, qua conſtat lumen in itinere ſemper hebetari; & ab hebetiori lumine res minus illuminari. Auroram autem, & crepuſculinum lumen, veſperi & mane ſparſum apud nos, non a terra repercuti, quæ ſupra finitorem eo tempore Solaribus radijs non perfun-

perfunditur; nec a Sole directe vibrari, qui tunc in altero, non autem in noſtro ſplendet hemiſphærio; ſed eſſe radios repercuſſos ab aere propinquo, Solare lumen in ſe habente prope finitorem, nemo iam non agnoſcit: pari ſane ratione radij Solares tangentes æthercam regionem illam, quę Lunarem ambit Orbem, ab æthere illo Lunæ contermino repercutiuntur in Lunæ diſcum terrena tunc vmbra velatū; atque viciniores limbi Lunaris partes inde magis illuſtratæ, talem vmbram exuunt; remotiores autem a limbo partes Lunæ ſentiunt vmbram in ſeipſis tantummodo rarefieri ac extenuari, non autem abſumi penitus ac in lumen mutari. Nec aliter exiſtimandum eſt de lumine ſpectato in Lunæ parte a Sole non tacta prope coniunctiones, de qua nuper ipſemet Vir Cl. aſſeruerat, *Compertum inſuper eſt, hanc ſecundam (vt ita dicam) Lunæ claritatem maiorem eſſe, quo ipſa minus a Sole diſtiterit; per elongationem enim ab eo remittitur magis magiſque, adeo vt poſt primā quadraturam, & ante ſecundam, debilis admodum & incerta comperiatur, licet in obſcuriori cælo ſpectetur; quum tamen in ſextili, & minori elongatione, quamuis inter crepuſcula, mirum in modum fulgeat; fulgeat inquam adeo, vt ope exacti perſpicilli magnæ maculæ in ipſa diſtinguantur*: Nimirum, quia Luna, quo Soli vicinior eſt, eo viuidius lumen in parte ſui tenebroſa recipit repercuſſum ab æthere ſibi contermino; & e contra quo magis a Sole diſtat, eo languidiores radios ab eodem æthere proximo ſuſcipit reflexos ad eamdem ſui partem obſcuram: quum radij prope Solem illuſtrius lumen gerant, quam procul a Sole; lumine ſemper fatiſcente, quo longius a ſuo fonte perducitur. Quod enim opinantur inclyti plerique Mathematici, ſplendorem illum in Lunæ parte Solaribus radijs primarijs non tacta ſpectatum prope coniunctiones, & deliquij tempore, lumen eſſe Solis a terra repercuſſum in orbitam Lunarem; id mihi pluribus rationibus valde ſuſpectum eſt; quas a me propoſitas alibi, non eſt vt in præſentia repetam, & latius explicem. Sic ergo mihi probabile videtur, eiuſdem opaci corporis vmbram meridianam eſſe ſtrictiorem quam ſit veſpertina & matutina, quia repercuſſum lumen in vmbram ab aere contermino, partes vmbræ laterales abſumit meridie, quod innitatur radijs potentioribus; id autē præſtare nequeat mane ac veſpere,

quod radijs imbecillioribus agat; quibus vmbræ latera minus obſcura quidem reddere queat, ipſa rarefaciens ac extenuans; atvero conſumere penitus corrodereve nequeat vllo modo.

Sin autem Cl. Gaſſendus vmbræ nomine ſignificaret in problemate vel vmbram illam imperfectam, quæ paucos & exiles radios admittens, a pictoribus Italis vulgo ſolet appellari *Sbattimento*; vel potius aggregatum quid ex vmbra perfecta & imperfecta; reuera nõ poteſt per ſe (reclamantibus ijſdem opticis, & phyſicis rationibus) latior vmbra produci ex vno & eodem opaco corpore vi Solis prope finitorem degentis; & arctior e contra virtute Solis elatioris; at ſolum per accidens, ob eamdem rationem phyſicam; quia nempe circumambiens aer aſperſus primario lumine Solis, dum illud reflectit in vmbram imperfectam, aut eam extenuat ſolummodo rarefaciens, vbi reuibratum lumen debile fuerit, quale prouenit ab humili Sole; aut ipſam exterminat & abſumit omnino quoad partes laterales extremas; vbi lumen id fuerit intenſius atque validius; cuiuſmodi vibratur ab excelſiori Sole procul ab horizonte.

Dicta ſint hæc a me de propoſito problemate, Cl. Naudæe: quæ velim tibi, & inclyto Gaſſendo non diſpliceant. Vale, & me ama; meoq. nomine præcelſum Autorem quæſiti plurimũ ſaluere iube. Dabam Bononiæ menſe Iulio M DC XXXVIII.

De Seminis ex Cambio generatione

Ioannis Veſlingij Eq. Anatomici primarij, & Botanici Academia Patauina ad Fortunium Licetum Epiſtola XXIII.

QVÆ ex ſecundo capite libri tui de perfecta conſtitutione hominis in vtero legentem retardarunt, iudicium illud tuum *a* τηλαυγὲς ſummiſſa cum obſeruantia requirunt. Dubium enim, an Cambium in particularum omnium nutritione abundans, per venas ad teſtes feratur, vt ob temperamenti, qua partes æmulatur, ſimilitudinem, ſemen elaboretur aptum ad partium ſimilium conſtitutionem. 1. Quia Cambium non rore tantum, ſed glutine craſſius, maxime in oſſibus

a Lucidum.

&

& ligamentis, non poteſt remeare in venas illas *b* τριχοειδῆς. 2. Oſſa ampliſſima, vti femur & humerus, vix euidentes habent venas; quarum tamen apophyſes omnis egregie exprimit opifex. 3. Aurium Oſſicula protinus a partu nō amplius creſcentia; labyrinthi item, & reliquarum cauitatum innumerabiles ſpecus, nulla accedit vena: omnes tamen ſeruato temperamento, magnitudine, ſitu, cuniculorum flexu, idem efformat Phidias. 4. Cambium illud numquid & in arterias ingreditur? at earum officium, & verſus extrema corporis paucitas id non admittit. 5. Sanguinis & Cambij intra eaſdem venas oppoſiti motus, & ex illis eodem tempore, ne quidem in meſenterij vaſis adminiſtratur Natura. 6. Sanguini denuo remiſtum Cambium in longo ab extremis itinere non ſeruabit temperamenti partium modum: minime omnium dum intra varicoſos flexus & capſulam multiplici alterationi ſubiectum, in ſemen conuertitur. 7. Formatrix ex æquiuoco ſemine, ſcilicet quod ex vltimo partium alimento non decerptum, producit animal temperamento & conformatione particularum omnium alteri ſimillimum. Igitur non opus alimenti vltimi *c* παλινδρομῆ. 8 In venis & arterijs ſpermaticis ad teſtes vſque ſanguis deprehenditur, & is quidem admodum dilutus, & ſeroſus. 9. Tantillum ad formicę maioris conſtitutionem neceſſariū, quis credat, a tantæ molis particulis omnibus delibari? Igitur nō materiæ apparatus, ſed artificis ſolertia hic ſuſpicienda: qui ex materia, teſtium vi diſpoſita, efformare poteſt id, quod nec ratio ſatis, nec ars vlla comprehendit. 10. Ariſtoteles ſane vltimum illud alimētum ſanguinē *d* pronūciat, eiuſq. receptaculum conſtituit venas: *e* ἡ τροφὴ ἐσχάτη αἷμα: τὸ δὲ ἀγγεῖον ἡ φλέψ. neutrum autem proprie in Cambio expetit. 11. Ratio, quod effreni Venere ſe conficientes, tamdem ſanguinē fundant, non probat illud de Cambio; ſed magis ſuſpectum reddit. 12. Ex oculorum muſculis & membranis ſubducta Cambij portiuncula, & has ipſas partes, & humorem vitreum, & chryſtallinum, & fuliginē Choroidi ſubiectam, aliaque tam varia, tam mira, fieri neceſſario debere: facile redarguit natus oculatiſſimus ex vtroque parente cæco. Ceterum *f* ἅλις δρυός dixeris, nec immerito hic tricari tibi videor,

b Capillares.

c Reciprocatione.

d 4. de gen. an. c. 1.

e Alimentū vltimū ſanguis eſt: eius receptaculū vena.

f Satis quercus.

videor, qui aculeo nimis forſan anxius, melioribus occupationibus tuis iniuriam facio. Tuæ fuerit humanitatis excutere hoſce ſcrupos, & expeditiori pede pergam deinceps ad reliqua. Vale feliciter.

Cl. Viro Ioanni Veſlingio Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

QVÆ proponis, V. Cl. mihi diſcutienda, ſunt digna fecundo & ſubtili, quale tuum eſt, ingenio; conabor tamen aduerſus mea dicta propoſitis occurrere, tuæ cenſuræ cuncta ſubijciens. 1. Cambij partes tenuiores, ſpiritibus oſcilla capillarium venarum dilatantibus ad hunc finem, regredi poſſunt in venas. 2. Et per cæcos oſſium meatus ſi via fuit craſſiori alimento ea nutrituro, nondum defœcato a craſſa ſorde, non deerit locus redeunti Cambio, purgato iam ab excremento craſſiori per tertiam coctionem. 3. Aurium oſſiculis etſi a partu non videatur magnitudo creſcere, quia tunc tenella, & chartilaginea multo turgent muco, qui ſenſim abſumitur, dum interim aluntur & augentur, vt aliæ partes omnes; ijs tamen venas, etſi ſenſum latentes in cadauere, in quo frigiditate concreſcunt in vaſa inadſpectabilia, negare non debet mens, quæ norit in viuente corpore venas eſſe turgidas, impetum a faciente ſpiritu, ac dilatante continentia vaſa, in Hippocratica officina. 4. Quid ni par ſit ratio Cambij ſuperabundantis nutricatui venarum & arteriarum? immo dum in fine diaſtolis hiant, & initio ſyſtolis ſe ſe veluti contrahunt, quaſi quodam ſuctu trahunt Cambij partem tenuiorem; nec deſunt arteriæ circa extrema corporis vbique, licet in cadauere ſenſui lateant, frigore velut obliteratæ. 5. Natura nullo negotio venarum tunicas dilatabit, vt ad varios fines per eundem ductum motibus oppoſitis agat ſanguinem, & cambium: ſed quid impedit, quominus diuerſo tempore id fiat, ſcilicet vt cambium regurgitet in venulas nuper ſanguine vacuas, quæ nouo ſanguine repleantur mox, vbi natura cambium duxerit in maiores venas? 6. Si bili flauæ permiſtus humor pituitoſus in maſſa ſanguinea retinet ſuum ſibi temperamentum frigidum & humidum, non

a Hip. 6. epid.

obſtante

obſtante longiſſimo vaſorum omnium ductu; nec obſtantibus multis alteratio[illegible]varicatos, & alios quoſcunq. flexus; quidni ſimile q[illegible] cambij partibus illis contingere valeat? 7. Non video, cur formatrix ex æquiuoco ſemine, non vtatur ſemine decerpto ex vltimo partium alimento, ſi producat animal alteri ſimile: nam ſemen illud æquiuocũ prius excrementum fuit partium conſimilium. Sed fieri quoque poteſt, vt in ſponte naſcentibus, cambio & ſemine degenerato in deteriorẽ naturam, formatrix, quæ non poteſt efficere quod vellet, efficiat quod poteſt, nimirum ſimile alteri, non illi, in quo eſt. 8. Cur ille ſanguis cum multo ſero non poſſit habere portiones cambij partium omnium nutricationi ſuperfluas, vt ita dicam? 9. Cambium, futurum ſemen, non a ſingulis omnium particularum ſenſibilium egredi neceſſe eſt; ſed ſat eſt depromatur e ſingulis partibus integris propria figura terminatis; alioquin illi, qui ſtatuunt formicam etiam minorẽ, ex infinitis atomis conſtare, nobis anſam exhibent credendi, ſeminis exiguum corpus, vni viuenti conſtruendo ſufficiens, habere poſſe materiam e ſingulis partibus defluxam. Nec diſpoſitio materiæ ad varias partes induendum eſt alia, quam varium temperamentum, ſimile temperamento ſingularum, quod illud in cambio genuit. 10. Ariſtoteles vltimum alimentũ dicere non poteſt niſi quod vltimo diſpoſitum ſit ad nutritionem, quæ eſt eius conuerſio in ſubſtantiam partis alendæ; id autem non eſt, quod intra venas, nondũ paſſum fuit tertiam & vltimã coctionem, quam ſolam Cambium perpeſſum eſt. Neque vero loco abſte producto ſimpliciter ait & continuate, quod refers, *vltimum alimẽtum eſſe ſanguinem, eiuſque receptaculum eſſe venas*; at vero longe aliter, ac diſiunctim primo dicit, *b* *Abſurdum etiam tantum eas effici partes oportere, nec totum corpus mutari exiſtimare; & precipue, primoque venas; quibus veluti deſcriptione deductis, corpus adiacet carnium; quas ſuam recipere qualitatem propter vterum nulla probabili ratione dici poteſt: ſed potius vterum propter eas ſuam recipere qualitatem ratio eſt: Quamquam enim vtrumque ſanguinis conceptaculum eſt; tamen venæ ſunt prius.* Vnde conſtat eum non ſolas venas efficere conceptaculum ſanguinis. Addit autem multo poſt in eodem capite, nobis plane conſentiens, *Vt in fructibus conficiendis*

b *4. de gen. an. c. 1.*

ex

ex copia primi alimenti parum ſecernitur, quod vtile ſit, demũq. nulla pars remanet reſpectu copiæ p[illegible] corpore animalis, poſtquam partes per ſucceſſionem alime[illegible] cõficiendum receperunt, ad poſtremum parũ admodum remanet ex toto al'mẽto (nimirum cambij portio ſuperabundans nutricationi) *quod in alijs ſanguis, in alijs proportionale ſanguinis eſt. Sed, quum alterum poteſt, alterum non poteſt ſecernere excrementum ſyncerum; omniſque facultas inſtrumentum aliquod ſibi accommodatum habet, & quæ melius, & quæ deterius idem efficiat.* Et multis interpoſitis, *Semen excrementum eſſe vltimi alimenti poſitum eſt: vltimum autem id intelligi volo, quod in vnamquamque partem feratur: quamobrem quod generatum eſt, ſimile ei quod generauit, eſt: nihil enim refert ab vnaquaq. parte proficiſcatur, an ad vnamquamque accedat* (quia vtrumque fit; nam ſanguis accedit primum ad vnamquamque partem corporis alendam, a qua vertitur in cambium; cuius deinde reliquiæ nutricatui partium ſuperabundantes, ab vnaquaque parte corporis parentum feruntur mutandæ in ſemen, & in ſemen conuerſæ feruntur in vnamquamque partem corporis fœtus conſtituendi, proportionatam illi, a qua deceſſit) *Sed rectius ita* quia ſeminis ratio potius reſpicit fœtum, quam parentes; erga quos verius ſe habet vt fructus; quod antea dixerat, inquiens, c *Semen, & fructus inter ſe differunt, prioris poſteriorisq. ratione; fructus enim, quod ex alio eſt; ſemen, ex quo aliud; nam alias ambo idem ſunt.* Itaque noſtram ſententiam mirifice comprobat Ariſtoteles in allato loco. 11. Immo poſt crebros concubitos quod exeat materia cruenta, quia coctione teſtium non adhuc alborem contraxerit Cambium; quod ſolum ſemen vtcumque dici poteſt, non item ſemen. 12. Si verũ eſt, ex vtroq. parente cæco naſci lynceis oculis puellum, parentum illorum cæcitas non niſi ex obſtructione opticorum eſſe potuit: at obſtructi nerui nullum habent vitium in ſubſtantia, quæ nutritur, ſed ſolum in ductu, qui nec nutritur, nec de ſe cambium, aut ſemen emittere debet. Hæc ſunt, V. Cl. quæ mihi nunc ex tempore venerunt in mentem, tuis doctiſſimis difficultatibus in ſolutionem afferendam. Quæ velim æqui bonique conſulas. Vale, & me ama.

c 1. de gen. an. c. 18.

De

De eadem Seminis ex Cambio generatione

Ioannis Veſlingij Eq. Anatomici Primarij, & Botanici in Acad. Patauina ad Fortunium Licetum Epiſtola XXIV.

DIV eſt, Cl. & Excellentiſs. Vir, quod leuidenſe hoc ſermonis officium Tibi debeo; cuius humanitati, quamuis redhoſtimentum præſtare poſſem, obſtrictum me tamen deuinctumque profiteor. Exceperunt ab itinere reducem cum publici tum priuati labores, calamoq. vim inferre potuit confertum occupationum agmen; non affectus, quem tantum abeſt, vt locorum inter nos diſtantia attenuarit, vt ſuffectis potius fomentis indies magis vberauerit. Admoui iterum oculos gratiſſimo reſponſo tuo, quod de ſeminis ex cambio generatione dudum benigne mihi tuliſti. Quod animũ veritatis auidum nondum ſatiauerit, paucis iudicio tuo ſubijcere iterum malui, quam inconſulta hæſitatione diutius premere. Cambij partes tenuiores in venas redire poſſe ſtatuis. 1. At illæ relictis quibus erant permiſtæ craſſioribus, nõ exprimunt amplius partium ſeu membrorũ, quibus deſtinatæ fuerunt, temperiem: hæc enim partium tenuiorum, craſſiorum, mediæque conditionis omnium *a συναλίαν* exigit. 2. Manifeſtum hoc ex Hermetica miſti ſolutione, in cuius vel phlegmate, vel ſpiritu fruſtra quis vniuerſi temperamentũ requirit. 3. Idem in extractis chimicorum atque eſſentijs obtinet. 4. Aurium oſſicula, a partu mollia, chartilaginea, multoque muco turgida eſſe ſcribis. Vellem, Cl. Licete, fideliter hoc ſenſus potius oſtenderet, quam ſuaderet ratio: mihi in nonimeſtri fœtu ſæpius oſſicula illa contemplanti, nunquam talia ſe ſe exhibuerunt; ſed ſolida firmaque compage flexum negantia, nec muco vllo, niſi præter naturam illapſo forſan, turgida. 5. Tympani quoque cauitatem ipſam, & labyrinthum, cochleæque flexus, cum prædictis oſſiculis eadem pluries magnitudine in nonimeſtri fœtu obſeruaui, quia in confirmata hominis ætate ſe ſe offerunt. 6. Ab his itaque partibus, in adoleſcentiæ flore, ſenijque rigorem

a Conuenientiam.

obtinentibus, non eſt quod abundantis cambij portionem ad ſeminis generationem accerſeas. Arteriæ, inquis, dum in fine diaſtoles hiant, & initio ſyſtoles ſe contrahunt, quaſi quodam ſuctu cambij partem trahunt. 7. Hoc ſane locum haberet, ſi motus arteriarum ad ſimplicem receptionem cõparatus eſſet: Nunc recipitur diaſtole ſanguis, vt protinus expellatur; et remeare neceſſe ſit etiam in ſyſtolis principio quicquid vel cambij, vel alterius ſucci, oſculis hiantib. ſe ſe inſinuarat. 8 Poſſe Naturam nullo negotio tunicis vaſorum dilatatis, per eoſdem ductus ſanguinem & cambium oppoſitis motibus agere, perſuaſum tibi eſt. Mihi id præcipue demonſtratione indigere videtur; nam in humano corpore tale quid fieri, nondum aut ratio detexit, aut patefecit ſenſus. Sed vacuis venulis regurgitare poſſe cambium arbitraris. 9. At nec vacuas vnquã venas eſſe compertum habeo, nec ſanguinem in eis vnquam otioſe quieſcere vero ſimilius exiſtimo. 10. Nam vt continuus eſt in homine calidi humidique effluxus; ſic continuus pariter materiæ reſtaurantis affluxus: iſque tanto concitatior, quanto reſolutionis cauſa fuerit vehemẽtior. 11. Si miſti in ſanguinea maſſa humores, ais, retinent intra longiſſimas venas, plexuſque temperamentum ſuum, ſimile de cambij partibus fieri poſſe. Mihi vero dubĩum non eſt, elementa in miſto naturam ſeruare ſuã: illud obtinere volui, quemadmodum ſanguis habet alium temperamenti gradum in iecore, alium in corde, cerebri, teſtiumq. plexibus, alium in venis extremarum, Ita cambium ex habitu corporis, & artuum extremis reuerſum intra venas, ſanguiniq. circa iecur, aut cor iterum permiſtum, intra teſtium denique varicoſos plexus proprio ipſorum calore ſubactum, alium ſibi temperamenti gradum acquirere, quam partes, a quibus receſſit, eidem tribuerant. 12. A cæcis parentibus ſi generetur ſoboles, quæ oculis integris prædita ſit, vitium in oculis parentum non niſi nerui optici obſtructionem fuiſſe concludis. Ego cæcos noui, recte videntem prolem procreaſſe, quorum oculi partim hypochymate obſeſſi fuerunt, partim craſſefactis a præcedentibus ophthalmijs humoribus ipſis, vitium cõtraxerunt. 13. Nec tamen obſtructis neruis opticis, ſubſtantia ipſorum ſalua eſt: medullam enim obtinent, quamuis rariorem, quamque craſſius phlegma denſat & refrigerat: Hæc itaque quum

nerui

nerui pars ſit, adeoque nutriatur, cambium pariter ſuum poſſidebit, atque emittet ſemen. 14. Immo ſpiritus animalis influxu, per obſtructionẽ impedito, neceſſum eſt, reliquas oculi partes, & potiſſimum humores eiuſdem, temperamenti deliquium incurrere. Sed pauſam hic mihi ſermonis imperant negotia, meritoque prolixitatis tædium apud Te ſubterfugere debeo: de quo veniæ gratiam me conſecutũ arbitrabor, quando ſuauiſſimis literis tuis ſolicitum reficere dignabere. Vale feliciter. Patauij VII. Decembr. Anno M DC XXXIIX.

Cl. Viro Ioanni Veſlingio Eq. & Anatomico Primario, atq; Botanico Patauino Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

SVmmopere, Vir egregie, me delectarunt elegantes pariter & ſubtiliter doctæ litteræ tuæ; quibus mirifice cauſſam tuam contra meum placitum de ſeminis ortu e cambio tueri videris: atvero ne mea dicta, quæ veritati cõſentire cenſeo, patrocinio deſtituta relinquam, ad tua ſingula capita reſpondere lubet; omnia tuæ cenſuræ ſubijciens, candidoq. iudicio. Primo quidem arbitror tenuiores Cambij partes, quæ per oſcilla regurgitant in venas, relictis craſſioribus ad nutritionem membri, a quo ſeparantur, idem cum illis temperamentum in primis qualitatibus omnino ſibi conſeruare; quod nõ mutatur ad mutationem ſecundarum qualitatum; quoniam idem temperamẽtum prorſus agnoſcimus in eiuſdem ſucci porrione tenuiori pariter & paullo craſſiori; temperies namque varia fuerit in partibus diuerſæ ſpeciei, vt in carne, vena, & oſſe; in humore vitreo, albugineo, & cryſtallino; in melancholia, bile flaua, pituita, ſanguine; ſed eiuſdem pituitæ, & vniuſcuiuſque propoſitorum partes tenuiores a craſſioribus temperamento non diſtant, a quibus tenuitate diſcernuntur: ita cẽſeo partes cambij tenuiores a craſſioribus temperamento minime differre; ſicuti nec oſſis partes tenuiores a medijs & craſſiorib. differunt ipſa temperie ſecundum primas qualitates; quod maior & minor tenuitas partium, ceteris paribus, non variat ſpeciem ac naturam, quæ temperamentum eſt, vel temperamento maxime ni-

titur apud Medicos. Quod autem ſecundo proponis de ſpiritu & phlegmate, in quibus non reperitur temperies totius miſti per deſtillationem in ea duo reſoluti, parem non habet rationẽ cum partibus cambij ſola tenuitate atque craſſitudine inter ſe diſſidentibus; nam ſpiritus & phlegma duo corpora ſunt ſpecie ac temperatura tum inter ſe, tum a toto miſto, quod in ea per Hermeticam tranſmutationem ſubſtantialem diſſolutum eſt, diſſidentia; partes vero cambij tenuiores atque craſſiores vnico motu locali, temperamentum minime mutante, ab inuicem ſeparatæ priſtinam ſibi retinent omnino temperiem, ſimilem temperaturæ membri, a quo per vltimam coctionem id temperamenti genus acceperant. Idem dico de tertio, quod affers ex extractis, & eſſentijs appellatis Chymicorum; ſiquidem in ea extractione, ac eductione chymica non adeſt ſolum motus localis eorum, quæ ſeparantur; ſed maxime viget alteratio tranſmutatioque ſubſtantiæ; proindeque mutatio temperamenti: ſed in ſeparatione partium tenuiorum cambij, quæ regurgitant in venas ad materiã futuri ſeminis, a craſſioribus, quæ remanent affixæ membro, conceſſuris in eius alimoniam, nulla ſpectatur alteratio, nulla ſubſtantiæ mutatio penitus, at ſolum motus localis, qui ſubſtantiam minime mutat; vt aſſerit *a* Ariſtoteles comparans lationem cum alteratione, & alijs motibus, *Et propter hæc*, ait, *& quia minime motuum, id quod mouetur, dum fertur, a ſubſtantia diſcedit: ſecundum enim ſolã* lationem *nihil mutatur ab eſſe, vt quum quid alteratur, quale; quum vero augetur & diminuitur, quantum:* Et propterea ſolus motus localis ineſt corporibus cæleſtibus, quæ nullam ſubſtantiæ mutationem perpetiuntur. Addendũ his eſt, hanc eſſe differentiam inter partes eſſentiales nuncupatas, & eas quæ vocantur integrales; quod partes eſſentiales (cuiuſmodi ſunt in miſto quatuor elementa, & apud Chymicos phlegma, & ſpiritus, ſeu extractum, & eſſentia) ſunt diuerſæ ſpeciei, naturæ, ac temperaturæ tum inter ſe, tum ab vniuerſo miſto, quod ex eis conſtat, & in eas reſolui poteſt: at partes integrales etſi poſſint ab inuicem tenuitate, craſſitieque differre, ſunt tamen omnes & inter ſe, & cum ſuo toto eiuſdem naturæ, ſpeciei, ac temperamenti; quo nomine de his loquens Ariſtoteles aſſeruit miſti partes ſingulas idem temperamentum, eamdemq. rationem

a 8. phyſ. t. 59.

habere

habere cum toto miſto, *Quoniam autem,* b inquit, *non eſt* b 1. de gen. t.86.
in minima diuiſum eſſe, nec compoſitio idem quod miſtio, ſed diuerſum; manifeſtum eſt, quod neque ſecundum parua ſaluata oportet ea, quæ miſcentur, dicere miſta eſſe; compoſitio enim erit, & non temperamentum, nec miſtio; neque habebit eamdem rationem cum toto pars. Dicimus autem oportere, ſi miſtum eſt aliquid, quod miſtum eſt, ſimilarium partium eſſe; & quemadmodum aquæ pars aqua, ita & temperati. Sicut ergo ſingularum aquę partium idem eſt omnino temperamentum, licet in aqua partes aliæ tenuiores habeantur, & aliæ craſſiores; ita pariter in cambio partes tenuiores a craſſioribus tẽperamẽto non diſſident; quum ſint eiuſdem miſti partes integrales: atvero phlegma, ſpiritus, extractum, & eſſentiæ Chymicorum opera eductæ ex miſto, non ſunt illius miſti partes integrales, at vel partes eſſentiales, vt elementa miſcibilia, ex quibus miſtum fit per generationem, & in quæ reſoluitur idem per corruptionem; vel potius nouæ ſubſtantiæ genitæ per actionem ignis in illud miſtum, quod corrumpitur, quare cum partibus cambij comparandæ non ſunt. Circa quartum abſte ſæpius obſeruatum de oſſiculis aurium, primum quod in fœtu nonimeſtri videris ea ſolida, firmaque compage inflexibilia, nec vllo muco turgida, niſi præternaturam ad ea delapſo, nihil hoc me turbat; nam etſi comparata ceteris oſſibus hæc in fœtu ſolida ſint, & firma, nec ita mucoſa; quod auditui ſtatim ab ortu deſeruire quum debeant, non ita mollia creari neceſſariũ fuerit; quoniam ſolida & lęuia ſunt, quæcumque ſonant, & concaua, c Magiſtri decretis; nihilominus puellos a partu ſæpius obſeruaui ad pluſculos dies veluti ſurdos, ſaltem ſurdulos, ac ſurdaſtros, non audire patris, aut matris, nutricisve blanditias vocales, ad quas ne cõmouẽtur hilum, nec oculis quidem ſigno dato percepti ſonitus vllius: quod aliunde nõ eſt, niſi quia tantam duritiem ac ſiccitatem oſſicula nondum adepta fuerint, quãta illis opus eſt ad ſonum motibus ſuis excitandum in aere congenito, ac in tympano. Nec a Galeni doctrina diſcedendum arbitror, qui talia de vniuerſo genere oſſium, in quo & hæc tria auribus congenita debemus agnoſcere, d *Prima fœtus conſtitutio ex ſemine & ſanguine eſt, quæ humida & calidæ res ſunt: his autem magis ſemper ſiccescentibus, primum quidem for-*

c 2. de an. t. 77. 78.

d 2. de temp. cap. 2.

mantur

Digitized by Google

mantur membranæ, tunicæ; item viſcera, & ſanguinis vaſa: vltima vero perficiuntur oſſa, & vngues, & chartilagines, concreta ſcilicet eorum ſubſtantia. His vero in vtero perfectis, ita deinde paritur infans. Eſt vero adhuc in ſummo humidus, veluti maris alga: idque non ſanguinis vaſis modo, et viſceribus, ac carne; ſed etiam ipſis oſſibus, quæ ſcilicet ſicciſſima ſunt omnium, quæ in nobis ſunt partium. Verum tum hæc, tum reliqua tota vna cum his membra, quaſi cerea ſint, infantium nutrices fingũt, formantque; tanta eſt in toto puellorum corpore humiditas. Quin ſi recens editum porcellum, vel eſſe, vel diſſectum inſpicere velis; carnem quidem eius mucoſam, præhumidamque inuenies: oſſeum vero genus vniuerſum, caſeo, qui modo ſit coagulatus, aſſimile; adeo vt nuper nati animalis corpus propter redundantẽ in eo humorem, libens non comedas. Quod maxime tum ſuilli, tum ouilli fœtus corporibus accidit, propterea quod ea maxime ſunt humida: Caprinum, quod ſiccius ſit, & melius eſui eſt, & iucundius: contra vero quam in nouellis porcellis, quæcumque iam ſenuerunt, hæc oſſa quidem omnia, & ligamenta vniuerſa præſicca ſine ſucco, & inſipida poſſident: Quæ medio ſtatu horum, ac nuper natorum ſunt, quæ vtique iam ætate proceſſerunt, quantum a ſenio abſunt, tantum ab extrema ſiccitate ſunt remota. Quæ minora ſunt, atque adhuc augeſcunt, tantum ea quoque ab geſtati etiam num fœtus humore abſunt, quantum proceſſerint ætate: floreſcẽs vero ætas omnium animalium maxime in medio extremorũ eſt, neque ſicut ſenium ad ſummam perducta ſiccitatem, neque velut infantium ætas, in humore & multo vuido merſa. In eandem ſententiam alibi Galenus addit, e *Verum & aurium humiditates paſſionibus annumerat* Hippocrates, *quamuis palati, & narium in eodem numero non ponat, quoniam natura conuenit per nares atque palatum cerebri ſuperfluitates per derivationem expurgare: & fit hoc etiã in ijs, qui ſunt ætate perfecta: a natura autem aliena eſt expurgatio per aures. Verum & infantibus etiã per aures cerebrum expurgatur; & recte Hippocrates inter proprias huius ætatis paſſiones, etiam aurium ſcripſit humiditates. Eſt ſiquidem & totum corpus nouiter natis puerulis maxime humidum, adeo vt & oſſium natura in ipſis potius cerea, quam lapidea videatur. Præ cæteris vero partibus cerebrum admodum humidum exiſtit, quod etiam in perfectis talem habeat intemperatu-*

e 3. aph. com. 14.

peraturam. Quare non abſque ratione in puerulis, quum ſuperfluitates abundent, per omnia foramina excernuntur. Vt optimo iure talem aphoriſmum ſcripſerit *f* Hippocrates, *In ætatibus autem talia contingunt; paruis & nuper natis puerulis oris vlcera (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.* Hanc ego doctrinam, & experientiam propoſitam de ſurdillitate (vt ita dicam) ſequens, aſſerui, puellis nuper natis aurium oſſicula tenella, chartilaginea, multo turgere muco: qui mihi non tam illis inſidere iudicatus eſt præternaturã excrementitius, de quo loquitur Hippocrates allato loco; quam etiam ſecundum naturam, de quo nuper vidimus Galenum egiſſe ſuopte nutu, nimirum nõdum ſatis exſiccatã materia humida ſeminali, ex qua concreta ſunt oſſa; quæ gigni reor ex femineo ſemine potiſſimum, vt cerebrum ex maſculeo; ſed vtrumque ſemen *g* Ariſtoteli, præter ſpirituoſam ſubſtãtiam, obtinet naturam humidam etiam & aquoſam; quæ ſenſim deſiccatur in dies. Comparate quidem non ſolum ad alia puellorum oſſa tibi videri, ac dici potuerunt aurium oſſicula ſolida; ſed etiam ob ſui exilitatem ſenſui ſunt inflexibilia; non enim arripere queas extrema, quæ contracta flexũ admittant ac peragant in medio corpore: nam ob exiguitatem ſtapes inuiſibilis fuit ætate Carpi, & incus ac malleus difficulter viſibilis, eo dicente, *Et huic panniculo intra prædictam vacuitatem adiacent duo oſſicula parua, apta moueri ab aere ibidem proximo moto, quæ in ſuo motu ſe inuicem percutiunt: a quibus ſecundum aliquos cauſſantur omnes ſpecies ſoni, plus & minus ſecundum aerem extrinſecus motum. Ad hæc bene videnda requiritur docta manus, cum tenaculis, falce, ſerra, & malleo apto; quia prædicta, tam neruus, qui venit ab intrinſecq, quam miringa, quæ eſt verſus foramen auris, cum oſſiculis prædictis cum difficultate videntur.* Tertium oſſiculum primus omnium Columbus obſeruauit, vt pote minimum. Nec illud omittam, oſſicula contrectari tibi potuiſſe ſolum in cadauere, in quo frigiditate ambientis obriguerunt, atque multum de priſtina teneritudine amiſerunt; quum in viuente corpore calida molliorem ſubſtantiam habuerint neceſſario. Quod etiã quinto loco refers, obſeruaſſe te ſæpius aurium oſſicula magnitudinis eiuſdẽ in nonimeſtri fœtu, qua viſuntur in adultis hominibus;

f *lib 3. aph. 24.*

g *2. de gen. an. cap. 3.*

id non

id non arguit neceſſario, nullum ijs accedere augmentũ; ſiquidem continuo motu deterũtur, & eamdem ſibi magnitudinem ſeruare non poſſent, niſi creſcerent aſſidue reſtaurantia ſibi nedum ſubſtantiæ partem effluxam vi caloris abſumentis, per nutricationem; ſed etiam molem iugi contritione deperditam, per augmentationem; atteruntur autem continuo motu facilius, quo nuda ſunt, ac nullo tegmine chartilaginis velata. De illorum motu propemodum aſſiduo a ſonis pulchre Columbus

h l. 1. c. 7. h Anatomicus illuſtris hæc ait, *Natura non temere duo hæc oſſicula* (malleum notat, & incudem) *ita conſtruxit, vt craſſiore parte mutuo ſe reſpicerent; nam quum ex aeris motu auditio fiat, ictus aeris in meatum ad hæc oſſicula defertur; fitque ibi quædam repercuſſio ad eum ciendum ſonitum, qui ſentitur. Hæc igitur oſſicula cedente membrana moueri, atque inuicem confricari neceſſe eſt; vt quum primum os aeris ictu percuſſum in alterum impingat, illudque feriat, merito malleoli, ſecundum vero incudis officio pariter & vocabulo donatum eſt; vbi iſta articulata ſunt, chartilagine incruſtantur. His tertiũ accedit nemini, quod ſciam, ante nos cognitum: iacet hoc, vel latitat potius in cauernula quadam ferme rotunda intra ſinum auditorium exculpta, quo fit vt ad organi auditus fabricam non pertinere non poſſit.* Quorum oſſiculorum motum alium etiam, voluntarium ſcilicet cõtendit adeo vehementem eſſe Cl. Aquapendentius, vt ſenſu percipi

i de aure p. 1. c. 5. valeat ab vnoquoque intra ſe; ſcribit enim i de his oſſiculis agens, *Moueturque ſupra incudem malleus; ac motus non quidem difficilis eſt, ſed ſenſu percipitur propter ei comitem, & ad-*

k cap. 6. *iunctum ſtrepitum, de quo poſterius.* & mox, k *Muſculus neceſſario motum præbet; neque alium præſtare poteſt, quam ad mallei & incudis dearticulationem: malleum igitur ad incudem mouet: Quod ſi motus eſt a muſculo, & per dearticulationem factus, dubio procul voluntarius eſt. Neque cuiquam mirum videatur in auribus motum voluntarium adeſſe: nam ſi motum voluntarium eum appellamus, quem efficere poſſumus quum volumus, & non efficere quum nolumus; præterea crebriorem ac rariorem, velociorem ac tardiorem pro arbitrio poſſumus, clariſſimum eſt in aure hunc effici motum: nam ego & facere ac non facere, & crebrius rariuſque, & velocius ac tardius facere conſulto poſſum: ac motus cum ſtrepitu quodam eſt, perinde ac ſi quis tria fila mo-*

dico

dico interuallo diſtantia tendat, & plectro percutiat, vt in fidibus etiam fieri conſueuit; vt ſi quis vngue tabulam per tranſuerſum linearum ſcalpat, vel ſcintillam ignis a lignis excuſſam audiat; præcipue autem percipitur quum oſcitare incipimus: verũ in principio, hoc eſt dum in via eſt hic motus, ſonus quidam obſcurior, qui videtur aeris commoti, & ſimilis ſono, qui fit a baculo aerem percutiente, præcedit. Illud præterea habet notatu dignum hic motus, quod in vtraque aure eodem tempore fit, neque vllo modo ſeparatim in altera tantum aure fieri poteſt; vt videatur hic motus quamdam habere analogiam cum oculorum motu; ſiquidem vno moto oculo, alter quoque mouetur. Hic igitur motus ille eſt arbitrarius, quem in auribus meis percipio &c. Quam ſententiã inferius fuſe proſequitur, vbi ſpeciatim ait, *Sic voluntarius hic aurium ſtrepitus videtur conſequi neceſſario muſculorum motum, & ipſius mallei ad incudem affrictum, attritum, aut aſperiorem contactum, qui hic magis quam alibi cõtingit, tum propter exactam valdeque aſtrictam compoſitionem, & vtriuſque oſſis coniunctionem; tum præterea, quod hæc oſſicula, quæ coarticulãtur, haud molli incruſtantur cartilagine, vt cetera oſſa ad eorum coarticulationem.* Sic igitur non ita poteſt obſeruari trium oſſiculorum auris augmentum in adultis, quia continuo fere motu & affrictu iugiter atteruntur. Quod ſexto proponis, ab his partibus in iuuenta duritiem ſenilium oſſium habentibus non eſſe quod expectem abundantis cambij portionẽ ad ſeminis prouentum; non video quomodo meum dogma lædat; etenim quum alantur hæc oſſicula, quantumuis dura ſint; quidni portio cambij, conſimile temperamẽtum adepta, priuſquam in ſubſtantiam oſſis mutata riguerit, vt alia quæ cedit in eorum nutrimentum, regurgitare queat in venulas materia ſeminis euaſura? quidni natura prouida ſatagat multo plus cambij conficere in oſſiculis, quam quod ijs alendis ſufficiat, vt habeat materiam ſeminalem, qua cõſimilia generari poſſint oſſicula in fœtu? Ad ſeptimum concedo quidem arteriarum motum non ad ſimplicem receptionem comparatum eſſe; verum non probo ſanguinem diaſtole receptum protinus extra corpus arteriæ pelli; nec, remeare neceſſum eſſe extra arterias in ſyſtolis initio quicquid vel cambij, vel alterius probi ſucci ſe ſe inſinuarat oſculis hiantibus; at cum tota Philoſophorum, &

p. 3. cap. 5. & 6.

Medicorum ſchola cenſeo, Naturam quæ ſemper bonum ap-
petit, & de poſſibilibus efficit quod melius eſt, id in arterijs
moliri, vt in ſyſtolis initio, quum mox hiaſſent in diaſtole, ſu-
gentes trahant intra ſe quicquid bonum erat tum Cambij ad
prolem, tum aeris ad refrigerium; at vigente mox diaſtole fo-
ras expelli ſolas fuligines naturæ noxias, contineri tamen ae-
rem, & cambium; aerem quidem neceſſarium generationi ſpi-
m 7. de pla. c.3. rituũ & vitaliũ, & animalium, vt ait Galenus tum inquiens, m
*Sicut vero vitalis ſpiritus in arterijs, & in corde gignitur, mate-
ria generationis ex inſpiratione, & humorum exhalatione ſum-
pta; ita animalis ex vitali perfectius concoctio oritur*: tum infe-
n 8. de pla. c.8. rius aſſerens, n *In animalibus diſtentus thorax per aſperam ar-
teriam neceſſario in os aerem exteriorem attrahit; idem paullo
poſt contractus in expirationibus exprimit: atque hanc quidem
o 2. de muſ. fun. functionem voluntariam eſſe* o *demonſtratum eſt; alia vero,
quem pulſum appellamus, a corde & arterijs exiſtit: quæ quidem
arteriæ, dum diſtenduntur, per capita quidem cutem adeunt,
exteriorem aerem in corpus attrahunt; atque id tribus de cauſſis,
vt refrigerent, vt ventilent, vt ſpiritum animalẽ gignant; dum
contrahuntur vero, quicquid in ipſis fuliginoſum, fumoſumq. ex
humoribus creatum fuerit, id exprimendo elidunt*. Cambium
vero eadem ratione trahunt intra ſe arteriæ dilatatæ, ac initio
ſyſtolis etiam veluti ſugunt; & dum conſtringuntur, ſolas fuli-
gines inutiles ac noxias extra ſe pellunt; non item receptum
cambium, vt pote proficuum, & vtile, quinimmo neceſſarium
generationi ſeminis, non minus quam retineatur aer vtilis ac
neceſſarius, de Galeni mente, generationi ſpirituum. Quod
octauo poſtulas, demonſtrari tibi, quomodo in humano cor-
pore per eoſdem ductus natura ſanguinem & cambium moti-
bus oppoſitis agat, quod tale quid nondum ratio detexerit, aut
ſenſus patefecerit: non ita difficile fuerit præſtare; namq. Ga-
lenus non vno in loco luculentiſſime demonſtrat, non ſolum in
ægrotantibus corporibus, verum etiam in ſanis hominibus, non
raro per eoſdem canales tum eiuſdem ſucci, tum variarum
materierum contrarios motus fieri; ſubſtantiamq. refluere ad
eumdem locum, a quo prius effluxerat per eamdem viam: &
p 4. de vſ. part. c.19. primus quidem locus eſt, vbi hæc ad verbum, p *Summa ratio-
ne ac ſolertia modum inſtituit* Natura, *quomodo omnia, quæ ad*

ventri-

ventriculum atque inteſtina pertinent, non ſolum alijs partibus
corporis nutriendis ſubſeruirent, ſed & ipſa nutrirentur. Primũ
namque toti meſenterio venas effecit proprias inteſtinis nutri-
endis ipſi dicatas, haudquaquam ad hepar traijcientes: Verum vt
& Herophilus dicebat, in glanduloſa quædam corpora deſinunt
hæ venæ (quem locum nõ intelligere ſe dicit *q* Veſalius; ego *q l.5.c.6.*
vero reor eſſe mendoſum; quum omnes venas, & meſaręi pręſertim ab hepate naſci *r* ſuperius affirmauerit ipſe Galenus) *r 6. de an. adm. c.6. 4. de vſ. par. c.2.3.*
quum ceteræ omnes ſurſum ad Portas referantur. Deinde eiuſ-
dem vſus potiſſimum gratia in epiploo quoq; quamplurima nume-
ro vaſa conſtruxit, quo omnia propinqua nutrirentur. Porro v-
trumque hoc commentum Naturæ ipſi ſubſidio eſt ad perfectam
inteſtinorum & ventriculi nutritionem. Erant ſane & alia duo
nutritionis eorum auxilia, vnum quidem in ipſa cibi concoctione,
de quo antea ſumus locuti; alterum, quum per longiores inedias
infernæ partes attrahunt quiddam etiam ex ipſo hepate, iam di-
ſtributione ad hepar, & diſtributorum ipſorum exacta elabora-
tione ac ſeparatione abſolutis, inferioribus autem inſtrumentis
tunc indigentibus & ſanguinem benignum trahere valentibus.
Admirantur tamen nonnulli, ſi per quas venas prius anadoſis ad
hepar facta eſt, per eaſdem rurſus aliquando ſanguis benignus
recurrat, quum aliorum operum naturæ ignari, tum vero roboris
in attrahendo inſtrumentorum nutritione egentium, de quo in
alijs demonſtratum eſt. Sic igitur in humano corpore tale
quid ratio Galeno detexit, quale nos diximus, per eoſdem ve-
narum ductus a ſingulis partibus recurrere cambium ad hepar,
& inde ad teſtes, per quos prius ad eas nutriendas effluxerat
ab hepate ſanguis in Cambium conuertendus. Verum & hoc,
& alia multa propoſitæ reciprocationis per eãdem viam exem-
pla fuſe nobis affert alio loco Galenus; cuius verba neceſſa-
» rium eſſe duximus adducere; ſcribit enim, *s* Omnibus ſcilicet *s 3. nat. fa. c.6.*
» propemodum animalis partibus ineſſe debere deſideriũ quod-
» dam, ac veluti appetentiam conuenientis ſibi qualitatis; auer-
» ſionem quandam, veluti que odium alienæ. *& mox,* ſed ſi &
» expetit, & trahit, & retinendo, ac vndique complectendo frui-
» tur; erit vtique & finis illi quiſpiam fruitionis: poſt quẽ iam
» expultricis facultatis agendi tempus ſuccedit. *t* Verum ſi & *t cap.7.*
» retinet, & fruitur, etiam ad eum finem, ad quem ſic retinet,

» abutitur. Porro is finis eſt, vt eius, quod in qualitate cõueniens
» conſentienſque eſt, partem aliquam capiat. Itaque quod in
» cibis optimum eſt, id halitus ſpecie & paullatim ſibi attrahit;
» atque in tunicis ſuis repoſuit, iiſdemque adiungit. Vbi abunde
» ſaturatus eſt, quicquid reliquũ nutrimenti eſt, veluti oneroſum
u cap. 13. » aliquid reijcit. *& non multo poſt,* u Ergo quum & vterum, &
» ventrem, & eam, quæ hepati ſubeſt, veſicam non trahere mo-
» do, ſed etiam a ſe pellere per vnam eandemq. viam videamus;
» mirari non debemus etiam, ſi per venas in vẽtrem natura non-
» nunquam excrementa expellit. Illud vero etiamnum multo eſt
» mirandum, ſi per quas venas a ventre in iecur facta eſt digeſtio,
» rurſus ex iecinore in ipſum trahi aliquod alimẽtum in longio-
» re inedia poteſt: quippe eiuſmodi effectis fidem abrogare, ſi-
» mile profecto eſt, ac ſi quis purgantia medicamenta, per quæ
» ora facta prius eſt digeſtio, per eadem neget ex toto corpore
» in ventrem proprios ſuccos trahere; ſed alia digeſtionis, alia
» purgationis requirat ora. At qui ſi vnum idemque os geminis,
» quæ in contrarias partes diuerſis temporibus trahant, potẽtijs
» ſubſeruit; prius quidem ei, quæ eſt hepatis; purgandi vero tem-
» pore ei, quæ eſt medicamenti: quid miri eſt in his venis, quæ
» medium ſpatium inter iecur, & partes circa ventrem occupãt,
» duplex eſſe miniſterium, atque vſum? Ita vt quum his abun-
» dantia fuerit alimenti, per iam dictas venas ſurſum feratur in
» iecur; quum autem vacua ſunt, nutririque auent, per eaſdem
» ipſas ex hepate rurſus trahatur: Siquidem totum ex toto tra-
» here, ac toti impertire, vnaque omnium confluxio, ac conſpi-
» ratio eſſe videtur; quemadmodum admirabilis Hippocrates
» dixit: ac trahit quidem id quod eſt valentius, vacuatur autem
» id quod eſt imbecillius. Porro valentior imbecilliorque altera
» quam altera particula eſt, vel abſoluto ſermone, naturaque &
» communiter in omnibus, vel priuatim huic cuipiam talis effici-
» tur; & natura quidem, omnibuſque tum hominibus, tum ani-
» malibus communiter cor quam iecur, & iecur quam inteſtina,
» & venter; item arteriæ quam venæ, tum quod vtile eſt, ad ſe
» trahere, tum quod diuerſum ab hoc eſt, a ſe pellere magis va-
» lent: Et priuatim in vnoquoque noſtrum alio tempore iecur
» valentius trahere poteſt, alio ventriculus; quippe vbi in ventri-
» culo copia alimenti eſt, ac iecur vehementer appetit, deſide-

ratque

Digitized by Google

„ ratque omnino, id valentius trahit: inuicemque iecinore refer-
„ to ac diſtento, ventre vero appetente ac vacuo, valentior tra-
„ hendi vis in hunc transfertur: tanquam enim ſi manibus cibos
„ aliquos tenentes, alter ab altero eos raperemus, ſi pari modo
„ his egeremus, ſuperare valentiorem par erat; ſin eſſet hic ex-
„ pletus, ac propterea negligenter, quæ ſuperuacua eſſent, tene-
„ ret, aut etiam alicui impertire ſtuderet; imbecillior autem ve-
„ hementer appeteret, nihil obſtaret, quominus ipſe cuncta ca-
„ peret: Itidem venter ex iecinore facile trahit, quum hic quidẽ
„ vehementer nutriri appetit, illud nutrimento eſt plenũ: eſtque
„ nonnunquam, quo minus animal eſuriat, cauſſa, nutrimenti
„ in iecinore abundantia; quippe venter, ſi melius paratiuſque
„ nutrimentum habet, externum non poſtulat: ſin aliquãdo po-
„ ſtulat, nec eius copia eſt, excrementis impletur; ea ſunt ſanies
„ quædam bilioſæ, pituitoſæque, atque ſeroſæ; quas ſolas tra-
„ henti illi, quum ſcilicet nutrimẽto indiget, iecur remittit. Ergo
„ ſicuti inter ſe particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt,
„ ita altera in alteram quod ſuperuacuum eſt, a ſe deponit: &
„ ſicut trahentium ea vicit, quæ erat valentior; ſic & a ſe depo-
„ nentium: eſtque hæc vocatarum fluxionũ cauſſa: Habet enim
„ particula quæque natiuum quoddam robur, quo, quod ſuper-
„ uacuum eſt, perſequitur: vbi igitur earum aliqua affectus cu-
„ iuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita; ex omnibus in illam
„ confluere, quæ ſuperuacua ſunt, eſt neceſſe; ea namque, quæ-
„ cumq. pars valentiſsima eſt, in vicinas omnes reponit. *et mox.*
„ Quod autem oſtẽdere in præſenti propoſitum erat, denuo re-
„ ſumamus; Non eſſe ſcilicet mirum venire ex hepate in vẽtrem
„ & inteſtina nutrimentum per eas ipſas venas, per quas prius
„ ex illis in hepar ſubierat: multiſque eorum, qui valentem exer-
„ citationem ſubito & prorſus dimiſerunt, aut artuum aliquem
„ præciderunt, ſanguinem per inteſtina certis periodis ſimul plu-
„ rimum vacuari, ſicuti quodam loco Hippocrates dixit; nullo
„ quidem corporis incommodo, niſi quod præ celeri impetu to-
„ tum ipſum purgat, redundanſque vacuat, per eaſdem ſcilicet
„ venas intro latis ſuperfluis, per quas antea in corpus fuerant
„ deducta. Porro in morbis natura non raro totum animal per
„ eaſdem venas purgat; non tamen eſt ea vacuatio ſanguinea, ſed
„ pro ratione infeſtantis ſucci: ita nimirum & in Choleris per

venas,

,, venas, quæ ad inteſtinum, & ventrem pertinent, totum vacua-
,, tur corpus. Exiſtimare autem eſſe vnicum motus modum, quo
,, materiæ in corpore ferantur, ignorantis omnino eſt naturę po-
,, tentias, cum alias, tum vero eam, quæ tractrici aduerſa eſt, ex-
,, cretricem: ſiquidem contrarias potentias neceſſe eſt cõtrarij
,, ſequantur motus; ſingulæ enim particulæ vbi conuenientem
,, ſuccum attraxerunt, deinde ex retento fructum cœperunt; to-
,, tum quod ſuperfluum eſt quam poſſunt celerrime commodiſ-
,, ſimeque, pro ſuperuacui ipſius huc illucve momento, abijcere
,, properant. Eoque ventriculus, quod excrementorum in eo
,, fluitat, per vomitionem expurgat; quod ſubſidit, alui deiectio-
,, ne: atque id eſt, quod animal eſſe nauſeabundum dicimus, ven-
,, triculum ſcilicet, vt per vomitionem vacuetur, impetum capeſ-
,, ſere: ergo tantam violentiam vehementiamque excretoria vis
x *Ileum.* ,, obtinet, vt vbi in morbo, quem x εἰλεὸν. Græci vocant, tran-
,, ſitus omnino præcluſus eſt, vomatur ſtercus: quamquam niſi
,, traiecto tum tenui inteſtino toto, tum ieiuno, tum pyloro, ven
,, triculoque, ac gula, omnino nequeat per vllius os eijci tale vl-
,, lum excrementum. Ergo quid miri eſt, ſi etiam ab vltima
,, corporis parte, quæ ad cutem eſt, ad ipſa vſque inteſtina, &
,, ventriculum aliquid tranſlatum peruenit? Quod ipſum quoq;
,, Hippocrates nos docuit, ſcilicet, non ſpiritum modo, aut ex-
,, crementum, verum etiam nutrimentum ipſum ab vltima, &
,, ſumma corporis parte, eo vnde primum aſcẽdit, rurſum deferri
(Quare mirum nihil eſt, ſanguinem in cambium mutatum, ab
vnaquaque particula corporis in venas regurgitare, ac per eas
rurſum ad hepar deferri, ac inde per emulgentes denique tra-
duci ad teſtes, ipſum continuo venarum ductu ad ſe trahentes,
eo modo quo ſingulæ partes exinanitæ continuato ſuctu ab
y *4. de vſ. part. c 7.* ore trahere dicuntur alibi à y Gal.; qui paullo z poſt addit)
3. de nat. fac. c. 15 ,, Ceterum quod ex toto in totum aliquid transferatur, mutuoq.
,, recipiatur, ac vna fit omnium, ſicut Hippocrates prodidit, con-
z *3. nat. fac. c. 13.* ,, ſpiratio, atque confluxio, iam mihi videor clare indicaſſe; ne-
,, minemque, ne ſi tardus illi ſit ſenſus, de talium vllo etiamnum
,, dubitare; qualia ſcilicet ſunt, qua ratione venter inteſtinaque
,, nutriantur, & quonam modo ab vltima corporis ſumma parte
,, intro aliquid perueniat: ſiquidẽ quum vniuerſæ corporis par-
,, ticulæ attrahendi quod conueniens amicumque eſt, repellendi

quod

Digitized by Google

» quod grauat, mordetve, potentiam habet, minime mirandum
» eſt contrarios aſſidue motus in his fieri; veluti tum in corde
» liquido cernitur, tum arterijs omnibus, thoraceque, & pulmo-
» ne: In his enim omnibus tantum non omni temporis momen-
» to, ſimul inſtrumentorum ſimul materiarum contrarios motus
» euidenter fieri videas (vt plane ratio iam a Galeno propoſita
detexerit, & ſenſus obſeruatio ab eodem itidem allata patefe-
cerit, in humano corpore per eoſdem venarum ductus diuer-
ſas materias cõtrarijs motibus agi, virtute partium ſuccos ſibi
ſuperfluos, aut vtiles in diuerſa pellentium, atque trahentium)
» An igitur de aſpera arteria viciſſim alias intro in pulmonem,
» alias foras ſpiritum tranſmittente non dubitas; pari modo nec
» de naſi meatibus, & ore toto; nec mirum etiamnum, aut in-
» credibile tibi videtur, ſi per quod ſpiritus paullo ante recipie-
» batur intro, per id nunc emittitur; de ijs inquam, non dubitas;
» de venis, quæ a iecinore in inteſtina & ventrem pertinent, du-
» bitas; mirumque tibi eſſe videtur, ſi per eaſdem ſimul & dige-
» ritur nutrimentum in iecur, & rurſus ab eo in ventriculum tra-
» hitur? ſane diſtingui oportet illud ſimul, vtro id modo dicas;
» nam ſi eodem tempore intelligis, ne nos quidem id concedi-
» mus: quippe ſicut alio in tẽpore ſpiritum recipimus, alio rur-
» ſus foras mittimus; ita alio tempore iecur ex ventre, alio ven-
» ter ex iecore trahit. Sin autem quod in vno eodemque animali
» vnum inſtrumentum cõtrarijs materiarum motibus ſubſeruit,
» hoc tibi ſimul illud ſignificat, idque te perturbat: age ſpiritus
» intromiſſionem remiſſionemque conſidera: omnino enim hę
» per eadem inſtrumenta fiunt; diſſident autem motus ac feren-
» dæ per inſtrumenta materiæ modo. Pulmo igitur, & thorax, &
» arteriæ tum aſpera, tum lenis, & cor, & os, & nares breuiſſi-
» mis temporum momentis tum ipſa contrarios ſortiuntur mo-
» tus, tum materias mutant. Quæ ex iecinore in inteſtina & ven-
» trem pertinent venæ, non æque breuibus temporum ſpatijs, ſed
» in multis diebus ſemel aliquando contrario funguntur motu.
» Sic enim res tota ſe habet. Quodvis inſtrumentum, quod iuxta
» ſe eſt nutrimentum, in ſe trahit; quicquid vtilis eſt humoris,
» hactenus ex eo depaſcens, quoad abunde ſit expletum: atque
» id, ſicuti diximus in ſe recondit; poſtea id tum ſibi agglutinat,
» tum aſſimilat, ideſt nutritur (interim ſuperabundantẽ cambij

partem

partem ſibi non neceſſariam repellit in venas, vnde ſibi eam te-
ſtes attrahunt, neceſſariam ad ſeminis confectionem, vt partes
omnes per venas a ſtomacho, & ore nutrimentum ſibi trahere
» ſolent) Definitum enim abunde ſupra eſt, aliud quoddam a
» nutritione opus, quod ipſum neceſſario præcedat, agglutina-
» tionem eſſe, προσφυσιν Græci dicunt, ſicut etiam illa prioré
» appoſitionem, quæ Græce πρόσθεσις dicitur. Ergo ſicut
» animalibus ipſis edendi finis fit ipſa ventris repletio; ſic parti-
» cularum quæque apponendi ſibi finem facit, quum cõuenienti
» humore eſt repleta. Quum itaque particula quæque ſimiliter
» ventri appetat, vtique & nutritur, & nutrimẽtum amplectitur,
» ad eumdemque, quo venter, modum id vndique conſtringit.
» Conſequitur autem neceſſario hoc opus, cibis quidem, ceu
» prius eſt dictum, vt concoquantur; ventre ſcilicet non idcirco
» circa illos ſe contrahente, quo reliquis partibus eos reddat ac-
» commodos (ſic enim non tam naturale eſſet organum, quam
» animal, quod ratione menteque præditum, quod melius eſt,
» eligeret) verum ipſe idcirco circa cibos ſe conſtringit, quod
» totum eius corpus, & attrahendæ propriæ ſibi qualitatis, & ea-
» dem fruendi, ſicut ante monſtratum eſt, vim obtineat. Accidit
» vero interim, vt cibos alteret; iam vero vbi impletus ſatiatuſq.
» eorum humore eſt, pro onere eos de cetero habet. Ergo quod
» redundans eſt, ſtatim abijcit, ac deorſum trudit; ipſe ſcilicet
» ad aliud opus, nempe vt agglutinet, conuerſus: hoc in tẽpore
» nutrimentum, quum per tota inteſtina permeet, per vaſa, quæ
» ad ea pertinent, rapitur; plurimum quidem in venas; exigua
» quædam portio in arterias, ceu infra mox docebitur (ita ſin-
gula pars ad ſe attractum ſanguinem alterat in cambium ver-
tens, quo vbi repleta fuerit, & ſatiata, pro onere reſiduum ha-
bet, ſuperabundanſque nutritioni ſuæ ſtatim abijciens a ſe de-
pellit; ipſa conuerſa iam ad aliud opus, vt agglutinet, & aſſimi-
let, hoc eſt in propriam naturam conuertat id, quod ſibi reti-
nuit; interim reſiduum illud rapitur in venas, & arterias ad he-
par, & teſtes tandem peruenturum, ijs ad propriam indigen-
tiam illud attrahentibus: eo modo quo ventriculus & inteſtina
tempore indigentiæ ab hepate trahere per eaſdem venas, ait
» Galenus mox) Sin autem venter manere ſine cibo cogatur,
» hoc tempore a venis, quæ in lactibus, ac iecinore ſunt, nutri-
mentum

,, mentum trahet; non enim ex ipſo iecinoris corpore: porro
,, corpus iecinoris appello, primum ac maxime ipſam propriam
,, eius carnem; poſt hanc etiam ſingula, quæ ſunt in ipſo vaſa:
,, ſiquidem qui in quaque particula iam contentus eſt ſuccus,
,, hunc alteram particulam reuellere credibile non eſt; maxime
,, vbi iam agglutinatur, vel aſſimilatur. Quod autem eſt in ve-
,, narum finibus, id, quæ magis valens ſimulque indigens parti-
,, cula, in diuerſum ad ſe reuellit: ſic itaque & venter, quo tem-
,, pore ipſe nutrimenti eſt indigus, animal vero non comedit;
,, hoc ab ijs, quæ in iecinore ſunt venis rapit: (non aliter teſtes,
vbi ſeminis indigent, quo nutriantur, per venarum ductus cam-
bium ſibi trahunt, non quod contentũ eſt in ſingulis partibus,
ijs mox agglutinandum, & aſſimilandum; ſed quod ab ipſis re-
iectum eſt velut onus, ac ſibi ſuperabundans in venas, & arte-
rias; quo in ſeminis naturam conuerſum teſtes aluntur, reli-
quum ſuæ nutritioni ſuperabundans conſimiliter propellunt in
vaſa ſeminalia nuncupata, vnde ad ſe trahet vterus in finem
,, generationis.) Quoniam autem & lienem prius mõſtrauimus,
,, quod in iecinore craſſius eſt, attrahere; præterea conficere,
,, ac ad vtilius mutare: nihil ne hic quidem miri eſt, ex liene ali-
,, quid trahi in ſingula, quæ cum illo per venas ſocietatẽ habent,
,, inſtrumenta; velut in omentum, lactes, tenue inteſtinum, co-
,, lon, & ventriculum ipſum: ad eundem modum & in ventricu-
,, lum alio tempore excrementum effundere; alio rurſus ex ven-
,, tre aliquid proprij illius nutrimenti attrahere. Vtque ſumma-
,, tim dicam id, quod prius iam dictum eſt, quodque ex quoque
,, trahere, ac in vnum quodque mittere diuerſis temporibus po-
,, teſt (*quod tibi V. C. dicebamus* a) Eſtque ſimillimũ quod acci- a *Epiſt. ſup. reſp.*
,, dit, ac ſi multa animalia intelligas, quæ pabulum abunde in
,, medio obiectum, quantum volunt, paſcuntur; quippe quo tem
,, pore alia intermittunt, eodem veriſimile eſt alia comeſſe, alia
,, præterea comeſſe deſitura, alia inceptura; item alia cum alijs
,, ſimul edere, alia alternis vicibus: immo hercle, alterum ab al-
,, tero nonnunquam rapere; vbi ſcilicet alterum indiget, alteri
,, abunde eſt obiectum. (Ita prorſum ex venis, quæ tum ſangui-
ne ab hepate, tum cambio a ſingulis partibus effuſo repletæ
ſunt, dum aliquæ partes expulſo iam cãbio ſuperfluo ſatagunt
retentum ſibi agglutinare, atque aſſimilare, trahunt ſibi teſti-

Digitized by Google

culi cambium, & aliæ partes idoneum ſibi ſanguinem.) Atque
„ ita mirum non eſt, ſi ab vltimo, & ſummo corpore aliquid in-
„ tro reuertitur: ſed nec ſi ab iecinore, & liene aliquid in ventri-
„ culum per ea, per quæ ex hoc in illa prius ſubijt, defertur:
„ ſiquidem in arterijs id admodum eſt euidens; non ſecus autem
„ in corde, thorace, & pulmone. Omnibus enim his dilatatis vi-
„ ciſſim contractiſque neceſſe eſt, a quibus aliquid prius eſt at-
„ tractum, in ea mox emitti. Hanc itaque neceſſitatem natura
„ proſpiciens, vaſorum, quæ in corde ſunt, oſculis membranas
„ adnaſci fecit, quæ retro ferri materias prohibeant. Verum qua-
„ liter, & quemadmodum id fiat, in libris de partium vſu doce-
„ bimus: Vbi cum alia, tum illud traditur, non poſſe plane ad
„ vnguem ita claudi vaſorum ora, vt nihil ex his recurrat retro
(neceſſarium ſiquidem fuit recurrere cambium ad teſtes pro
„ ſobolis generatione.) Quippe in venoſam arteriam (nam id
„ quoque in illis monſtrabitur) multo plus, quam per reliqua
„ ora, retro ferri eſt neceſſe. Sic igitur ex Galeno conſtat aper-
tiſſime, V. Cl. in humano corpore ſemper fieri motus contra-
rios materiarum per eoſdem ductus. Quod & apud Anatomi-
cos Claſſicos compertiſſimum habeas; nam quum certum ſit,
a ventriculo, & inteſtinis per meſaræi venas ad hepar chyli ſuc-
cum influere vertendum in ſanguinem; per eaſdem tamen ab
hepate ſanguinem ad alenda pariter inteſtina & ſtomachum,
non in tempore famis tantum ac ſummæ prorſus inediæ (quod
videtur voluiſſe Galenus) at aſſidue, ſiue quotidie ſemper re-
fluere notat in primis Carpus hæc habens de Vena Portæ nun-
„ cupata. Extra ſubſtantiam hepatis eſt etiam vena Portæ, teſt e
„ Gal. ſic dicta a viro verſuto circa naturam; & ab illo nomen
„ vſque nunc, quod Hippocr. & totus cætus Aſclepiadis lauda-
„ nit, quia portant ſui rami præelaboratum in ventre cibum ad
„ totius animalis digeſtionis locum, quem vocamus Hepar. Hæc
„ vena extra hepar habet octo partes: duæ ſunt paruæ, ſex ma-
„ iores; vna ex minoribus habet ramos duos, vnus nutrit duode-
„ num, & alter meſenterium duodeno continuum: alia vena mi-
„ nor nutrit ventriculum iuxta portanarium: prima ex ſex ma-
„ ioribus nutrit partem latam exteriorem ventriculi. Secunda
„ cum aliquibus ramis vadit verſus ſplenem; a qua primo vnus
„ ramus vadit ad Meſenterium nutriendum: deinde vnus alter

magnus

Digitized by Google

,, magnus ramus vadit ad ſplenem; qui in via in plures diuiditur
,, ramos, quorum vnus magnus nutrit ſiniſtram partem inferio-
,, rem ventriculi. Hicmet ramus ſequitur ingrediens ſplenem;
,, & emittit a ſe duos ramos, quorum vnus aſcendit, alter de-
,, ſcendit; aſcendentis tres ſunt partes, vna pars nutrit ſplenem,
,, alia nutrit ſuperiorem partem ventriculi; altera pars tranſit ad
,, os eius, emulgendo melancholiam ponticam pro appetitu in-
,, citando, quæ vt plurimum egreditur cum fœcibus per inteſti-
,, na: vena prædicta deſcendens bipartitur; vnus ramus nutrit
,, ſplenem, alter vadit ad omentum in parte ſiniſtra, & ipſum nu-
,, trit. Tertius ramus ex ſex prædictis vadit a ſiniſtris ad rectum
,, inteſtinum ſugendum. Quartus etiam ramus ex ſex maioribus
,, in capillares ſpargitur ramos, quorum aliqui ad dextram par-
,, tem vẽtriculi nutriendam vadunt, & aliqui vadunt ad nutrien-
,, dam partem dextram Omenti. Quintus ramus vadit ad Meſen-
,, terium in loco, vbi alligatur Colo. Sextus vero vadit ad Meſen-
,, terium in parte, vbi alligatur Ieiuno & Ileo cum ſuis ramis,
,, qui dicuntur Venæ Meſeraicæ; & hæc eſt ſatis magna. Subſtan-
,, tia harum venarum eſt qualis aliarum. Sua quantitas, & prin-
,, cipalis numerus, & ſitus, & figura, ac colligantia patent: ſua
,, complexio eſt frigida & ſicca, ſed ratione contenti eſt calida
,, & humida. Suum iuuamentum eſt, prælaboratum cibum du-
,, cere ad hepar; digeſtionem etiam ſecundam inchoat cum ſuis
,, ramis; portat enim nutrimentũ ventriculo, ſpleni, & omento,
,, & inteſtina nutrit. *In eamdem ſententiã venit Veſalius inquiens,*
,, *b* Ceterum reliquæ omnes Portæ propagines, in ventriculum b *l. 4. hu. fab. cap. 5.*
,, & inteſtina digeſtæ, duplici nomine extruuntur, partim vt illis
,, nutrimentum ſubminiſtrent, partim vt ſuis finibus & oſculis,
,, in ventriculum & inteſtina hiantibus, confectum a ventriculo
,, cibum, ex ipſo ac inteſtinis exugant, atque ad iecur tanquam
,, concoctionis officinam toti humano corpori communem,
,, transferant. *Columbus itidem de venis meſaraicis agens inſit,*
,, *c* Et quamuis ob chylum deferendum hæ venæ genitæ ſint; c *lib. 6.*
,, tamen fuit aliis inſuper vſus non minus neceſſarius, vt ſangui-
,, nem ſcilicet deferrent, qui meſenterio, ventriculo, inteſtinis,
,, omentoque alendis eſſet. *Valuerdius his conſentit aſſerens,*
,, *d* Venæ Portæ officium eſt, portare nutrimentum a ſtomacho d *lib. 6. c. 5.*
,, ad Hepar: inſeruit præterea nutriendis ventriculo, inteſtinis,

lieni, & omnibus alijs membris digeſtionis, per quæ diſtribuitur; & ad expurgandas aliquot ſuperfluitates ſanguinis. Verum poſt omnes, omnium luculentiſſime propoſitum demonſtrauit Laurentius in hæc verba, *e* De meſaraicarum vſu multiplex eſt opinio: ſunt qui velint meſenterij venas chylum tantum ad hepar vehere, cui ſtatim rudimentum aliquod ſanguinis conferant; nihil autem per eas refluere ad inteſtina, tum quia ſanguine non aluntur inteſtina, ſed chyli tenuiore portione; tum quia recta feruntur omnes venæ hiantque ad inteſtina, nec eorum longitudinem permeant; oportebat autem ſi ſanguinem deducunt ab hepate, expandi per alenda membra, non hiare ad primum membri contactum; tum denique quod meſaraicarum oſculis valuulæ ſint appoſitæ, quaſi oſtiola, quæ chyli & ſanguinis refluxū ad inteſtina prohibeant. Verum huius opinionis falſitas ex eo conuellitur, quod nec ventriculus, nec inteſtina chylo aluntur, vt ſuo loco demonſtrabitur, ſed ſanguine vi parenchymatis alterato (ſecus enim oſſa terreſtriora ventriculo & inteſtinis, defœcatiori nutrirentur alimento, ſanguine ſcilicet ab vtraque bile, ac pituita perpurgato vi ſecundæ coctionis in hepate; ſtomachus, & inteſtina quouis oſſe nobiliora, fœculentiori nutrimento, cuiuſmodi chylus eſt, alerentur; quod a ratione procul abeſt) Et quamuis hient venarum oſcula, excurrunt tamen per omnes inteſtinorum tunicas. Valuulæ vero illæ, quarum primus autor fuit Columbus, meră figmenta ſunt, meræ nugæ (ſed tamen his poſitis, nuper ex *f* Galeno vidimus, mēbranas oſculis vaſorum adnatas, prohibentes materiam retro ferri, non ita plane claudere vaſorum ora, quin ex eis aliquid retro recurrat; nimirum prohibere, recurſum ne fiat affatim, & confertim; at permittere recurſum neceſſarium alimoniæ partium, necnon etiam prauorum ſuccorum excretioni per eas venas a toto corpore ad ventriculū, & ad inteſtina, vel vomitu, vel alui deiectione pellendorum) Quomodo enim, ſi nihil per venas in inteſtina fluit, praui humores in vacuatione naturali, & arte facta, per inteſtina expurgantur? Eſt vacuatio hæc naturæ maxime cōſueta & familiaris: ſunt loca hæc Hippocrati primo Aphoriſmorū συμφέροντα conferentia; hinc diarrhoiæ criticæ, dyſenteriæ, hematides. Eſt altera quorundam opinio exiſtimantium per venas meſenterij

e 1. an. q. 24.

f 3. nat. fac. c. 13.

terij

,, terij & chylum tranſportari ad hepar, & ſanguinem reuehi ad
,, inteſtina, ſed diuerſa eſſe vaſa diuerſis his officijs dicata. Niſi
,, enim (aiunt) diſcreta eſſent vaſa, ſanguinem puriſsimum inteſtina
,, ad ſui nutritionem non prolectarent, ſed chylo adulteratum;
,, hepar vero non chylum, ſed ſanguinem traheret; ita permiſti
,, eſſent in vaſis ſucci, neque perfecta vnquam fieret nutritio.
,, Quin etiam niſi diſtincta eſſent vaſa, duo eſſent contrarij mo-
,, tus, fluxus chyli, & refluxus ſanguinis, quod ſane natura non
,, patitur. Verum quum in anatome ſoli autopſiæ ſit adhibenda
,, fides, qua arte venarum hæc diſcrimina obſeruarint, nō video.
,, Intuere, quæſo, tu quiſquis es, etiam oculis pluſquam lynceis,
,, meſaraicarum riuulos omnes, eorum inſertionem, exortum,
,, ſtructuram, colorem, contenta ſimilia omnino vbique obſer-
,, uabis: quod ſi venæ quædam vehendo ſoli chylo eſſent dicatæ,
,, aliæ ſanguini deducendo, illæ aliquando candidæ apparerent,
,, aut ſaltem non ita coloratæ: harum vero inſertio eſſet diſſimi-
,, lis. At quis vnquam venas meſenterij cremore & lacteo ſucco
,, confertas vidit? Lacteam, fateor, & albam venam appellarũt
,, Veteres Portam, non ea ratione quod ſucco candido eſſet cō-
,, ferta, ſed quod album ſuccum cremori perſimile traheret. Quæ
,, autem de contrarietate motuum obtrudunt, leuiſſima ſunt:
,, ſunt quidem duo hi motus numero diſtincti & diuerſi, ſed ſpe-
,, cie non differunt, nec cōtrarij ſunt; mouetur chylus ad hepar,
,, mouetur ſanguis ad inteſtina, trahit vtraque pars familiarem
,, ſuccum, ſed diuerſa ſunt obiecta, diuerſi termini a quo & in
,, quem, vnus idemq. terminus per quod. Tertia opinio eorum
,, eſt, qui per eaſdem venas & ferri chylum ad hepar, & reuehi
,, ſanguinem ad inteſtina ſibi perſuadent, ſed diuerſis id contin-
,, gere temporibus volunt, quia diuerſa diſtributionis chyli, &
,, ſanguinis tempora, quæ partium tractum non impediunt:
(id quidem nuper apud g Galenum vidimus, & fieri poſſe cen- g loc. cit.
,, ſemus) primum enim fit chyloſis in ventriculo, mox eiuſdem
,, perfectio in inteſtinis, in quorum anfractibus dum moratur,
,, tenuior chyli portio cremori perſimilis a venis meſenterij ſugi-
,, tur & ad hepar tranſportatur, vbi ſanguinis formam conſequi-
,, tur, ſtatimque in venas relegatur & a ſingulis partibus trahitur.
,, Itaque quum diuerſa ſint coctionis tempora, diuerſa erunt etiā
,, diſtributionis, nihilq. impediet per eadem vaſa ferri & chylum

&

,, & ſanguinem diuerſis tēporibus: ſic arteria venoſa in diaſtole
,, cordis aerem in ſiniſtrum ſinum defert, eademq. feruidos va-
,, pores per ſyſtolem expellit. Hæc eſt de meſaraicarum officio
,, & vſu quorumdam philoſophia, quam bonus nunquam admit-
tet Medicus (admiſit attamen, vt vidimus, Galenus Medico-
rum & optimus & pater) quia nutritionis veræ & tractus nulla
,, ſunt certa & definita tempora (Galenus tamen ea definiuiſſe
b 3. nat. fac. c. 13. ,, videtur, dum ait, *b* Ac mihi omnē iam naturæ circa nutrimētū
,, operam in tres temporum vices cogitatione partire. In prima
,, quidem ſimul & manere id in ventriculo, & concoqui intellige:
,, tum ventri ipſi ad ſaturitatem apponi; aliquid vero eius etiam
,, ad iecur aſcendere. In ſecunda, tranſire id ad inteſtina, iiſque
,, ipſis, & iecinori ad ſaturitatem apponi: tum portiunculam eius
,, exiguam in omnem corporis partem ferri: porro hoc tēpore,
,, quod in primo eſt appoſitum, id ventriculo affigi intellige. In
,, tertia vero temporis portione vētriculum quidem iam nutriri,
,, iis, quæ affixerat, plane ſibi aſſimilatis; affigi vero tam ieci-
,, nori, quam inteſtinis, quæ iis fuerant appoſita: præterea in
,, omnes partes digeſtionem appoſitionemq. fieri. Et poſt qui-
,, dem, ſi animal ſtatim nutrimentum accipiat, rurſus quo tem-
,, pore id venter concoquit, eoque fruitur, quicquid vtile ex eo
,, eſt, tunicis ſuis apponens: hoc inteſtina quidem eum, quem
,, ſibi affixerant ſuccum, prorſus aſſimilabunt: pari modo iecur.
,, In toto vero corpore partes nutrimenti, quæ fuere appoſitæ,
affigentur. Verum etſi dedero Laurentio, non eſſe certa, &
definita veræ nutritionis, & tractus tempora; non tamen inde
colliget ea diſtincta non eſſe, ſeparata, inuicemque ſubordina-
ta; prius enim iecur trahit a ventriculo chylum per venas me-
ſaraicas, quam ventriculus a iecore ſanguinem, quo nutriatur;
idemque dicendum eſt de inteſtinis; quæ pariter non ſemper
trahunt alimentarem ſibi sāguinem, ſed poſt attractionem diu-
tule ſine ſuctu permanent in eo concoquendo, ſibi agglutinan-
do, & aſſimilando, inque ſui ſubſtantiam conuertendo, ac in
excrementis a ſe pellendis; quo tempore chylus in venas me-
ſenterii deferri pellique poteſt a ventriculo, & inteſtinis, vnaq.
per eaſdem a iecore trahi. Sed addit Laurentius) trahit toties
,, pars, quoties exhauſtum ſentit: poterunt ergo eodem tēpore
,, & inteſtina & iecur eſſe famelica (id quidē falſum eſt, ac nullo
modo

modo neceſſarium; ſed ſi conceſſerimus, hoc noſtram ſenten-
» tiam adſtruit magis) Quare eodem tempore hoc chylum, illa
» ſanguinem allicient: non eſt earum partium appetitus anima-
» lis, & cum ratione, vt hæc obſequatur, illa imperet; trahit ſua
» quamque partem voluptas, nullusque in tertia coctione alen-
» darum partium ordo obſeruatur. (Obſeruatur ſane, tum quia
prius aluntur, quæ maiori vi tractrice pollent, tum quæ vici-
niora ſunt alimento; tum quia ordo partium eſt in tractione,
& concoctione nutrimenti; vt edocuit nuperrime Galenus.
Verum & opinio propria Laurentij noſtram etiam ſententiam
mirifice confirmat. Subdit enim) Supereſt vt noſtram hac de
» re ſententiam aperiamus. Omnes meſenterij venas vna eadēq.
» conditione ſeruitutis vti, ideſt & chylum in iecur tranſportare,
» & ex hoc in inteſtina ſanguinem refundere ſimul & ſemel vno
» eodemque tempore exiſtimamus; neque ob id permiſtos &
» adulteratos ſuccos inteſtina ac iecur trahere volumus, quia di-
» uerſarum partium trahentium diuerſi ſunt appetitus, diuerſa
» deſideria: ſic ſanguinis portiones quatuor vnica maſſa & vnico
» vaſe concluſæ ſingulis partibus ſynceræ trahuntur, & ſecernun-
» tur; pulmo tenuiorem, cerebrum frigidiorem, oſſa craſſiorem
» prolectant ſanguinem. Quid an non per criticas excretiones
» ſuccorum permiſtorum ſecretionē quotidie obſeruamus? Lac
» e mammis ad venas ſæpe refluit, indeq. per vterum & veſicam
» expurgatur purum ſyncerumque; quum tamē ſanguini permi-
» ſtum fuiſſe nemo inficietur. Empyicorum, Pleuriticorum, &
» Peripneumonicorum pus per perirhiam, & diarrhæam ſæpe
» expurgatur ſanguine nullo adulteratum; quum tamen per ar-
» terias aut venas, vt lib. tertio diſputabitur, feratur; quia pelli-
» tur tanquam noxium a natura pus, retinetur autem ſanguis na-
» turæ theſaurus. Sic ergo inteſtina ſanguinē a chylo ſecernunt,
» quia ſolus ſanguis vtile eſt partium alimentum; hepar quum
» iam excreuit ſanguinem, tanquam reliquias nō trahit, ſed chy-
» lum tantum, cuius familiaritate gaudet, & oblectatur. Hæc
» Galeni eſt ſententia tertio de facultatibus naturalibus, & quar-
» to de vſu partium. Si ergo per eaſdem venas meſaraicas con-
trarijs motibus agitur chylus a ſtomacho pulſus, & inteſtinis,
ad iecur, a quo trahitur; & ſanguis ab hepate pulſus ad inteſti-
na & ventriculum, a quibus attrahitur; ſi per eaſdē venas quo-
tidie

tidie cōtrarijs motibus aguntur in humano corpore tum praui ſucci ſeu tracti vi ſumpti medicamenti, ſeu pulſi virtute naturæ vigentis ex vniuerſo corporis habitu ad vētriculum & inteſtina; tum alimentares boniquе ſucci qua pulſi, qua tracti pariter ex ventriculo & inteſtinis ad vniuerſum corporis habitum enutriendum: ſi per eaſdem venas aliquando contrarijs itidem motibus lac agitur a mammis ad vterum, & viciſſim ſanguis ab vtero ſcandit ad mammas: ſi per eadem arteriarum vaſa ingiter Natura contrarijs motibus attrahit ſpiritum, ac pellit fuligines; iam tibi V.Cl. tale quid in humano corpore ratio detegere, ſenſuſque patefacere ſæpiſſime poteſt, quale nos diximus, aſſerentes a ſingulis particulis attrahi de venis alimentarium ſanguinem, & intra venas eaſdem pelli cambium propriæ nutricationi ſuperuacaneum a teſtibus quantumuis longis vaſorum ductibus attractum. De nono tuo placito, quo compertum habere te dicis, nunquam vacuas eſſe venas, in quas cambium regurgitare valeat: Galenus, Hippocrates, & vniuerſa Medicorum ſchola tibi refragatur, inanitionem vaſorum ponens; Galenus enim primum ait, i *Corpus in quantitate mutari, dum alitur, aut inanitur; iam inanitionem ipſam duplicem quoque eſſe, alteram excrementorum, alteram naturalis ſubſtantiæ noſtræ aſſidue defluentis, quæ nutritioni ex aduerſo opponitur.* Deinde ſcribit, k *Quamobrem conſequens rurſus eſt, vt vulneratis nihil prorſus inflammationis tempore offeratur; venæ namque quum alimento vacuæ exiſtunt, longe facilius ſanguinem in arterias ingeſtum aſſument; quo ſane ita peracto inflammationes minus contingent: proinde quod multitudo euacuanda ſit, quodque venæ diſtentæ ac repletæ, in ſeipſas iterato quicquā recipere non poſſint, aſſentire ipſi Eraſiſtrato nos fatemur.* Deinceps infit, l *Sunt autem ſingultus motiones quædam ſtomachi conuulſoriæ, quas quidem fieri aiunt propter immoderatam vel inanitionem, vel repletionem: quæ ſi propter inanitionem fiant, fere ſanationem non recipiunt; ſi vero ob repletionem fuerint, ab ijs, quæ infarcta ſecant abſterguntque, ſanantur medicamentis.* Vlterius inquit, m Hippocratem de vaſorum inanitione tractantem explicans, *Adhuc magis peccant, quum nomen κενεαγγείην, id eſt vaſorum inanitionem alij pro inedia accipiunt, alij pro venæ ſectione: Hippocrates ſiquidem omnem*

i 2. de ſan. tu. c. 15.

k de ven. ſec. ad Eraſ. c. 3.

l 4. acut. com. 69.

m 1. aph. com. 2.

euacua-

euacuationem ſolet ab euentu nominare vaſorum inanitionem; quoniam in omnibus euacuationibus contingit vaſa inaniri. & inferius, n *Ipſe enim nos docuit* o *Hippocrates, quod ſit conuulſio ex repletione, & inanitione:* Denique cum p Hippocrate decernit, non licere Medicis *intempeſtiuas, neque fortes vaſorum inanitiones moliri:* Medicoſque peritos eſſe, q *qui, vt oportet, dignoſcunt eas, quæ in morbis contingunt virium imbecillitates, & quæ ob vaſorum inanitionem, quam κενεαγγείαν dicunt, &c.* Communiſque Medicorum cœtus famem naturalem fieri fatetur, quod partibus ſugentibus venæ capillares ad eas tranſmiſſæ vacuentur, hæ vacuæ trahant a proximis, & ita deinceps continuato ſuctu tandem in ore ventriculi moleſtiæ ſenſus producatur. Denique vero venas vacuas oppoſuimus diſtentis, ac omnino repletis, vt pote quæ locum ingredienti ſucco poſſunt exhibere; quem nimium diſtenta penituſq. repleta vaſa Athleticorum apud r Hippocratem & Galenũ dare nequeunt: quæ vaſorum vacuitas eſt non abſoluta, & ſimpliciter, ſed ſecundum partem; ſunt enim venarum, & arteriarum corpora veluti coriacea, quæ facile diſtendi contrahiq. valent; dum partes ab ijs exſugunt ſanguinem, illa contrahuntur ac in ſe ſe concidunt magna ex parte circa reliquum humorem; in quorum ſinum, ſuperabundãtem ſuæ nutritioni cambij portionem partes facile regerunt velut in locum exinanitum, & hac ratione vacuum: ſed & non negauero quandoque magnis in inedijs venulas omni penitus exinaniri ſanguine; quod & in magnis euacuationibus per ſanguinis miſſionem fieri cõtingit; quo tempore concidunt omnino; ceterum de huiuſmodi abſoluta vacuitate non agimus. Circa decimum parum immorabor; nam etſi dedero continuum in humano corpore calidi, & humidi effluxum; non ita tamen continuum pariter eſſe dabo materiæ reſtaurantis affluxum, vt neceſſe ſit partes, dum concoquunt alimentum, & agglutinant coctum, & agglutinatum ſibi aſſimilant, inque propriam ſubſtantiam commutant, vna nouum ad ſe ſe trahere; nam ex s Galeno vidimus attractionem interpolatam eſſe, ceſſareque ad notabile ſpatium temporis, quo ſubordinatas illas tres actiones edunt particulæ, coctionem, agglutinationem, & aſſimilationem; quin & ante duas poſtremas excrementorum expulſionem; ſiquidem hæ

n 5. aph. c. 1.
o 6. aph 39.
p 2. acut. 32
q ibid. c. 47
r 1. aph. 3.
s 3. nat fac. cap. 13.

ſunt facultatis naturalis operationes, quæ ſimul plura nequit
t 8. phy. t. 8. efficere; quoniam Ariſtotele *t* Magiſtro, Natura eſt ad vnum
determinata, neque ſimul poteſt multas motiones obire, Auer-
u 2. cæl. tc. 73. roe *u* Doctore. Ne illud nunc apponam, ſatis oſtendiſſe me,
dum agerem de his, qui diu viuunt ſine alimento, poſſe diutius
non vna de cauſſa prohiberi, ac intermitti materiæ reſtauratri-
cis affluxum, ſiue perennis propriæ ſubſtantiæ partium fiat
effluxus, ſiue ad multum temporis intercipiatur. In vndecimo
tuo dogmate, concedo ſane tibi ſanguinem in iecore alium
quoquopacto tẽperamenti gradum obtinere, alium in corde,
alium in plexibus cerebri, & teſtibus, alium in extremis venis,
quia concoctio ſanguinis in iecore cępta, perficitur in corde,
adhuc magis completur in plexibus cerebri, & vltimam perfe-
ctionem ſortitur in extremis venis: vt enim prima coctio in
ventriculo fit primum, & abſoluitur in inteſtinis, adeoque aliũ
temperamenti gradum habet chylus in ventriculo, & alium in
inteſtinis; ita ſecunda coctio, qua chylus in ſanguinem muta-
tur, etſi magna ex parte Medicis in iecore fiat, & Philoſophis
abſoluatur in corde, tamen etiam in omnibus venis & arterijs
ab hepate, atque a corde vtcumque illis communicata virtute
x 1. de vſ. par. c. 16. de vic. acut. com. 2. ſanguifica, vt ait *x* Galenus, cõpletur in vniuerſo venoſo ge-
nere; vtque ſemper acquirit ſanguis nouum gradum elabora-
tionis, ita etiam nouum gradum temperamenti: ſed longe alia
ratio eſt de cambij parte a membris in venas repulſa; nam in
venis iecore, vel corde nullam omnino coctionem acquirit,
quia pridem in ijs totam ſecundam obtinuit ſub forma ſangui-
nis antequam membris extra venas inſpergeretur; in venis au-
tem nõ niſi ſecunda coctio fit erga ſuccum in earum ſinu con-
tentum, & per ipſarum cauitates delabentem; nec in teſtibus,
vel in vaſis ſeminarijs cambium temperiem partium mutat,
dum in feminis ſubſtantiam tranſmutatur. Nec miſtio cũ alio
ſanguine nondum ad membra delato portioni cambij detrahit
vllum temperamenti gradum, quod a membris conquiſiuerat:
quia nec pituita, nec humiditas ichoroſa deperdit ſuum tem-
peramentum frigidum, & humidum ex miſtione cum bile tem-
peramenti calidi & ſicci; nec frigida & ſicca melancholia de-
perire ſibi ſentit proprium temperamentum ex miſtione cum
calidis & humidis ſuccis; ſed contrario temperamento donati

quatuor

quatuor humores vna miſti intra venas, ſuam ſibi ſinguli conſeruant propriam temperaturam naturalem. In teſtium plexibus cambium, retinens ſibi priſtinam temperiem partium ſingularum, noua coctione ſimul, & earum antea diſperſarũ collectione ac † vnione ſuperinduit ac velut acquirit nouum tẽperamentũ ſeminis totius ac integri. Circa duodecimã tuã obſeruationem, qua fateris agnitos tibi cæcos parentes recte videntem prolem ſuſtuliſſe, quorum oculi partim hypochymate obſeſſi fuerant, partim humores craſſefacti a præcedentibus ophthalmijs; occurrit dicere, craſſum humorem, qui vel in cornea tunica, vel inter corneam & cryſtallinum humorem cõcreſcens cæcitatem inducit, & hypochyma vocatur, totam corneam non male afficere, nec totam vllam aliam vel humoris alicuius, vel membranæ ſubſtantiam, ſed partem aliquam; adeoque relinquere partes alias intactas, a quarum nutricatu ſuperabundans cambium concedere poteſt in ſemen oculos perfecte videntis prolis conſtitutiuum, etſi decidat a parentibus hypochymate cæcis. De ophthalmia, quæ dicitur inflammatio membranæ adnatæ forinſecus oculi bulbum inueſtientis, non video quomodo craſſefacere poſſit illa internos humores oculum conſtituentes; ac eo magis, quo calidior ſanguis ophthalmiam in adnata ſuſcitans attenuandi potius, ac rarefaciendi, quam craſſefaciendi, denſandique vim & occaſionem habet. Sed & præcedens ophthalmia non neceſſario relinquit vitium vllum in oculo; curata ſiquidem & ablata, ſimul vna ſecum aufert ab oculis omnia vitia, quæcumque illam comitabantur, & conſequebantur in oculis; vt pote remota cauſſa remouetur effectus, communi dicto. Vt iam mihi ſoli cæci parentes prolem probe videntem gignant, quibus cæcitas eſt a ſola neruorum opticorum obſtructione, ceteris partibus in oculo bene valentibus. Quod autem decimotertio loco nobis obijcis, Obſtructorum opticorum ſubſtantiam ſaluam non eſſe, quod medullam retineãt craſſiori phlegmate denſatam, & refrigeratam, quæ quum eorum pars habeatur, adeoque nutriatur, cambium ſuum poſſidere debet, ac ſemen emittere: noſtram ſententiam non lædit; etenim repetimus y ante dicta, Cambium futurum ſemen non a ſingulis omnium particularum ſenſibilium egredi neceſſario, ſed ſat eſſe depromi e ſingulis partibus integris

† 1. de gen. t. vlt.

y reſp. ad ep. 24. nu. 9.

propria figura terminatis: modo neruorum opticorum obſtructio cæcitatem aduehens, non pendet ex pituita totam illorũ medullam denſante, refrigeranteque ab exordio nerui gemini vſque ad vltimum eorum terminum, vt nulla medullæ pars in eis illibata remaneat; ſed quibus cæcis proles oritur viſu pollens, nerui patiuntur obſtructionem in aliqua tantum ſui, medullæque ſuæ parte; reliquis interim ab obſtructione liberis, a quibus enutritis cambium redundans effluit, euaſurum ſemen, quo poterunt in prole fieri bene videntes oculi. Circa poſtremam oppoſitionem, qua ſtatuis, animalium ſpirituum influxu per obſtructionem impedito, neceſſarium eſſe reliquas oculi partes, & potiſſimum humores incurrere temperamenti deliquium, aſſerimus ſingulas quaſque partes oculi, ac potiſſimum humores temperamentum ſuum ſibi ab origine ſortiri ex internis ſibi principijs ac elementis proprijs, quibus conſtituuntur; non autem ab animali ſpiritu; qui ad eas defert non temperaturam, ſed vim ac facultatem viſoriam, vt aiunt medici. Profecto quum humores, & partes aliæ multæ ſint in oculo, & varia multum ac diuerſa prorſus, ne contraria dicam, obtineant inter ſe temperamenta, non poterunt ab vniusmodi ſpiritu, temperamentum vnicum ac ſimplex obtinente, tot temperamentorum differentias obtinere; quare per obſtructionem impedito ſpiritus animalis influxu a cerebri ſeu ſubſtantia, ſeu ſinibus, ſeu plexibus per opticos neruos in oculi partes omnes, non ideo patientur hæ proprij temperamenti deliquium, ſed ſolũ deliquium propriæ functionis, quæ viſio dicitur; cui promouendæ neceſſarij ſunt animales ſpiritus velut organa viſoriæ facultati famulantia. Præterea partes oculi, tunicas & humores dico, propriũ tẽperamentũ ſibi habere nõ ab affluente ad ſe ſpiritu animali, ſed a propria & interna ipſarũ natura, docet operatio nutricationis, qua vel obſtructis omnino neruis illę ſingulę nutriũtur; nãq; nutrimẽtũ illę ſibi trahũt de venis, attractũ retinẽt, retẽtũ cõcoquũt, concoctũ agglutinãt, agglutinatũ vertũt in propriã ſubſtãtiã; quas actiones omnes ac ſingulas edũt munere proprij tẽperamẽti; non ergo deliquiũ eius patiũtur ex obſtructione neruorũ opticorũ impediẽte fluxũ animaliũ ſpirituũ ad illas. Hæc ſunt, V. Cl. quę mihi nunc de tuis acutiſſimis quęſitis reſpondere contigit. Tu ea lege; meque tibi deditiſſimum ama. Bonon. XX. Decemb. M DC XXXVIII.

De

De Mithra luco in Chyndonactis Druidarum Principis Epitaphio

Fortunio Liceto V. Cl. † σοφίης ἐριπυδίος ἀςὴρ *Andreas Taurellus I.C.* ἰυπράτΊειν

Epiſtola XXV.

† *Sapientia præclara ſtella.*

REfert Gruterus in theſauro antiquarum inſcriptionũ elogium tumuli Chyndonactis Druidarum Principis, quod Diuioni, hoc eſt in Patriæ meæ ſolo repertum, quum mendis pœne vbique ſcateat; credidi e re litteraria fore, *a* αὐτοψίαν, cui magna fides eſſe ſolet, opponere; & tibi (Vir eruditiſſime) ſigillatim proponere in quibus lapſus ſit ſolertiſſimus alioquin antiquarum rerum indagator. † Αρχέτυπον alias exacte notauimus in ædibus amiciſſimi Guenebaldi popularis noſtri, cuius vinearij coloni, dum prædium vitibus conſitum colerent, vix primo ab Vrbe lapide anno MDIIC duos ſphæricæ formæ lapides, quorum alter alterum operiebat, effodere; ſub vtroq. reconditum erat vas anſatum, e craſſiore vitro, vbi defuncti cineres includebantur. At lapidis inferioris ea craſſities, quæ diametri pedis geometrici; cuius in medio literæ X Y. in circulari ſuperficie talis inſcriptio,

a Ocularem inſpectionem.

† *Primigeniũ exemplar.*

ΜΙΘΡΗϹ ΕΝ ΟΡΓΑΔ. ΧΩΜΑ ΤΟ ϹΩΜΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ
ΚΥΝΔΟΝΑΚΤΟϹ ΙΕΡΕΩ' ΑΡΧΗΓΟΥ
ΔΥϹΕΒ. ΑΠΕΧΟΥ
ΛΥϹΙΟΙ ΚΟΝ. ΟΡΩσι.

ideſt,

In Mithræ luco tumulus hic corpus tegit
Chyndonactis Sacerdotum Principis.
Impie abſtine;
Dij-liberatores Cineribus fauent.

Idem

Idem refert Gruterus, ſed deprauate; nam Θ ſic ab illo pingitur ⊟. O hoc modo □. Ω vt hic ⊔. Ç vero huiuſmodi ⊓. denique Υ ſic ⋎; quum in archetypo ſcriptum ſit vt ſupra notauimus. Dictioni Οργαδ. loco pũcti, male addit I. nec bene nomini *χῶμα*, pręponit *σῶμα*. Υ, quod adeſt in fine *ἱερέω* abijci debet. in vtroque *δυσεβ.* & *κον.* addenda quæ deſiderantur puncta. male *ἀπεχ* pro *ἀπέχου* ſcribit: vbi vero maxime errat, Auguſtoduni repertum putat, quod Dinioni: oculatos teſtes habemus Clariſſimos Salmaſium, Iuretum, Sanctongium, a Vallepella, & alios Senatorij Ordinis populares, quorum vni (vt Comicus ait) maior eſt fides, quam auritis decem. Ad hanc autem veterem inſcriptionem reſtituendā difficiliora perſtringam, vulgaria pręterm̃ittens *b* *ὑπομνήματα*. Si quid tamen omiſſum putes in

b *Monimenta*, illuſtranda re adeo antiqua, quæſo te, vir *c* *πολυμαθής*,

c *Multiſcie.* (quem iure habeo inter primos huius æui non ſolum phyſiologos, ſed philologos) adde ab illa tua *d* *τῆς ἀγχινοίας εὐ-*

d *Solertiæ abundantia.* *πορίᾳ*, quod ſuppleat inopiam meam. Occurrit primũ dictio *Μίθρη*, vox Perſica ad Græcos tranſlata, quam pro Apolline ſumptam nemo e philologis negat: hinc dicta Mithriaca ſacra, quæ fiebāt a ſacerdotibus Apollinem magna veneratione proſequentibus (inquit *e* Crinitus) quem Mithram appellabant.

e *l.5.c.14.* f *l.1.in ſi.* Sed Statius in Thebaide Mithram pro Sole dixit, *f*

Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Vnde altera mihi ſubnata difficultas: non enim idem omnino Apollo cum Sole: Solem aſtrorum Principem, & moderatorē reliquorum luminum dixere Cicero, Macrobius, & alij; Apollinem vero Deum inuentorem Poeſeos, Lyræ, Medicinæ, Diuinationis, Muſices. At remoram dubij tollit idem Macrobius, aſſerens Apollinem etiam pro Sole vſurpari, & confundi, qui in Cęlo Sol, in terris Liber, in inferis Apollo ab antiquis habebatur; ſic Luna in Cęlo Cynthia, in terra Diana, in inferis Hecate. Ceterum ſiue *μίθρη* Solem, quem a Perſis adoratū conſtat ex Herodoto, Xenophonte, Briſſonio; ſiue Apollinem aſſeram, cuius inter Druidarum Numina potior erat cultus, vt

g *6. de bel. gal.* in commentarijs retulit *g* *Cæſar*. Cur Deam fœminino nomine,

mine, non Deum dixit? at reperio apud probatiſſimos auctores, vt Deas mares, ſic Deos fœminas appellari: Macrobius in *b* Saturnalibus de Venere, & Luna exempla proponit; in Cypro, inquit, illius ſignum barbatum erat: & Ariſtophanes eam *i* Ἀφρόδιτον pro k Ἀφροδίτην nuncupat. Lunam marem facit: quod etiam Germani hodie retinent; & a mulieribus olim virili veſte coli. Dixit Tertulianus maſculum Lunum, ſiue Lunam. Blondus in ſacris Luni Deo. Et Μίθραν in fœminino poſuit pro Sole *l* Strabo, *τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν*. Progredior ad nomen Chyndonactis: quæro quis iſte Druida, immo quis *m ἱερέων ἀρχηγός*, eorum princeps? cōſtat enim ex Cæſare, Druidas olim vnum habuiſſe, qui ſumma inter eos auctoritate polleret; quo fatis functo, ſi quis ex reliquis dignitate excelleret, ſuccedebat: at Chyndonax præcelſi viri nomē; etenim teſtatur Budæus vocabula deſinentia in *ἄναξ* non ſolum Heroibus, ſed Dijs olim fuiſſe peculiaria: meminit Cœſar *n* Sigonacis, magnæ auctoritatis, & potentiæ inter Gallos Regis; & *o* Homerus *ἄναξ* pro *θεὸς* dixit,

† *Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν* . . .

ibidem.

p *Ἐκ Διὸς ὅς τε θεοῖσι, καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσει.*

alibi ——— † *ἀνάσσεμεν Αἰτωλοῖσι.*

vnde *ἀνάσσω*: *ἀνάξω*. At Græca eſt, & peregrina terminatio: quid tum? Druidæ Græcis etiam literis vtebantur, vt ibidem Cæſar. Sed quæ gens, qualis, & vnde nomen? Nemo inter Gallos hoc ſibi attributum arrogabat, niſi qui ſe doctorem omnis veritatis, & fidei profiteretur. Druis Britanorum Dialecto quaſi Truvvis; cui ſi tollatur litera duplex vv Latinis incognita, & mutetur tenuis in mediam, confeſtim erit Druis; hoc eſt vir ſapiens. Scribit Albricus Saxonum lingua Dry Magum ſignificare: & eos Plinius Magos appellat. Sed plerique cenſent hoc nomen eis inditum a quercu; *δρῦς* quercum, immo quamuis arborem refert: etenim inter arbores, & in ſyluis ſolitos degere teſtatur Cæſar. Alij altius Druidarum nomen repetentes a Druyde, ſiue Dryde IV Samotheorum (qui poſtea Galli dicti ſunt) rege deriuant; de quorum moribus &
diſci-

h *l. 3. c. 8.*
i *Aphroditū.*
k *Aphrodita*
l *l. 15.*
m *Sacerdotū primarius.*
n *6. de bel. gall.*
o *Iliad. 2.*
† *Mercurius autem Rex dedit.*
p *A Ioue qui Dijs, & hominibus imperat.*
† *Imperamus Aetolis.*

diſciplinis multa Cæſar, Strabo, Athenæus, Marcellinus, Plinius, & alij. Diuidebantur iuxta officia, quæ ſinguli exercebãt, in Bardos, Eubages, Sarronidas, & Vacios. præerant iſti Diuinis rebus. Eubages *q* μαντίαν exercebant. Sarronidæ *r* παιδονομίαν. Bardi (vnde Mons Bardorum, opidum in Heduis antiquum) *s* ποιητικὴν. In finibus Carnutum regio eſt totius Galliæ media, quã deſignat Cæſar octauo lapide a Carnutum metropoli a Druidis vulgo Dreux dicta; vbi ſolemnis Druidarum conſeſſus fieri ſolebat; quorum decretis lites Gallorum ſoluerentur: inter hos ſaltus aſſerit Simeontius adhuc extare quædam veſtigia Druidarum ædium. Quum vero ex illis alij Sacerdotes, & Iudices eſſent, alij Cauſidici, alij Philoſophi, alij Poetæ; non mirum ſi religiones interpretarentur, ſi iudicia exercerent, ſi Naturæ myſteria recluderẽt, & ad bonas diſciplinas adoleſcentes inſtituendos ſuſciperent, Heroicaſque virorum illuſtrium actiones verſibus celebrarent; vt Cæſar, Plinius, Strabo, Athenæus affirmant. Multa complexus eſt de illorum religione Strabo eo in libro, vbi totam Galliæ deſcriptionem *t* aperit. Δρυίδαι δὲ πρὸς τῇ φιλοσοφίᾳ, καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀκοῦσι, δικαιότατοι, καὶ νομίζονται, καὶ διὰ τοῦτο πιστεύονται, τὰς τ' ἰδιωτικὰς κρίσεις, καὶ τὰς κοινὰς idest, *Druidæ præter cauſſarum naturalium ſtudium, moralem diſciplinam exercent: iuſtiſſimi omnium opinione; ideo & priuata & publica iudicia eorum fidei mandantur*. & paullo poſt ἀφθάρτους δὲ λέγουσι καὶ οὗτοι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχάς, καὶ τὸν κόσμον. *Immortales animas, & mundum hi & alij eſſe aſſerunt.* Obſeruat *u* Cæſar, eos temporum ſpatia non dierum, ſed noctium numero definijſſe; annos, & menſes ſic emenſos, vt noctem diei præponerent: forte quod Galli (referente Tullio) ſe genitos a Dite inferorum Deo prædicarent. Multa Plinius etiam de illorum ſapientia retulit: at memorabile, quod narrat de viſco, & illius arbore ſacra, Robore ſcil. vbi gignebatur, & excreſcebat. Plinianam lectionem, vt quæ tibi eſt ad manũ, prætermitto. Ad hanc præterea Druidarum magiam reſpexiſſe *x* Virgiliũ reor, vbi de ramo aureo agit. Nec ignota fuit doctiſs. Lucano ſic canenti in *y* Pharſalicis,

q *Diuinatricem.*
r *Iuuentutis inſtitutionẽ.*
s *Poeticam.*
t *lib. 4.*
u *l. 6. com.*
x *6. an.*
y *l. 1.*

Vos

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptas
Laudibus in longum Vates dimittitis æuum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi,
Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis reperiſtis in armis;
Solis noſſe Deos, & Cæli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum; nemora alta remotis
Incolitis Lucis; vobis auctoribus Vmbræ
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt . . . . . .

Redeo ad Epitaphium Chyndonactis; nec enim erit abſre videre, quando factum ſit. Suſpicor ante Auguſti tempora; nam Druidarum religione ſacrificijs humanis cruentata, vt diræ immanitatis holocauſto ciuibus interdixit Auguſtus; quam poſtea omnino ſuſtulit Tiberius. Licet Vopiſcus aſſerat, Valerianum conſuluiſſe Gallicanas Druidas, An in poſteris imperium permaneret; nam tunc illæ erant, vt z Comicus ait, a ἐπιφυλλίδες, reliquiæ ſuperſtitionis attritæ, profugæ, & in cryptis, ſiluarumque latibulis deliteſcentes; qualia ſunt ſpelæa in rupibus Carthuſianorum Diuionenſium; quæ hodie ab illis fatuis Magis nomen retinuerunt. Supereſt expendamus epitaphij formam. Carmina puto tetracola; primum b ἑξάμετρον, alterum Phalencium, tertium Adonium, vltimum Glyconicũ. Nolim in illis, vt in re vetuſtiſſima & ſepulchrali, exactam legis metricæ regulam expectemus. Sed de iſtis ſatis. Vide vir doctiſſime, an faciant ſatis. quæ niſi ad iudicij tui amuſſim recte facta putaueris, id recte factum, ſi expunxeris, arbitrabor. Vale, tuus ex aſſe viuo. E Muſæo. Kalend. Maij. M DC XXXIX.

z *Ariſtoph. in Ranis.*
a *Reſiculi-racemuli.*
b *Hexametrum.*

Cl. Viro Andreæ Taurello I.C. Fortunius Licetus B.A. Reſponſ.

Mirifice delectatus ſum Vir egregie, nobili Chyndonactis Epitaphio, tuiſque litteris eruditiſſimis; quibus, vt aliquid addere poſſem, nihil mihi reliquum feciſti: dicam tamen aliquid, vt conſtet me tua placita diligenter & accurate legiſſe.

Multum tibi debet litteraria Reſp. qui peruetuſtū Epitaphium Druidarum Principis, deletis maculis, ad nitorem priſtinum redegiſti. Gruterus excuſandus, qui corrupta ſibi tradita exemplaria retulit ex fide. Litteræ XY. ſculptæ in medio lapide, ſuperficiem circularem Epitaphio deſcriptam habente, ſenſum abditum ſatis obtinent; non enim arbitror eas indicare principium nominis Chyndonactis; quod huiuſcemodi nomen integrum & expreſſum habeatur in elogio, deſcriptioneve ad oram lapidis circumducta procul a centro; fruſtra namque nomen idem bis poſitum eſſet, fruſtraque repetitum obſcurius in centro lapidis, quod clare notatum eſſet in peripheria: nec in vllis vnquam veterum inſcriptionibus legis nomē idem defuncti ſic iterum delineatum. Forſitan ijs characteribus indicatur numerus aut ſepulchrorum, aut Principatuum Druidarum, quem cōpleuerit Chyndonactes; aut potius opificis monumenti nomen primis litteris indicatū, aut aliud quid, nihil ad inſcriptionem attinens, quacum nullam habet omnino cohærentiam; ſolebant enim ſepulchralium ſeu lucernarum, ſeu lapidum artifices in operis fundo qua mutilum, qua integrum nomen proprium inſcribere. Magna vero mihi dubitatio eſt circa Mithræ lucum. Tu quidem recte videris cum Philologorum vniuerſo fere cœtu Mithram interpretari nobis Apollinem; ſed rationem primam interpretationis, quod Apollo femineæ naturæ particeps dicatur, vt Venus atque Luna maſculeæ, non aſſequor: etenim Lunæ pariter ac Veneri, Palladique ſexum vtrumq. tributum ab Antiquis & nos olim obſeruauimus tam
a l. 1. c. 5. 18. in *a Elia Lelia* Gripho, quam in *b* Encyclopædia ad Aram
b pag. 152. Lemniam Doſiadæ, citatis Orphei verbis ex hymno Mineruæ,

Αρσην μὲν καὶ θῆλυς πολεμάτοκε μῆτι.

Maſculus quidem & femina genita es, bellorum ſuſceptrix prudentia.

Quod ſcilicet Venus, & Luna, quatenus a Sole, qui dux eſt omnium ſiderum, luminis cōplementum recipiunt, femineam naturam æmulantur; quatenus autem agunt in ſubcæleſtia, maſculi vices obtinēt: At Apollini, Solive, qui fons luminis lumen ac vim aliunde non recipit, ſed omnibus vitalem, feminalemque radium lucis impertitur, femineum ſexum attributum

eſſe

eſſe ab vllo veterum nondum mihi videre licuit; neque legere quemquam, qui Matris nomine Solem appellarit; & abſque priſcorum euidenti autoritate, ſineque certa ratione Lucum Matris de luco Solis, aut Apollinis interpretari non auderem. Quare quum videā apud Gyraldum De Dijs *c* gentium agentem, diſtingui Mitram Deam a Mithra Deo; quod ijdem Perſæ Mithram *d* Deum maſculum appellent, ac venerentur Apollinem; Mitram vero *e* Deam feminā colant Venerem; Mithræ nomen mihi ſexum femineum in Sole perſuadere non poteſt: nam & Athenæus cum alijs antiquis omnibus Apollinem ſemper appellat Mithram Deum, nunquam vero Deam; vt ex aduerſo priſci promiſcue vocant non ſolum Lunam Deam, & Lunum Deum; ſed etiam Venerem Deam, & pollentem Deum Venerem; quod ex Acteriano apud Caluum refert Macrobius in *f* Saturnalibus: Quin & ex Ariſtophane Macrobius idem Venerem Aphroditum vocat, & ex Læuino ſcribit, *Venerem almum adorans, ſiue femina, ſiue mas eſt, ita vti alma Noctiluca eſt*; quia ſcilicet antiqui & in Luna pariter ac Venere ſexum vtrumque diſtinguunt; qui maſculeum ſolum in Apolline ſimiliter ac in Baccho cognoſcunt. Neque vero Statius in calce Thebaidos prioris Apollini femineam naturam adſcribit; dum Perſicum eius cultum memorans, ait, Mithram in antro torquere cornua Lunæ non dignatæ Solem ſequi, quod Luna Soli potius occurrens eclipſim minatur, & ingerit. In hoc autem Solem a Luna differre, quod iſta ſemimaſcula ſit vtroque ſexu pollens, Apollo vero nihil habeat feminei, penituſque maſculus habeatur, ac vt ita dicam, maſculiſſimus, in Sympoſio Plato ſatis declarat, inducens Ariſtophanem comminiſcentem, antiquitus tria fuiſſe hominum genera, quorum vnum originem habuit a Sole, duplici ſexu maſculeo præditum, nihil habens feminini; ſecundum genitum fuit a Luna hermaphroditum, maſculeo ſimul & femineo ſexu donatum; ac tertium a Terra productum, cui nihil maſculei datum ſit, ſed geminatus feminæ ſexus. Neque mihi Mithram in feminino poſuit, ſed penitus in maſculino loquens de Sole Strabo, dum Perſarum morem deſcribit ita, *g* Τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, ideſt, *Colunt autem & Solem, quem Mithram vocant*. Sicuti neque Claudianus Mithram vt feminam ponit, in laudibus *h* Stiliconis afferens,

c ſynt. 13.
d ſy. 7. 17.
e ſy. 13.
f l. 3. c. 8.
g l. 15.
h l. 1.

Thuris odoratæ cumulis & meſſe Sabæa
Pacem conciliant Aræ. Penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque iuuencos
Chaldæo strauere Magi. Rex ipſe micantem
Inclinat dextra pateram, ſecretaque Beli
Et vaga teſtatur voluentem ſidera Mithram.

Vbi pro *nutantem*, receptum a viro eruditiſsimo, putamus legendum *micantem*; quod Regis patera foret aurea, lapilliſq. fulgentibus niteret; nam vix aſſequor quomodo patera Regis nutans dici valeat. Recte quoq; Scaligero, & Seldeno VV.Cll. pro *belli* legitur *Beli*; quem Deum colebant priſci: & Mithrã voluentem ſidera teſtatur, precaturque Phœbum Rex ipſe ſacrificans, vt pote numen oraculis clariſſimum; audiens a Cicerone, *i* Macrobioque Sol Dux, & Princeps, & moderator luminum reliquorum in cœlo. Sed & Macrobius in *k* Saturnalibus fuse de Sole tractans, illi ſemper maſculeam naturam attribuit, vt etiam Libero Patri, quem idem cum Sole ponit, nunquam femineam; ſtatuitque principium eſſe generationis actiuum, vt pater; ideoque Patroum appellari; non autem paſſiuum, vt mater eſt, vt inde Mithra nuncupari valuerit; *Apollinẽ*, ait † Πατρῷον *cognominauerunt, non propria gentis vnius aut ciuitatis religione, ſed vt autorem progignendarum omnium rerum, quod Sol humoribus exſiccatis, ad progenerandum omnibus præbuit cauſſam, vt ait Orphæus,*

i 1.in ſom. c.20.

K l.1.c.17. & ſeqq.

† Patroum.

Πατρὸς ἔχοντα νοόν, καὶ ἐπίφρονα βουλήν,

idest, vt vertit Lilius,

Conſilium prudens, & mentem Patris habentem.

Vnde nos quoque Ianum Patrem vocamus, Solem ſub hac appellatione venerantes. & mox, *Et Solem quidem maxima vi caloris in ſuprema raptum; Lunam vero humidiore, ac veluti femineo ſexu naturali quodam preſſam tepore inferiora tenuiſſe; tanquam ille magis ſubſtantia Patris conſtet; hæc Matris.* & adhuc infra, *Hieropolitani præterea, qui ſunt gentis Aſſyriorum, omnes Solis effectus atque virtutes ad vnius ſimulachri barbati ſpeciem redigunt, eundemque Apollinem appellant; huius facies prolixa in acutum barba figurata eſt.* Plato ſimiliter, non quidem in Eutyphrone vt ait Lilius, aſt in Euthydemo vocat Apolli-

Digitized by Google

Apollinem Patrium, quia Pater fuit Ionis, a quo procreati fuerunt Iones. Quod & Ariſtophanis Interpres ait, Apollinem vt Patrem cultum, quia Creuſam Erechthei filiam vxorem duxit, ex qua natus eſt Ion, a quo Iones appellati. Patroi Apollinis & Apollonius meminit. Suidæ pariter, *Apollo Patrous, Pythius, quem publice Paternum venerantur Athenienſes ab Ione, qui quum Atticam incoluiſſet, Athenienſes ab eo dicti ſunt Iones, & Apollo Paternus appellatus*. Notatque *l* Pierius, Aegyptios Accipitre Solem indicaſſe, quod animal id maſculum fecundiſſimum ſit, & tres teſtes obtineat, duobus tantæ ſalacitati (dixerim ego maſculinitati) non ſufficientibus; quodque tricesimo quoque die ſoleat feminæ conſortium appetere, vti Sol eo circiter temporis interuallo ſuperato, Lunæ cõiungitur. His addendus Ariſtoteles inquiens, *m Marem id animal dicimus, quod in alio gignit, feminam, quod in ſeipſo: quamobrem in Vniuerſo quoque naturam terræ quaſi feminam Matremque ſtatuunt; cælum autem, & Solem, & reliqua generis eiuſdem, nomine Genitoris, Patriſque appellant*. Vt iam mihi ſit euidentiſſimum, Apollinem a priſcis nõ appellari Mithram, quod habeat vllam in ſe rationem femineæ naturæ. Neque ſecunda ratio propoſiti difficultate caret, quod apud Druidas Mithræ lucus exiſtimari debeat lucus Apollinis, quia Solis inter Druidarum Numina potior eſſet cultus, teſtimonio Cæſaris; nam Cæſarem video conſtituere potiorem cultum a Druidis exhiberi Mercurio, quam Apollini; Druidæ, inquit, *n Deum maxime Mercurium colunt; poſt hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam*. Ceterum de Mithræ luco in ſepulchrali Chyndonactis inſcriptione ſignato, libere meũ ſenſum vt aperiam, Cl. Vir, triplicem interpretationẽ tibi proponam; tuum erit de ſingulis ferre iudiciũ. Primum quidem videtur explicari poſſe de luco Solis, vel Apollinis, quia vox Perſica ΜΙΘΡΗΣ, quæ primum ad Græcos deriuauit, & a Græcis ad Gallorum Druidas, *Dominus* ſignificat apud priores illas gentes; quod & obſeruatu Scaligeri *o* Iunioris V.E. aperte cõſtat; ait enim, ſubſcribente Cl. Seldeno, dum agit de Dijs *p* Syris, *Mithri, Mithir, aut Mether, Perſice Dynaſtam, aut Dominum ſignificat*. Quod ſi de Grecia requiras etymon Mithræ, conueniens Apollini, non ab re forte fuerit dicere, Solem dici Mithram

l 13. hiero.

m 1. de gen. an. c. 2.

n 6. de bel. gal.

o 6. de em. temp.

p ſynt. 1. c. 6.

Digitized by Google

thram *ἀπὸ τῦ μία*, quod *Vna* ſignificat, *καὶ θρήσκεια*, quod eſt *Religio*, ab eo quod *vna-religio* foret, qua Solem inter numina maxime colerent Perſæ; quaſique foret apud eos *Vna-diuinitas* Apollo, ad quem omnia numina referebant fere

q 1. *Satur. c. 17. & ſeqq.* veteres, vt apparet ex *q* Macrobio, & ex antiquiſſimo Zoroaſtre, de quo *r* Porphyrius apud Lilium *ſ* inſit, *Primum*

r *com. in 13. Odyſſ.* *Zoroaſtres apud Perſas, vt narrat qui Mithræ hiſtoriam multis*

ſ *ſynt. 7. de Dijs gen.* *voluminibus ſcripſiſſe traditur Eubulus, naturalem ſpeluncam & fontibus ſcatentem in proximis Perſidis montibus conſecrauit in honorem rerum omnium Autoris, Parentiſque Mithræ; vt per ſpeluncam quidem mundum ſignificaret* (quam rem videtur etiã

t *in 7. de Rep.* feciſſe *t* Plato) *fabricatum à Mithra; per alia vero quædam intus congruis interuallis diſpoſita, elementa plagas mundi delinearet. Mithræ vero congruum aſſignare locum ad æquinoctia; quapropter gladium fert Arietis, qui Martium animal eſt: inuehiturque Tauro Venereo, quod ſcilicet, vt Taurus, ſic & Mithras generationis Dominus ſit.* Hæc ibi Porphyrius Philoſophus: a quo ſicuti Scaliger filius accipere potuit, Mithræ vocem ſignificare Dynaſtam & Dominum; ita Pater in *u* Subtilitatibus

u *exer. 153. 4.* recipere videtur à Macrobio, *Adad legi olim Solem dictum Perſarum lingua*: nam de Adad rege Deorũ agit Macrobius,

x 1. *ſat. c. 23* inquiens, *x Et ne ſermo per ſingulorum nomina Deorum vagetur, accipe quod Aſſyrij de Solis potentia opinentur: Deo enim, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt; eius nominis interpretatio ſignificat, Vnus: hunc ergo vt potentiſſimum adorant Deum: ſed ſubiungunt eidem Deam nomine Adargatin: omnemque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Itaque Sol apud Perſas, & Græcos dicitur Μίθρης, quaſi *Vna-diuinitas* colenda maxime: vel etiam dicitur Apollo, Μίθρης, Mithra, *ἀπὸ τῦ μία*, quod *Vna* vertitur, *καὶ θρίαι*, quod indicat *Calculos*, quibus in vrnam miſſis diuinare ſortilegi ſolebant; vnde θριάζαι pro *vaticinari*; nam antiquitus Apollo vnus omnium Deorum maxime vaticinabatur ex Tripode fundens oracula: ſic apud Suidam, *θρίαι ſunt vatum calculi*; *πολλοὶ θριοβόλοι, παῦροι δέ τε μάντιες ἄνδρες, multi ſunt, qui calculos*

Digitized by Google

culos iaciant, ſed pauci vates. Vt Apollo dicatur inter Deos apte Μίθρης, quaſi *Vnus-calculator*, ſiue *Vnus-Vates*: cui cõſentire videtur vox Ἀπόλλων, quæ ſignat idem quod *ſine-multitudine*; quod Latini *Solem* appellant, quaſi *Solum*. Druidæ vero ſuſcipientes a Græcis Mithræ nomen ad ſignandum Apollinem, non inepte illi Deo ſepulchreta ſacrare potuerunt; Medicinæ Deum illum ac morbos depellentem venerabantur, vt teſtatur Cæſar; maxima namque cognatio eſt ægrotantibus cũ moribundis, & his cum ſepulchro. Sed tamen huic interpretationi non parum obſtat Druidarũ ſapientia, qui norunt optime *In luco Apollinis* Græce dici debere, ἐν ὀργάδι Μίθρου, non autem Μίθρης, quod nomen eſt feminæ, non maſculo conueniens Deo. Quare ſecundam interpretationem fortaſſe meliorem afferam, ſcilicet Mithram Deam olim appellatam fuiſſe Venerem; de qua præclarum habemus teſtimonium Plutarchi, dum in Vita Craſſi tractans de Syria Dea, quam Deorum Matrẽ appellitant, inſit, *Omen primum ei offertur ab hac Dea, quam Venerem alij, alij Iunonem, nonnulli eam, quæ incunabula & ſemina omnibus ex humido præbuit, cauſſam & naturam arbitrantur eſſe, & quæ principium omnium bonorum docuit mortales*. Ptolemæus item agens de Syris, & qui Trigono Aquilonari, Geminis, Libræ, & Aquario ſubiacent, inquit, y *Qui has incolunt regiones, plerumque Venerem vt Matrem Deorum venerantur, & varijs patrijſque nominibus indigetant*. Veneri vero Mitræ, Mithreque nomen ab antiquis datum obſeruat z Gyraldus; & ante illũ Herodotus in Clio a de Perſis agẽs, ait, *Vraniæ quoque ſacrificant, ſic nimirum ab Aſſyrijs Arabibuſque edocti: vocant autem Aſſyrij Venerem Mylittam, Arabes eandem Alittam appellant, Perſæ vero Mitram*. Quod & accepit eruditiſs. ille Seldenus, dum ſcribens de Dijs b Syris, aſſerit, *Mylitta vero nimium congruit forſan Perſarum Mitra*: Mader *enim, ſiue* Mather (*vnde facile Mitra deflectitur*) *Perſice Genitricem, ſeu Matrem interpretari ex* R. *Saadiæ Pentateucho notauit doctiſs. Raphelengius. Si vis autẽ a Mithri, quod Dominum denotet, non reclamo. Conſpirare autem hac omnia videntur, vt decantatam Deum Matrem in hac reperias*. Addi poſſe videtur & Celius aſſerens, † Mithram Aegyptij ſtatuunt ſub

y 2. Quadr.
z ſynt. 13.
a l. 1. c. 131.
b ſyn. 2. c. 2.
† l. 24. c. 17.

Digitized by Google

ſub æquinoctiali: propterea gladium Arietis, Martij animalis geſtare. Inuehitur autem Tauro Venus, ceu tanquam Taurus, opifex generationis ac dominus cenſeatur Mithras. Ceterum ad Venerem attinere ſepulchralia, quam propterea Libitinam, & Epitymbiam veteres appellabant, conſtat ex Plutarcho, qui

c qu. 23. Romanas Quæſtiones afferens, quærit, c *Cur quæ ad funera pertinent, in templo Libitinæ vendunt, quam eamdem eſſe cum Venere cenſent? An hoc quoque vnum eſt de Numæ regis ſapienter inſtitutis, quo diſcerent ab his rebus non abhorrere, neque pro piaculis eas ducere? aut potius eo monebantur, caducum eſſe, quod eſſet natum, vna eademque Dea & ortibus & interitibus præſidēte? Nam Delphis quoq; Veneris Sepulchralis (Epitymbiam ipſi dicunt) eſt imaguncula, ad quam euocant eorū manes, quibus libant.* & Gyraldo,

d ſynt. 13. de Dijs. d *Libitina Venus a Latinis exiſtimata fuit, quæ ſepulchris præeſſet: vnde ēt* e *ἐπιτύμβια*

e Sepulchralis. *Delphis cognominata: neſcio vero an hæc eadem ſit, quam M. Varro Lubentinam Venerem vocaſſe videtur, a Libendo denominatam, Meminit & Cicero de Nat. Deor. Veneri Libentinæ lucus Romæ fuit.* Hæc eadem fuſius attulit in ſuis antiquis le-

f l. 29. c. 18. ctionibus f Rhodiginus. His adiungere lubet, placitum antiquorum fuiſſe, mortuos omnes eſſe in poteſtate Numinum infernorum, inter quæ Nox colebatur, quam Orpheus Venerem eſſe monet; vt propterea lucus Veneris apte dicatus fuerit ſepulchris: Quam ſententiam colligas non ſolum ex † Vir-

† 6. æneid. gilio, canente,

Dij, quibus imperium eſt animarum, vmbræque ſilentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca Nocte ſilentia late
Sit mihi fas audita loqui: ſit Numine veſtro
Pandere res alta terra & caligine merſas.

Verum etiam ex Orpheo, ſuffimentum Noctis ita celebrante,

Νῦκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.
Νὺξ γένεσις πάντων, ἣν καὶ Κύπριν καλέσομεν.
Noctem Deorū generatricē cantibus celebrabo atq; virorū.
Nox generatio omnium, quam & Venerem vocabimus.

Vt ſepulchra belle condita ſint in luco Veneris, quaſi in luco Noctis. Atque ita ſatis probabile ſit, apud Druidas in Gallia lucum fuiſſe Veneris, dicatum ſepulchris, & mortualibus, qui dicere-

diceretur Mithræ Lucus, Μίθρης ὀργάς. Tertia vero interpretatio eſt, Mithræ lucum eſſe nemus peculiare, deſtinatum ſepulchris principum Sacerdotum Druidarum; quum alij defuncti tumularentur in alio loco; nouimus enim e ſacra pagina Principes Dei electos habuiſſe ius monumenti, ſepulchrique nemus ſibi Patriarchas comparaſſe diſtinctum a loco, in quo communiter aliorum defuncti ſepelirentur; noluiſſeque tumulari cum alijs; qua de re celebrem hiſtoriam legimus g Abrahami, qui magna cum ſolennitate peregrinus emit ſibi nemus cum ſpelunca duplici dudum a filijs Heth, abnuens in aliorum monumentis contumulari; in quo ſepultus eſt ipſe, h filius eius i Iſaac, & k Iacob, illuc delatus ex Aegypto. Sic apud Druidas in Gallia Lucus fuit peculiaris, in quo ſoli Druidæ, vel Druidarum principes fato functi ſepelirentur, non itẽ alij vlli; qui propterea nuncuparetur Lucus Mithræ, quia Mithræ cognomen erat proprium ſacerdotum primariorum, ſiue Principis Sacerdotum; quod apertiſſime conſtat ex Apuleio, talia ſcribente, l *Nec me fefellit, nec longi temporis prolatione cruciauit potentis Deæ benignitas ſalutaris; ſed noctis obſcuræ non obſcuris imperijs euidenter monuit, aduenisſe diem mihi ſemper optabilem, quo me maximi voti compotiret: quantoque ſumptu deberem procurare ſupplicamentis: ipſumq. Mithram illum ſuum ſacerdotem præcipuum, diuino quodam ſtellarum conſortio, vt aiebat, mihi coniunctum, ſacrorum miniſtrum decernit.* Igitur lucus Mithræ fuit apud Gallos, in quo ſoli Druidarum principes tumularentur; qui ſoli Mithræ cognomine dignabantur, ad aliorum omnium differẽtiam: in quo luco propterea ſepulchrum fuerit Chyndonactis ſacerdotum Druidarum principis. Quod autem Druidæ temporum ſpatia, non dierum, ſed noctium numero definirent; & ſpeciatim annos, & menſes ſic emenſi fuerint, vt noctem diei præponerent, id eos cenſeo deſumpſiſſe a Chaldæis, Hebræisve; nam in ſacra pagina legimus veſpertinum tempus matutino præponi, m *Factumq. eſt veſpere & mane dies vnus; factumque eſt veſpere & mane dies ſecundus:* & ita deinceps. Quod autem Galli ſe genitos a Dite prædicarent, hoc innuere voluerunt ſe vetuſtiſſimos eſſe, ac primos omnium hominum; quia non ſolum, vt ait Ariſtoteles, n *Theologi primi ex nocte cuncta generant;* quod Or-

g Geneſ. cap. 23.
h c. 25.
i c. 49.
k c. 50.
l 11. metam.
m Gen. 1.
n 12. meta. c. 30.

Digitized by Google

pheus aperte cecinit in hymno proprio, vt nuper vidimus.
o Gen. 1. Verum etiam ex ſacra o pagina; vnde ſumpſerunt omnia ex nihilo, ac ex tenebris fere condita, proindeque quoquopacto ex Nocte, quę tenebrarum nomen eſt; alludentes ad illud Moſaicum, *In principio creauit Deus cælum & terram: terra autẽ erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & diuiſit lucem a tenebris, appellauitque lucem diem, & tenebras noctem*. Nec omittendum reor, Magas illas Druidarum relliquias, fortaſſe non ita bene Fatuas appellari, quod Magi nomen indicat Sapientem; ſed Fatas, quaſi Fatorum catas, eas nuncupauero facilius; nam & huiuſmodi mulieres Fatidicæ, dicuntur, & ab Italis vulgo *Fate*, ſiue *Fade*, ſpeciatimq. a meis Genuenſibus *Foè*, non tam a Fando, quã a Fatis appellãtur, quorum prænotionem, prædictionemque cenſentur habere. Niſi forte Fatuæ dicendæ ſint, quaſi Fanaticæ, quod œſtro diuinandi perculſæ, plenæ alieno ſpiritu, mente motæ, furentes, ac inſanæ valeant appellari; vt olim dicebantur Sacerdotes Apollinis vaticinatrices ad Cortinas Tripodum, atque Sibyllę vel
p l. 1. a Cicerone, dum de Diuinatione p tractabat. Denique deſcripta ſuperius in tumulo Chyndonactis carmina ne ſint, an ſolutæ orationis ſententiæ, incertum mihi prorſus eſt: leges tamen metricas nobis notas & obſeruatas, in antiquioribus verſiculis, & præcipue in notis inſcriptionum ſepulchralium religioſe nimium requirendas non eſſe, tibi conſentio, vir erudit iſſime. Habui nunc hæc ad calamum, quæ de propoſitis exararem: vtinam in hiſce difficillimis myſterijs tibi fecerim ſatis. Vale, & me ama. Dabam e domeſtico Muſeo VII. Non. Maij. MDCXXXIX.

De Oui & Mundi Analogia

Cl. Viri Ioannis Veſlingij Eq. Anatomici primarij & Botanici Patauini ad Fortunium Licetum Philoſ. &c.

Epiſtola XXVI.

PRæclariſſime vir, & deſideratiſſime, Diuidiæ mihi fuit, quod abeuntem complecti non potui, quem præſentem inter Athenæi noſtri lumina, immo inter Europæ verius ornamenta

menta *a τελέως ἀριστεύοντα*, ſerio veneratus ſum: quamquam id forſan commode, quod leuior præcordijs dolor inſederit, dum manum diſcedenti non inieci; remiſſius enim, & veluti pede magis lento animum accedunt quæ fando accipimus, quam quæ viſu. Nos hic cœleſti fauore ſalui, a publicis prælectionibus vacamus; quicquid obſtrepat, tinniatque ære campano Nolator Bouinus. Sub hoc quietis auſpicium redijt ad manus forte Simmiæ noſtri poeticum Ouum, cuius memini quandoque Te dictitare ſolitum ortu, partibuſq. ſuis apte ſatis indicare mundi primæuam originem, atque ſtructuram; ſi tua ſenſa de propoſito mihi nunc aperire volueris, qui non ita pridem toti Reipublicæ literariæ Mundi & Hominis Analogiam luculenter explicaſti, mirum in modum hoc vel ſolo fauore me tibi deuincies in æuum: Tu viciſſim Cl. Licete, quem velim tibi perſuadeas, Te iuxta cum pauciſſimis in pectoris mei poſſeſſionem admiſſum, nec diuelli inde poſſe; a *Perfecte optimum.*

Quamuis Chimera ſpiritus ignea,

Quamuis reſurgat Centimanus Gigas,

impera quæſo, ſiquid vis; non enim ſpem depoſui in hoc officiorum ſtadio, vel rude abſte donatum me iri, vel honeſtam ſaltem, vt legitimus Athleta miſſionem impetraturum. Vale feliciter, ſerueſque abſentis amorem. Patauij XV. Maij. Ann. M DC XXXVII. Cl. Exc. T. deditiſſimus Ioannes Veſlingius.

Cl. V. Ioanni Veſlingio Eq. & Anatomico Primario, atque Botanico Patauino Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

Diſcedens, vna mecum amicorum omnium, ac Tui præſertim Cl. Vir, deſiderium & amorem in ſinu geſtaui ſemper, & enutriui candidæ voluntatis lactea propenſione. Cui nunc & obſequium aggredior ad tuum nutum impertire, de Mundi & Oui analogia tractans ad noſtri Simmiæ ſenſum, quem latius explicamus in Encyclopædia poematio illi dicata; quod ſane poematium primis verſiculis de propoſito mihi peragere videtur, illis notis,

a [illegible]

ΚΩΤΙΛΑΣ

Ματέρος τί τόδ'

Ὤον νἱον, πρόφρον δὲ

θυμῷ δέξο δὴ ἀγνὰ

&c. hoc eſt,

CANORÆ

Matris quoddam hoc

Ouum nouum lubens

animo ſuſcipe igitur o caſta

&c.

Liceat mihi nunc imitari Ioannem Diaconum illum, qui totam Theogoniam Heſiodi myſtico ſenſu retulit ad noſtram Theologiam, nobili conatu demonſtrans, quomodo Poetæ veteres in ſuas Inuentiones tranſtulerint ſacras Hebræorum hiſtorias. His mira breuitate ſub ænigmate Simmias mundi primam originem tangit, atque naturam ſub Oui tegmine, quod ait primum gigni a matre canora; ſumit eni m ouum alitis, non piſcis muti, non lacertæ, vel alterius animalis vocem non habentis; at potiſſimum ouum gallinæ, quæ parturiens pariter, & a partu

al. 1 qu. 3. canere ſemper conſueuit. Et reuera Plutarchus id innuit in a Sympoſiacis dum inquirens, Gallina prius ne fuerit, an ouum, ait, *Se parua quæſtione de ouo, & gallina, vtrum horum prius extiterit, tanquam inſtrumento ingentem & grauem de origine mundi quæſtionem ſubruere.* Quam ſententiam late propoſuit

b l. 7. c. 16. etiam Macrobius in b Saturnalibus compilator neſcio, an explicator Plutarchi, ſcribens, *In ſacris Liberi Patris hac veneratione Ouum colitur, vt ex forma tereti ac pene ſphærali, atque vndique verſum clauſa, & includente intra ſe vitam, mundi ſimulacrum vocetur: mundum autem conſenſu omnium conſtat vniuerſitatis eſſe principium. Prodeat, qui priorem vult eße galli-*

c loc. cit. *nam.* Quum Plutarchus aſſeruerit, c *Ideo haud abs re Ouum in Orgijs Bacchicis conſecratum eſt, vt exemplum omnia gignentis, & in ſe continentis.* At vero ſublimius multo Simmias, quem non latuere carmina Sibyllina, neque Biblia Moſaica, ſub Oui gripho Mundi naturam inſinuauit; etenim & Pererius

d in Gen. c. 1 atteſtatur, d *Multa eorum, quæ traduntur a Moſe in Geneſi,*

nu. 66. *ſimillima reperiri in veterum Poetarum, & Philoſophorum monumen-*

numen-

numentis: & quia eos omnes Moſes multis ſeculis anteceſſit, credibile ſit illa ex Moſaicis hauſta eſſe fontibus: & ſpeciatim Ouum hoc nouum *Canoræ* Matris. Mirifice D. Hieronymus *e* explicans mũdi productionem a Deo, dicit, notante quoque *f* Pererio, *Et ſpiritus Domini ferebatur, in Hebr. habet Merahephet, ideſt, incubabat, vel fouebat, more volucris Oua calore animantis.* Quam ſententiam item ex D. Hieron. refert Em. *g* Bellarminus. Conſulto Simmias Mundi Creationem inſinuans, ouum proponit vt partum *Canoræ* matris, quia Deus mundum condidit in verbo ſuo, ac ſimplici dicto; quod & a Moſe didicerat, & a Sibylla Simmias; nam *h* Moſi, Deus ipſe *dixit*, iuſſitque, vt res fierent; *&* illico de nihilo *facta ſunt* omnia: Carmina Sibyllæ ſunt ipſiſſima, ab *i* Opſopæo propoſita, & Latine reddita,

e *in Quæſt. Hebraic.*
f *loc. cit. nu. 60.*
g *2. de verb. Dei, c. 9.*
h *Gen. 1.*
i *lib. 1.*

> Ὕψιϛον βασιλῆα, ὃς ἔκτισε κόσμον ἅπαντα,
> Εἶπας, γεινάϑω, καὶ γείνατο . . . . ideſt,
> *Supremum regem, qui mundum condidit omnem,*
> *Sic fatus, fiat; factumque eſt . . . . .*

& infra k ſimiliter, k *lib. 1.*

> Οὐρανίου μεγάλοιο θεοῦ, κόσμον κρατέοντος,
> Ὃς λόγῳ ἔκτισε πάντα, καὶ οὐρανὸν, καὶ δὲ θάλασσαν.

hoc eſt

> *Cæleſtis magnique Dei, mundumque regentis,*
> *Omnia qui dicto fecit, cælumque, ſalumque.*

Quin & a Pſalmiſta noſſe potuit, Deum maxime laudari ſub titulo *Canori*, ſiue loquentis; legitur enim, l *Afferte Domino gloriam & honorem. Vox Domini ſuper aquas: Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia: Vox Domini confringentis cedros: Vox Domini intercidens flammam ignis: Vox Domini concutiens deſertum: Vox Domini præparantis ceruos.* Indicat enim vates, omnia quæcumque Deus efficit, qui omnia fecit, & ſemper facit, efficere ſimplici dicto, iuſſuq. ſuo: proindeque mirifice laudari ſub titulo *Vocalis*, atque *Canora Matris*. Apte quidem *Matris* attributum Deo conuenit, ac potiſſimum in creatione mundi; namque (vt omittam quæ de propoſito legere potuit apud *m* Iſaiam, & *n* Pſalmiſtam, quibus Deus more materno & in vtero portare, & ex vtero gene-

l *Pſal. 28.*
m *c. 4.*
n *Pſal. 109.*

generare per tropum dicitur) in productione Mundi temporaria Deus quoad modum producendi, fungitur officio matris; quoniam in actu generationis mas a femina, differat in eo, quod mas in alio generat, femina in ſeipſa, doctore Philoſopho, cui, *o* *Mas & femina principium conferunt generationis; marem namque id animal dicimus, quod in alio gignit; feminam, quod in ſeipſo: Quamobrem in Vniuerſo quoque naturam terra quaſi feminam matremque ſtatuunt; Cælum autem, & Solem, & reliqua generis eiuſdem nomine genitoris patriſque appellant. Mas autem & femina inter ſe differunt ratione, quod facultas vtriuſque diuerſa eſt: ſenſu autem partibus quibuſdam diſcrepant: rationis diſcrimen ita exultat, vt mas ſit, quod in altero generare poteſt, vt dictum eſt; femina, quod in ſeipſo, & ex quo fit quod generatur, contentum in eo, quod generat.* Iam ex his aperte conſtat in actu generationis maſculum vnam tantum operationem habere; quæ eſt, producere actiue filium in alio, nimirum in femina; feminam autem functione triplici gaudere; nam primum exhibet id, ex quo tanquam ex materiali principio filius generatur, quod eſt ſanguis menſtruus, e ſubſtantia materna defluxus: deinde ſemine ſuo mater ſanguinis materiei commiſto, copulatove, fœtum illum viuificat, & animat anima vegetali; quam a matre ipſum habere probat Ariſtoteles *p* alibi ex ouis ſubuentaneis, quibus galli mariſq. ſemen ſolam exhibet animam ſenſitiuam: tertia vero functio matris eſt, continere intra ſe fœtum vſque ad perfectionem. Profecto Deus vt ratione virtutis actiuæ mundum producens obtinet rationem patris, ac gerit officium maris; ita ratione modi generandi, & continendi in ſe rem a ſe genitam, habet officium & nomen *Matris*; nam Ariſtoteli res ipſæ ſunt in *q* primo mouente; munduſque totus eſt in primo principio *r* immobili; proindeque in ipſo Deo; de quo & alibi, *s* *Patet autem ſic eſſe, quemadmodum in Vniuerſo eſt Deus, & viciſſim cuncta in illo: mouentur enim omnia ab inexiſtente in nobis numine.* & ex antiquo Poeta D. Paullus concionem apud Athenienſes habens de Deo, dixit, *t* *In ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus; ſicut & quidam veſtrorum poetarũ dixerunt.* Cui conſentiens D. Auguſtinus, *u* ait, *In his, quæ creauit oſtenditur Deus indeſinenter operari: neque enim tanquã eius ſubſtan-*

o 1. de gen. an. c. 2.
p 2. de gen. an. c. 4.
q 4. phy. t. 23
r 8 phy. t. 52.
s 7 eudem. cap. 18.
t Act. c. 17.
u 4. de trin. c. 12. & 3.

*ſubſtantia ſic in illo ſumus, ſicut dicitur vitam habere in ſemet-
ipſo: ſed quum aliud ſimus quam ipſe, non aliud in ipſo ſumus,
niſi quia id operatur quod viuimus, mouemur, & ſumus.* & mox.
*Non cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt vniuerſa, ſcilicet
ſpiritualis & corporalis creatura in ſeipſa manet, ſed in illo, de
quo dicitur, in illo viuimus, mouemur, & ſumus; quia ſi pars
poteſt eſſe in toto, cuius pars eſt; ipſum totum non eſt niſi in illo,
a quo conditum eſt.* Ita fœtus pars matris non eſt, in qua ta-
men viuit, mouetur, & eſt; quia mater id operatur in fœtu,
quem vtero gerit, vt viuat, moueatur, & ſit. Deus igitur Mun-
dum produxit ab initio, veluti *Mater* canora ouum. Immo
vero quum modus, quo mater in ſe filium generat ex ſua ſub-
ſtantia, ſit quia continet in ſe fœtum, quem format; & ple-
rumque producit in eo imagines rerum illarum, quas ipſa ge-
rit in animo, & forti apprehendit imaginatione, corpus puelli
formans ad ſimilitudinem eius imaginis, quam mente compre-
hendit; vt late probauimus ex rei natura tum in Opere *de* x — x *c. 16.*
perfecta conſtitutione hominis in vtero; tum in libris *de* y — y *l. 2 c. 9. 19. 42. 47. 56. 66.*
Monſtrorum natura cauſſis & differentijs: profecto Deus for-
mans mundum in ſeipſo, qui nihil extra ſe habet immenſus, ad
imaginem eius ideę Vniuerſi, quam ab æterno geſtauit in vtero
fecundiſſimæ ſuæ mentis, tandem in principio temporum poſt
longam æternitate geſtationem mundum parituræ; quod vel
Boethius innuit, hæc aſſerens de Deo,

z . . . . *Tu cuncta ſuperno* — z *3. de con. metr. 9.*
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans,
Perfectaſque iubens perfectum abſoluere partes.

Deus inquam hoc modo mundum producens, matris officia
præſtare videtur; ſic enim mater ante partum vtero gerit in-
fantem ad plures menſes, illius partes efformat, ſimilibuſque
notis afficit rerum, quas ipſa parturiens mente gerit. Vt hunc
modum Simmia reſpiciens in ænigmatico Ouo Mundi creatio-
nem deſignans, apte Mundum a Deo velut Ouum a canora
matre procreari dixerit. Cui Lyranus alludere videtur in pro-
poſito ſcribens, a *Quod factum eſt, in ipſo Vita erat; nam* — a *in Ioan. 1.*
*omnis creatura in Verbo præexiſtit intelligibiliter; intelligere
vero eſt viuere, & intellectio vita, vt patet ex prædictis, & per*
conſe-

*conſequens ſunt in eo per modum vitæ intellectiuæ; quia intelli-
gere Verbi eſt ſuum eſſe, & ſuum viuere, & hoc eſt quod dicitur,
Quod factum eſt in ipſo, vita erat; quia quod factum eſt in re
extra, prius erat in Verbo per ideam, quæ idem eſt quod eſſentia
Diuina, & vita: & ſic patet modus, per quem creaturæ procedũt
a Verbo*. Ad quem modum vtcumque filius a matre procedit;
quia qui partu prodit in lucem, prius in matre vtero gerente
fœtus ex matris ſubſtantia conſtitutus viuebat vniuerſo geſta-
tionis tempore. Quam quidem rationem matris in Deo erga
creaturas, mundumve creatum expreſſam habemus apud ma-
gnum illum Leonem Hebræum de Amore tractantẽ his notis,
b dial. 3. p. 168. b Ph. *Mundus, non ſecus ac cetera omnia, quæ facta & procrea-
ta fuerũt, duobus parentibus, patre ſcilicet ac matre, ſatus fuiſſe
cenſetur: a quibus, niſi mutuo ipſorum amore intercedente, qui
ambos pro fœtu formando in vnum compuliſſet, nunquam profe-
cto gigni potuiſſet*. So. *Quibus obſecro, hi duo parentes, vel ge-
nitores nominibus appellantur?* Ph. *Primi quidem parentes
vnius tantummodo Dei appellatione, ſicut iam diximus, commu-
niter ſignificantur; qui quidem Deus ſummum pulchrum, ſum-
mumque bonum a Platone vocatur; & verus Pater, primumque
amatum exiſtit: primum quoque amans cum diuinitate ac ſa-
pientia vnum idemque prorſus dicitur eſſe; & Maternis quoque
partibus fungens; ne vllum penitus primi amantis primiq. amati
diuiſioni locum relinquat, internum perpetuumque, nec a ſe ſe
vlla ratione diſtinctum producit amorem. Quapropter primam
Matrem, primumque parentem in ipſa diuinitate vnum idemque
omnino exiſtere eſt ſentiendum*. Quin etiam eamdem ratio-
nem matris in Deo erga mundum, ac homines, legimus apud
c cap 46. Iſaiam ſub Dei perſona dicentem, c *Audite me Domus Iſrael,
qui portamini a meo vtero, qui geſtamini a mea vulua; vſque
ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo*. Nec mi-
d l.4.c.1. nus Matris rationem in Deo legas apud Eſdram, vbi, d *Hæc
dicit Dominus Omnipotẽs, Nonne ego vos rogaui, vt pater filios,
& vt mater filias, & vt nutrix paruulos ſuos; vt eſſetis mihi in
populum, & ego vobis in Deum, & vos mihi in filios, & ego
vobis in patrem? ita vos collegi, vt gallina pullos ſuos ſub alas
ſuas*. Non abre Simmias ergo Deum in mundi productione

dicit

dicit ænigmatice matrem canoram parientē τὶ τόδ' ὠὸν νεὸν, *Quoddam hoc Ouum nouum*, Porro mundum Vniuerſum Ouo deſignari conſtat vel ex Ariſtotele; nam in Ouo luteum eſſe menſtruum feminæ, proportione reſpondens elemento terræ; circumfuſum autem albumen luteo, femineum eſſe ſemen, ſui candore perſpicuitateque referens globum ex aqua, aere, & igne ſupero coagmentatum, qui quoquopacto vim *f* actuoſam habet erga tellurem; vt femineū ſemen agit in menſtruum ſanguinem, cui principio mere paſſiuo, ac de ſe penitus inanimato, vegetalem animam primum *g* impertitur: & in albumine ſemen maſculeum ſuperiniectum, æmulari *h* cæleſtem ſubſtantiam, quæ virtutē actiuam *i* habet in omnia elementa; quia maſculi ſemen & gubernat femineum in actione ſua promouēda felicius; & menſtruo ſanguini, prius nacto vegetalem animam a ſpermate femineo, conciliat animam *k* ſenſualem poſtea, qua fit animal: Quamobrem apte in Ouo luteum eſt veluti terra in mundo magno, ac veluti menſtruum in fœtu, qui *l* paruus mundus eſt; ſiue in vtero viuiparæ matris: albuminis autem pars, a feminæ corpore proueniens, eſt veluti elementum perſpicuum ac leuius, ex aqua & aere & igne ſuperno coaleſcens, vndiquaque terram circumambiens; ac vt in vtero, & in fœtu ſemen femineum: pars autem albuminis, quæ veluti grando, *m* ſpiritu multo pollens, fuit a maſculo ſuperinfuſa, donata nomine ſpermatis, ac genituræ, ſeminiſque ſimpliciter, eſt vt in Vniuerſo mundo ſenſibili cælum, ſupereminens elementis, eaque fouens, atque gubernans; apte ſatis æmulans in vtero, & in embrij corpore ſemen maſculeum. Et quidem Ariſtotelis verba, doctrinam allatam referētia pariter *n* alibi, ſunt ipſiſſima, *Sunt autem auium oua bicolora, piſcium vnicolora omnium: coloris cauſſa videris ex facultate partis candidæ, atque luteæ: ſecernitur enim a ſanguine, quod eo venit; nullum enim exangue animal Ouum generat: ſanguinem autem materiam eſſe corporum, dictum iam ſæpius eſt. Pars eius, quæ calida eſt, propius ad formā in membris inſtituendis accedit; quæ autem terroſior eſt, corporis inſtitutionem præbet, & remotior eſt: quamobrem in bicoloribus ouis animal initium ſuæ generationis in candido ſumit; initium enim animalis in candido eſt; cibum a luteo capit.* Scilicet animalium partes omnes albæ,

f 2. de gen. c. 50.
g 2. de gen. an. c. 4.
h 2. de gen. an c. 3.
i 1. meteo. c. 2.
k 2. de gen. an. c. 3. 4.
l 8. phy. t. 17
m 2. de gen. an. c. 3.
n 3. de gen. an. c. 1.

ſpermaticæ nuncupatæ, primum fiunt ex alba ſubſtantia ſeminis vtriuſque craſſiori, tanquam ex materiali principio partium omnium; quæ recipiunt animale principium (animam nimirum, qua viuificantur) a ſeminis alba pariter ſubſtantia, ſed tenuiori, magiſque ſpirituoſa; quam Ariſtoteles o antea dixerat proportione reſpondere elemento ſtellarum, ſeminibuſq. viuentium omnium fecunditatem exhibere; *Ineſt enim*, ait, *in ſemine omnium, quod facit vt fecunda ſint ſemina, videlicet, quod calor vocatur; idque non ignis, non talis facultas aliqua eſt, ſed ſpiritus, qui in ſemine, ſpumoſoque corpore continetur; & natura, quæ in eo ſpiritu eſt, proportione reſpondet elemento ſtellarum.* Deinde vero formatæ partes aluntur ſanguine; quo maxime replentur interſtitia partium ſpermaticarum, quibus affunditur, veluti parenchyma, nam vt alibi notauimus, agentes p *De Ferijs altricis animæ*, quum humani corporis, animaliſque ſanguinei duo ſint genera partium, ſpermaticas dico, ſanguineaſque; diſcrimen illud inter eas inuenitur, quod ſpermaticæ, quia ex ſemine genitæ, ſunt partes primariæ; quæ vero materiam originalem ſibi e ſanguine ducunt, ſecundariæ ſunt, ac minus præcipuæ; quod edocent Anteſignani Medicorum q Galenus, & r Auicennas; quorum ipſiſſima verba non vno in loco decernentia, partes albas humani corporis, & omnino ſanguinei viuentis, quæ ſpermaticæ dicuntur, eſſe primarias; rubras autem eſſe ſecundarias, & acceſſorias; carneſque ſpeciatim eſſe ſubſtantias a natura inſtitutas ad replenda ſpatia inania relicta inter fibras, ac venas, neruos, & arterias, late Rudens eruditus noſter attulit, ac ſatis explicauit in ſ *Atho perfoſſo*, fauentibus, & acclamantibus Viris Cll. t Coſtæo, & u Sala. Semen autẽ vtriuſque parentis tum virtute ſua actuoſa, quæ nititur eorumdem ſpermatum ſpirituoſa ſubſtantia, formare partes, & eas animare in fœtu; tum craſſiori ſua corpulentia (vt ita dicam) concedere in materiam partium albarũ embrionis, late probauimus alibi, tractantes ex Ariſtotele, ac ex rei natura x *de perfecta conſtitutione hominis in vtero.* Ceterum inceptam Ouorum theoriam, propoſito noſtro cõſentaneam, proſequens Ariſtoteles addit, y *Calidioribus itaq. animalibus ſeorſum iſta habentur diſtincta, ex quo principium ortus, & ex quo alimentum; atque alterum candidum, alterum*

luteum

o 2. *de gen. an. c.* 3.
p *diſp.* 27.
q *de ſect. for. c.* 2. 5.
10. *met. c.* 11
11. *met. c.* 10
2. *de tem. c.* 3
r *l.* 1. *f.* 1. *d.* 5 *cap.* 1.
ſ *pag.* 137. *et ſeqq.*
t 5. *diſ. phyſ. pag.* 390.
u *art. med. cap* 9.
x *cap.* 7. & *ſeqq.*
y 3. *de gen an. c.* 1.

Digitized by Google

luteum eſt; & plus candidi, ſincerique ſemper eſt, quam lutei, & terreni (quia pluri opus eſt materia ad partes conſtituendas, quam ad alendas: maius enim eſt corpus, quod alitur, quam alimentum, quod ad illud alendum extrinſecus accedit) *At minus calidis & humidioribus contra, plus lutei, idque humidũ eſt* (ita mulieres, quo frigidiores & humidiores ſunt, eo magis abundant menſtruo ſanguine; quem etiam aquoſiorem habẽt, multis refertum excrementitijs humiditatibus) *quod in paluſtribus accidit auibus; quum enim illæ ſua natura humidiores ſint, tum frigidiores terrenis auibus conſtant: itaque Oua earum multum eius, quod vitellum vocant, habent, minuſque luteum* (colore ſcilicet) *quoniam candidũ minus ab eo ſeparatur. Quæ iam ſua natura frigida inter ouipara ſunt, ea longe humidiora conſtant: quale genus piſcium eſt; nec candidum habent diſtinctum, quia exiguum hoc eſt; & frigida terrenæque qualitatis copia impedit: quam ob rem omnia piſcium oua vnicolora ſunt; atque ad lutea, candida; & ad candida, lutea eſſe dixeris. Auium vel ſubuentanea oua colorem eum duplicem obtinent* (album ſcilicet a ſemine femellæ, luteum ab eiuſdem ſanguine) *habent enim ex quo vtrumque ſit; & vnde principium* (materiam nempe primæ conſtitutionis, quæ femineum ſemen eſt) *& vnde cibus* (qui feminæ ſanguis eſt) *ſed hæc imperfecta ſunt* (quia nõ poſſunt in animal mutari) *& magis indiga: fiunt enim fecunda, ſi quo tempore ineantur a mare* (cuius nimirum ſemen prolificum ipſis, nondum cortice obductis in aluo, ſenſitricem z affert animam, qua fœtus fit a animal) *Nec vero ſexus cauſſa coloris duplicis eſt, vt candidum* totum *a matre, luteum a femina ſit; ſed ambo a femina proficiſcuntur; verum alterum frigidum* (luteum ſcilicet, quod menſtruum eſt) *alterum calidum eſt* (albumen videlicet, quod eſt ſemen feminarũ) *in quibus* animalibus *multũ caloris eſt, diſtinguuntur*: (caloris enim eſt, heterogenea b diſgregare) *in quibus parum, diſtingui non poſſunt: & ob eam rem conceptus eorum ſunt vnicolores, vt dictum eſt. Semen autem maris* (quod eſt pars albuminis magis ſpirituoſa, ſeu veluti grando in albumine a femina deciſo) *conſtituit tantum; ideo primum exiguus, albuſque conceptus auium cernitur; mox tempore procedente luteus totus, quum iam plus ſanguinis admiſcetur; poſtremo ſecedente calore pars candida*

z *2. de gen. an. c. 4.*
a *ibid. c. 3.*
b *2. de gen. c. 8.*

circum inſiſtit, quaſi humore aquæ feruente quoquouerſus: candida enim pars oui ſua natura humida eſt (vti de ſemine c prius aſſeruerat) *caloremque animalem* (a ſemine maſculi comportatum) *intra ſe continet: quam ob rem circum ipſa diſcernitur lutea, & terrena intus manet: & ſi plura Oua coniecta in patinã, aut tale aliquod vas coquis igne, ita ne motus caloris cõcitatior ſit, quam ouorum diſtinctio, idem in vniuerſis ouis, quod in ſingulis euenit, vt lutea cuncta in medio conſtituantur, candida circiter ambiant.* Ita prorſus in Vniuerſi conſtitutione terreum elementum graue a Spiritu d Domini, qui ferebatur ſuper aquas, eaſque e fouebat, more f volucris oua ſua calore animantis, ipſis incubans, collocatum eſt in medio Mundi centrũ g phyſicum (nam Vniuerſi medium, quod eſt cẽtrum mathematicum intelligibile eſt in Orbis totius meditullio punctum indiuiſibile) candida vero, ſiue perſpicua elementa, qualia ſunt aer, aqua, ignis, & h cælum i Ariſtoteli, circumquaque terram ambiunt. Luteum vero colorem telluri dedit k Ariſtoteles, tum ob elementi opacitatem; etenim luteus color in opacis eſt maxime, vt in Luna; tum potiſſimũ ob ignem ſemper ardentem in terræ penetralibus, qui paſſim ſe ſe prodit ex varijs terræ partibus emicans, vt in Etna, Veſæuo, Hecla, Puteolano campo, & alijs pleriſque tam alpeſtribus, quam campeſtribus terræ locis: tum etiam ob luminis ſolaris refractionem, reflexionemve, quo ſemper terra, quia Sole minor, pluſquam dimidia ſuperficie perfuſa, lutea conſpicitur. Sic igitur Ariſtotele doctore Ouum ad mundi ſimilitudinem cõſtitutum eſt. Quam ſummi Præceptoris doctrinam Auerroes l ibi ſartam tectam tuetur, inquiens, *Sunt autem Oua bicolora, propter diuerſam naturam eorum, calidique virtutem, cuius natura eſt, ſegregare naturas heterogeneas; nam quum operatur & agit in excrementum exiſtens in matrice, ſecernit ab eo partem terream ex pauca terreſtreitate, ponendo partem terream in medio, videlicet vitellum; ſuperambitque ipſum alia pars calida, quæ eſt albumen; quia quum pars aerea ſeminalis admiſcetur cum excremento femineo, & mouet ipſum, accidit tunc Ouo id, quod accidit elemẽtis ex motu Vniuerſi, ſcilicet quod graue ſubmergitur, & leue circumdat ſuper ipſum extra. Cuius rei indicium eſt, quod ſi plura Oua ſint coniecta in patellam, ibique agitentur forti agi-*

tatione

c 2. *de gen. an. c.* 3.
d *Gen.* 1.
e *Baſil.*
f *D. Hieron. & Baro. t.* 1. *l.* 2. *de verb. Dei c.* 9.
g *Auer.* 2. *cæl. tex.* 10. 110.
h 2. *de an. t.* 68.
i 1. *cæl. t.* 91.
k 3. *de gen. an. c.* 1.
l 3. *de gen. an. c.* 1.

Digitized by Google

tatione, & conquaſſentur, mox coquantur vſque ad pempaſim, inuenies ex omnibus luteum in medio, & candidum circiter ipſum luteum ambit, ac ſi eſſent vnum ouum: nam albumen ſi ebullierit, circiter ambit exterius; & eius conglutinatio eſt accidēs eueniens ex multa contemperatura, & ebullitione, non ex frigiditate & humiditate, vt aliqui ſunt opinati. Quod autem candidum ſit calidius luteo, ratio eſt euidentiſſima, eo quia pullus ex candido procreatur, & ex luteo nutritur. Mox alia ratione oſtenditur vitellum eſſe terreum, quia non congelatur a calido, humectatur tamen ab ipſo, ideſt calido gallinæ, quando accubat ſuper ipſum; & ideo vitellus eſt humidior ea hora, quam prius eſſet; quod quidem indicat ipſum non recipere conſiſtentiam, & figuram: & congelatur a frigido, & ideo humectatur a calido. Ariſtoteles autem aſſimilat naturā lutei naturæ ſanguinis in exceſſu partis terreæ ſuper ipſis; quum ambo congelentur a frigido, & humectentur a calido: & ratio oſtendens naturam vitelli eſſe frigidam, eſt, quia citius corrumpitur extra, quam ipſum album. Animal quoque aqueum frigidæ complexionis habet plus de vitello in ſuo Ouo, quam de candido in reſpectu ad oua auium calidarum. Et ſi Medici dicunt vitellum eſſe calidiorem albumine, illud eſt reſpectu corporis humani, & non ſecundum ſeipſum; & ideo dictum eorum non eſt contrarium dictis in hoc loco: concedunt enim Medici reperiri aliquas res calidiores aliis; quum tamen ſint frigidiores in relatione ad corpus humanum; vt vinum nouum, & vetus; nouum enim calidius eſt abſolute ipſo antiquo; calidius eſt tamen antiquum reſpectu corporis humani. Aues autem frigidæ natura minus ſegregāt iſtos duos colores, & vtrāq. ſubſtantiam; & ideo oua piſcium priuantur albumine omnia, ſuntque vnicolora; cuius rei cauſſa eſt, quia pauca caliditas non habet vim ſegregandi naturas diuerſas: neque inuenies ouum album, niſi in animali ſanguineo: & hoc oſtendit albumen eſſe calidius. Itaq. Mundo perſimilem conſtitutionē habet Ouum: de qua meminit etiam, licet alio ſenſu, Alexander in *m* Problematibus aſſerens, *Ouum qualitates elementorum omnes complectitur, & quatuor illa rerum primordia plane in ſe ſita oſtendit; tegmentum enim teſtaceum terræ proximum eſt; ſiccum namque & frigidum: albumen aquæ cognitionem gerit; humidum enim & frigidum: ſpiritus in albumine contentus pro aere eſt;*

m l. 1. pro. 89

eſt; calidus enim & humidus: vitellus ignem repreſentat; plus enim calidus, minus ſiccus; neque calore igneo vacat. Denique Orbis Vniuerſi, quem Mundum vocamus, ſpeciem in Ouo dixeris demonſtrari; nam & ex quatuor conſtat elementis (compoſitis ac ſeparatis ab inuicem, vt mundus, non autem confuſis, ac inuicem permiſtis partibus allatis elementa referentibus) *Et in ſphæra faciem conglobatur, & vitalem potentiam obtinet.* Conſimilem ſentẽtiam ex Antiquis lectionibus atque, vt puto, ex obſeruato Alexandri loco refert ipſe Rhodiginus de Ouo

n l.17.c.17. tractans in hæc verba, *n Sed longe vtique admirabilius id, In re tam parua, Mundi permiſtionem intelligi quamdam: Ouum quippe elementis conſurgere ac compingi quatuor, Veterum Medicorum aſſertione traditum ſcimus: nam cruſtæ modo circumiectum obductumque putamen, terræ imagine quadam, areſcentis frigore vim naturæ præfert; humor autem frigens humectuſque, aquam exhibet plane: ſicuti aerem, quod ineſt ſpirituoſum, calens humenſque: at in meditullio luteum fixum, mediocritatem caloris obtinens, & aridioris naturæ* (contra dicit Alexander, plus eſſe calidum, minus ſiccum vitellum) *igni compar facile colligitur; cui calculum adiecerit & color; ſi quid tamen eiuſmodi adeſſe igni creditur* (quippe ſummam ob raritatem in alto nullum colorem habens eſt inadſpectabilis) *An non & globata ſuffragatur figura? Quid, quod ineſt Ouo vitalis vis veluti & munda? Obſeruatum ab eadem quoque ſchola, vitellum intima caloris facultate percoqui facile, albumen nõ ita, ratione vtrũq. frigoris, caloris humoriſve &c.* Simmias igitur in Ouo ſuo ænigmatico, dum ait Ouum eſſe partum canoræ matris, innuit apte Mundi primæuam Originem a mente Diuina factam in Verbo ſuo, in ſimplici dicto iuſſuque ſuo, Moſaicam Vniuerſi geneſim adumbrans vtcumque ſub Oui myſtici velamento; vt non inepte ſub tropo Matris Canorę parientis Ouum, indicare vel potius occulere valuerit Deum creatorem Vniuerſi in ſimplici verbo, dictoque ſuo; quo iubens fieri, facta ſunt omnia de nihilo. Nuncupat autem Mundum in gripho Simmias, non Ouum abſolute, ſed *quoddam hoc Ouum nouum,* tum quia Mũdo nullum alium partum conſimilem omnino cõdidit Deus: tum quia mundum vnicum ac ſingularẽ procreauit Deus: tum quia oua naturalia quum duorum tantummodo ſint generum, vt

ait

ait o Ariſtoteles; alia, quæ conſperſa ſemine maris, emittunt fota de ſe pullum ſimilem genitori ſuo vel maſculo, vel feminę: alia, quæ ſine virtute maſculi parta a ſola femina, ſterilia ſunt, hypenemia nuncupata: Mundus *Ouum nouum* eſt tertij cuiuſdam generis, neutri prædictorum omnino ſimile; nam a ſummo Deo factus eſt, non ſolum matris modum ſeruante, quæ generat in ſeipſa, ſed etiam patris virtutem exercente (quod antea notauimus, acclamante p Leone) quæ vis eſt Omnipotentia actiua: Quare mundus non æmulatur Oua hypenemia ſimpliciter, quæ a ſola matre fiunt, ſine concurſu vel opera patris: Neque vero ſimilis eſt abſolute Mundus Ouis fecundis, quia Mundus ex ſe non poteſt emittere, ac veluti promere de ſubſtantia ſua Numen vllum, illi ſimile, a quo velut a Patre ſimul atque a Matre procreatum fuit (licet ad obſcuritatem ænigmati neceſſariam Simmias, non patris, at ſolius matris meminerit in gripho) Quare Mundus ab ænigmatiſta merito dicitur *Ouum quoddam nouum*: tum maxime, quia quum Oua naturalia ſint non exacte ſphærica, ſed oblonga, mundus tamen eſt exactiſſime ſphæricus, ac exactiſſime circularis; vt late demonſtrat q Ariſtoteles. Sapienter attamen in æno Simmias Mundum oblongo potius Ouo, quam vlli corpori perfecte rotundo, vt aurantio malo, vel pomo, vel id generis alij, comparare voluit, quo poſſet in Mundo nobis innuere poſitionũ differentias, ac potiſſime polos, Vniuerſo prorſus eſſentiales cardines: de quibus differentijs Ariſtoteles in hanc ſententiam, r *Cælum autem animatum eſt, & habet motus principium: manifeſtum eſt quod habet ſurſum & deorſum; & dextrum & ſiniſtrum. Non enim oportet dubitare ex eo, quod rotunda ſit figura ipſius Vniuerſi, quomodo erit huius hoc quidem dextrum, hoc autem ſiniſtrum, ſimilibus exiſtentibus partibus omnibus, & motis omni tempore: ſed intelligere, quemadmodum ſi quis in quibus habeat dextrum ad ſiniſtrum differentiam, etiam figuris, deinde circumponat ſphæram; habebit enim potentiam differentem, videbitur autem minime, propter ſimilitudinem figuræ. Eodem autem modo & de principio motus; etenim, etſi nunquã incœpit, principium tamen habeat neceſſarium eſt, vnde incœpiſſet, ſi inciperet quod mouetur moueri; atque ſi ſteterit, mouebitur vtique iterum.* s *Dico autem longitudinem ipſius eam, quæ ſecundum*

polos

o 3. *de gen. an. c.* 1.

p 3. *dial. de Amor.*

q 2. *cæl. t.* 22 *& ſeqq.*

r 2. *cæl. t.* 7. *& ſeqq.* 13.

s *tex.* 14.

polos eſt, diſtantiam: & polorum hunc quidem ſurſum, hunc autem deorſum: differentiam enim in his ſolis hemiſphæriorum videmus, propterea quod non mouentur poli. Simul autem & conſueuimus dicere latera in mundo, non quod ſurſum eſt, & deorſum; ſed quod eſt præter polos, tanquam hoc longitudo ſit; id enim ad latus eſt, quod eſt præter ſurſum & deorſum. Polorum autem is quidem, qui ſupra nos apparet, ea, quæ deorſum exiſtit, pars eſt; qui vero nobis immanifeſtus eſt, quæ ſurſum. t tex. 15. t *Dextrum enim vniuſcuiuſque dicimus, vnde principium eſt eius, qui ſecundum locum fit, motus: Circumlationis autem cæli principium eſt, vnde aſtrorum ortus ſunt; quare hoc vtiq. erit dextrum; vbi autem occaſus, ſiniſtrum. Si igitur & a dextris incipit, & ad dextra circumfertur, neceſſe eſt ſurſum eſſe eum, qui non apparet, polum: ſi enim is erit, qui manifeſtus eſt; ad ſiniſtra erit motus; quod quidem non dicimus.* u tex. 16. u *Manifeſtum eſt igitur, quod immanifeſtus polus eſt ſurſum; & qui illic habitant, in eo ſunt, quod ſurſum eſt, hemiſphærio, & apud dextra; nos autem in eo, quod deorſum, & apud ſiniſtra; e contrario quam vt Pythagoræi dicunt; illi enim nos & ſurſum faciũt, & in dextra parte; illos vero, qui illic ſunt, deorſum, & in ſiniſtra: accidit autem contrarium. Verum ſecundæ circumlationis, veluti planetarum, nos quidem in ijs, quæ ſurſum, & in dextris ſumus; illi autem in ijs, quæ deorſum, & in ſiniſtris: e contrario enim his principiũ motus eſt; propterea quod contrariæ ſunt lationes: quare accidit nos quidem eſſe apud principium, illos autem apud finem. De partibus igitur ſecundum diſtantias, & ſecundum locum definitis tot dicta ſint.* Has autem differentias poſitionis omnes corporibus perfectis, ac cælo mundoq. dederat paullo ante Ariſtoteles, veluti terminos trinæ dimenſionis, inquiens, x 2. cæl. t. 7. x *Quoniam autẽ quidam ſunt, qui dicunt eſſe quippiam cæli dextrum & ſiniſtrum; quemadmodum vocati Pythagoræi (illorum enim hic ſermo eſt) conſiderandum eſt vtrum hoc ſe ſe habeat modo, vt illi dicunt, an potius aliter; ſi oportet hæc principia corpori ipſius Vniuerſi adiungere. Confeſtim enim primum, ſi dextrum exiſtit & ſiniſtrum, adhuc prius exiſtimandũ eſt priora his exiſtere principia in ipſo. Determinatum eſt igitur de his in ijs, quæ circa animalium motus, propterea quod propria illorum naturæ ſunt; manifeſte enim animalibus ineſſe videntur; his*

quidem

quidem omnes tales partes (dico autem vt & dextrum & ſiniſtrum) his autem aliquæ; plantis autem ſurſum & deorſum ſolum. Si y *autem oportet accommodare cælo aliquid talium; & quod primum, quemadmodum diximus, in animalibus ineſt, rationabile eſt exiſtere in ipſo; nam quum tria ſint; vnumquodq. veluti principium quoddam eſt; dico autem tria, ſurſum & deorſum, & ante & oppoſitum, & dextrum & ſiniſtrum: has enim diſtantias omnes rationabile eſt ineſſe corporibus perfectis: eſt autem ſurſum quidem longitudinis principium, dextrum autem latitudinis, ante vero profunditatis.* Quoniam igitur in mundo ſurſum & deorſum, quæ ſunt principium & finis longitudinis, determinata ſunt polis inter ſe diſtãtibus, ac immobilibus; dextrum autem & ſiniſtrum, ante & retro, determinatam non habent vllam poſitionem in cæli partibus, quæ ſingulæ ſemper locum mutant; & quum cæli pars nulla perpetuo ſit orientalis, nulla iugiter occidentalis; propterea recte Simmias Ouo Mundum repreſentauit; quum in Ouo conſpicua longitudo determinatum ſui habeat principium & finem, apicem ſcilicet ac baſim: latitudine, ac profunditate cum vtrinſque principio & fine, dextro ſcilicet ac ſiniſtro, ante ac retro, ſimiliter in Ouo certam ſedem nõ habentibus: quis enim agnoſcat in Ouo dextram & ſiniſtram partem? quis anteriorem & poſteriorem? Et vt Ariſtoteles ad oſtendendum differentiam dextri & ſiniſtri in mundo, ipſum Vniuerſũ z comparauit animali, cui circumponi ſphæra valeret; ita Simmias ad repreſentandũ mundi longitudinem, eiuſque terminos ſurſum & deorſum, mundum repreſentauit ſub Oui, ſuper ſua baſi ſtantis, idolo, quod figuram oblongam ac teretem obtinet; cuius apex acutior indicaret polum arcticum, baſis obtuſior antarcticũ: enimuero polus noſter arcticus ab omnibus Aſtronomis notatur vnica ſtella circa illum viciniſſimum exilimo ac inadſpectabili fere motu rotata, quæ micat in apice caudæ minoris Vrſæ, Stoephleri apud *a* Proclum obſeruatu, & Philalthei *b* apud Ariſtotelem adnotatu: at polus antarcticus Antipodarũ quatuor aſtris deſignatur in modum Crucis circa illum gyrãtis itidem diſpoſitis; vt hiſtoriarum *c* Indicarum Autores apud Ramuſiũ obſeruãt, & ex illis Dantes Aligerius in veſtibulo Purgatorij canens,

I mi volſi a man deſtra, & poſi mente

y tex.8.
z 2.cal.t.13.
a C. de vrſ. min.
b 1.cal.par. 383.
c par.1.l.2. c.11.

A l'altro polo, & vidi quattro ſtelle
Non viſte mai fuor ch'a la prima gente.
Goder pareua'l Ciel di lor fiammelle.
O Settentrional vedouo ſito,
Poi che priuato ſe' di mirar quelle.

Quæ duæ polorum differentiæ conſpicuæ ſunt in Ouo, quod figuram oblongam obtinens, teres apicem habet acuminatiorem baſi: Simmiaſque Rhodum incolens obtinuit ſphæram cum arctico polo ſupra horizontem eleuato ad verticem, & cũ antarctico infra horizontem depreſſo. Sic ergo poeta decenter in gripho Mundum Ouo cõparauit ſuam ſupra baſim ſtanti. Tribui vero fingit hoc Ouum Caſtæ cuidam, rogatæ vt ipſum
d Gen. 1. lubenti animo ſuſcipiat, innuens Mundi *d* dominium, quod ab initio Deus dedit humanæ naturæ in Innocentia nondum malo Dęmoni proſtitutę; peccatum enim abſolute fornicationem cum diabolo dici paſſim nouerat in Moſaicis biblijs, vbi
e cap. 39. legitur in Exodo, *e* *Noli adorare Deum alienum. Dominus Zelotes nomen eius: Deus eſt æmulator. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne quum fornicati fuerint cũ Dijs ſuis, & adorauerint ſimulachra eorum, vocet te quiſquam vt comedas de immolatis. Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis; ne poſteaquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant*
f cap. 17. *& filios tuos in Deos ſuos.* Et in Leuitico, *f* *Et nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus, cum quibus fornicati*
g cap. 20. *ſunt.* & mox, *g* *Quod ſi negligens populus terræ, & quaſi paruipendens Imperium meum, dimiſerit hominem, qui dederit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere, ponam faciem meã ſuper hominem illum, & cognationem eius, ſuccidamque ipſum, & omnes qui conſenſerunt ei, vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi ſui. Anima, quæ declinauerit ad Magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eã, & interficiam illam de medio populi ſui.* Et in Numeris, *h*
h cap. 15. *Recordentur omnium mandatorum Domini, ne ſequantur cogitationes ſuas, & oculos, per res varias fornicantes, ſed magis memores præceptorum Domini, faciant ea, ſintque Sancti Deo ſuo.* Sic ergo Caſtitatis nomen videre quum potuerit Simmias apud Moſem ſignificare ſtatum Innocentiæ, quo anima humana eſt omnium peccatorũ expers, & impolluta; quum forte legiſſet

apud

apud eundem Moſen, Homini adhuc innocenti Deum dediſſe creaturarum omnium a ſe conditarum dominium, illis verbis, h *ait Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra: & creauit Deus hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem Dei creauit illum; maſculum & feminam creauit eos: Benedixitque illis Deus, & ait; Creſcite, & multiplicamini, & replete terrã, & ſubijcite eam; & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Imago vero, & ſimilitudo Dei, ad quam factus eſt homo, ſatis inſinuatur in propoſito noſtro per allata verba, eſſe dominium Orbis (vt alias rationes taceam ab alijs recte propoſitas) Quemadmodum enim Deus per naturam eſt dominus Mundi a ſe creati; ſic homo per conceſſionem & gratiam primum a Deo conſtitutus eſt rerum mundanarum dominus; hoc autem mundi dominiũ dedit Deus homini ante peccatum; quo mox vbi ſe ſe diaboli ſuggeſtionibus proſtituit, eo dominio priuatus eſt homo; quod apud Moſen habetur, i *Mulieri quoque dixit, Deus, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. Adæ vero dixit: Quia audiſti vocem vxoris tuæ, & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: ſpinas & tribulos germinabit tibi; & comedes herbas terræ: in ſudore vultus tui veſceris pane.* Quod eſt dicere, terra rebellis erit tibi, nec te dominum agnoſcet, non obtemperans, nec ſeruiens tibi amplius. Vt ergo ſignificaret Autor, Humanæ naturæ etiamnum innocenti, antequam deſiderijs diaboli obtemperans, eius libidini proſtitueretur, & cum ſerpente fornicaretur, Deum dediſſe Mundanarum rerum imperium, ait in gripho, dari homini, caſtam & innocentem naturam habenti, nouum hoc Ouum mundi ſenſibilis, recens a ſe ſolo verbo, iuſſuque creatum, vt illi dominaretur, ipſumque poſſideret ad ſui nutum & arbitriũ, cui deberent omnia parere. Vt autem Deus non coactus, ſed lubens volenſque mundum condidit, & homini poſſidendum

i *Gen. 1.*

k *Gen. 3.*

Digitized by Google

dedit; ita non coegit hominem ad mundi dominium capeſſendum, quaſi detrectantē alijs creaturis imperare, vt multo poſt
l *Iudic.9.* illuſtri plantarum apologo *l* docet hiſtoria ſacra: ſed vult hominem alacriter ac lubenti animo, mundi dominatum, & creatarum rerum poſſeſſionem accipere; quippe *Deus*, vt ait Ari-
m *7. Eude. cap. 8.* ſtot. m *non iubendo imperat, ſed cuius gratia prudentia eſt.* Ac ſane omnia facta fuiſſe hominis gratia, vel ipſemet Ariſto-
n *2. Phy. t. 24.* teles atteſtatur *n* alibi dicens, *Et vtimur, tanquā propter nos, omnibus, quæ ſunt: ſumus enim quodammodo & nos finis; dupliciter enim eſt id, cuius cauſſa: dictum eſt autem in ijs, qui de Philoſophia* ſermonibus: nimirum Deus eſt finis, cuius gratia
o *12. meta. t. 52.53.* omnia *o* ſunt: homo vero eſt *p* finis, cui cedunt in vtilitatem omnia, quæcumque ſunt; vt nuper vidimus in *q* ſacra pagina.
p *2. de an. t. 34.35.* Quin & ipſe Simmias in Alulis introducit Amorem Diuinum,
q *Gen. 1.* adeoq. Deū ſub Amoris Hieroglyphico dicentē de ſemetipſo,

Οὔτε γε Κύπριδος παῖς
Ὠκυπέτας δ' αὐτὸς Ἔρως καλεῦμαι,
Οὔτι γὰρ ἔκρινα βιάζειν, παράγω δὲ πειθοῖ
hoc eſt,

Nec vero sū Veneris filius,
Pernix tamen ipſe AMOR nominor;
Nec.n. mihi decretū eſt vi ptrahere, ſed leniter adduco pſuaſione.

Quoniam vero ſi non peccaſſet ab initio primus homo, ſed in Innocentiæ ſtatu perſeueraſſet, omnes ex eo deſcendentes vixiſſent ſemper iuſti; & ei tanquam parenti, ac optimo naturalique regi libentiſſime paruiſſent, cultūq. ac honorem debitum exhibuiſſent: propterea poeta noſter, ſi placet ſub perſona Dei, cohortatur naturam humanam in primæuo Mundi natali vt (dum iuſta & innocens procul a nefaria cum malo Dæmone fornicatione peccati, vitam agebat) animo lubenti ſuſcipiat Ouum Mundi poſſidendum, & gubernandum; quia ſine labore, ſine curis facile ſibi creaturas omnes obtemperantes
r *Pſal. 8.* habebit; quum hominem Deus ipſe minuerit *r* paullo minus ab Angelis, gloria & honore coronauerit, ipſum conſtituens ſuper opera manuum ſuarum, omniaque ſubijciens ſub pedibus eius. Itaque non debet homo primus, in ſtatu innocentiæ permanens caſtus & purus a peccato, refugere detrectareque

mundi

mundi dominium; ſed animo lubenti ſuſcipere myſticũ Ouum Vniuerſi recens conditi, capeſſereque Mundi Rempublicam gubernandam, & *s* cuſtodiendam cum hilaritate. Quoniam vero Simmias forte cum Platone cenſuit hominis eſſentiam ac naturam totam in anima ſola contineri; quam ſententiam coluit in Somnio Scipionis M. Tullius, & ex eo *t* Macrobius, non valde repugnante *u* Ariſtotele; ideo nunc in gripho ſub vocabulo Caſtæ, quod epitheton eſt Mineruæ, a ſummo Ioue ſine feminæ miniſterio natę priſcorũ fabulis, apte vel rationalẽ animam indicare potuit, quæ a ſummo Deo eſt, ſine vllius alterius cauſſæ interuentu; quam proinde *x* Ariſtoteles non a parentibus aduenire conceptui, ſed extrinſecus accedere dixit: vel etiam hominem ipſum primum, qui ſine feminæ opera creatus eſt a ſolo Deo. Sed iam mihi videor epiſtolæ limites tranſgreſſus; quare ſatis hæc in propoſito tibi ſint, V. egregie; plura namque promam in Encyclopædia ad Ouum Simmiæ, vbi ſingulas ęnigmatis particulas luculentius explicare ſatagam. Vale, & me ama. Bononiæ. Kalend. Iulij. MDCXXXVII.

s Gen. 1.
t l. 1. c. 12.
u 10. eth. c. 7
x 2. de gen. an. c. 3.

De Platonico Mundi Fuſo & Verticulis

Ioannis Veſlingij Eq. &c. Ad Fortunium Licetum Epiſtola XXVII.

Salue Vir Clariſſime.

AB vtroque fortunatus es, ab vtroque ſummates. Affectus enim es, quod præ ceteris decentiſſimum iudicat aureus ille ſcriptor, dum *a* θείῳ τῆς ψυχῆς ὄμματι καὶ τὰ θεῖα καταλαμβάνῃς, καὶ τὰ συγγενῆ ἡμῖν γινώσκῃς. Nihil a te non lectum video, nihil non intellectum, quod ad Mundi Hominiſque comparationem, naturamque vel diuinæ literæ, vel humaniores conferre poſſunt. Sed intelligibili illi, & viſibili mundo, quid ni tertium addimus? quem optime in te deſcribis, etiam quum non ſcribis. Eum autem Auſonij verbis, ex omni bonarum artium ingenio collectam perfectionem dixerim, quam in Te candide veneror. Sed ſcio modeſtiæ tuæ parcendum eſſe; quamuis non diſſimulem (quod de Lucceio refert M.Tul-

a Diuino animæ oculo & diuina comprehendis, & congenea nobis agnoſcis.

Digitized by Google

M. Tullius) non minus inuidos videri, qui Tua non mirantur; quam qui laudant, aſſentatores. Gratias agerem quod *b* ἀσύμβολον alioquin, tot pectoris ingenijque tui ornamentis vadari Tibi dignexis; niſi eas re mallem & factis, quam referre verbis. Interea dum aliud in cenſu meo Te dignum nõ habeo, patere vt hac ingenua confeſſione vel rauduſculum ex ære tãto diſpungam. Ceterum qui de Ouo Mundi Simmiam audis, anne de Fuſo verticulis redimito Platonem auſcultas? ſi tua ſenſa de hoc etiam proferas, Tibi nihil non debuero. Vale feliciter; & affectum, quo Tibi deuinctus ſum, in vetuſtatem ale. Patau. Kalen. Auguſti An. M DC XXXVII. T. Ioan. Veſlingius.

b *Nihil rependentem*

Cl. Viro Ioanni Veſlingio Eq. &c. Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

INclyte Vir, Laudes, quas in me congeris, omnes tuæ ſummæ debentur humanitati; quicquid in me mentis eſt, id omne tuo nutui cenſeas addictum. Cui parens alacritate pari ſummæ meæ erga Te obſeruantiæ Platonicum Fuſum verſare iam aggredior. Ouum profecto Simmiæ non ab re tibi reuocauit in Mentem Fuſum Platonicum; etenim Vniuerſam mundi machinam referens Ouum Simmiæ perſimile nimis eſt Platonico Fuſo; cui a Parcis circumuoluto fila vitarum atque durationum rerum omnium agglomerantur: de quo Parcarum Fuſo, Mundum repreſentante, Plato, laudatus ab *a* Ariſtotele, talia prodidit, *a* *Ex apicibus vero ſuſpenſum Neceſſitatis Deæ penſum, per quod omnes circuitus peraguntur: cuius fuſus quidẽ, & cuſpis ex adamante; verticulum vero ex hoc, aliiſque generibus mistum: cuius natura huiuſmodi ſit ſecundum figuram quidem, qualis apud nos cernitur. Animaduertendum tamen ex illius ſermone, perinde ſe habere ac ſi vno quodam amplo concauoque verticulo, & per totum ſculpto, aliud maius ſimileque inſertum iaceat; ita congruens, vt plerumque cadi, qui inuicem inſeruntur: atque ita tertium, & quartum, & alia quatuor: octo enim illa verticula eſſe, inſertos inuicem circulos, labia ſuperne oſtendentia: dorſum vnius verticuli continuum circa fuſum efficientia. Fuſum vero illum per medium octauum, perque totum*

a *de mundo c. 7.*
b *10. de rep.*

eſſe

eſſe traiectum. Primum igitur extremumq. verticulum labij circulum habere latiſſimum; ſexti autem ſecundum, tertium quarti, quartum octaui, quintum ſeptimi, quinti ſextum, tertij ſeptimum; octauū vero ſecundi. Primi item atque maximi circulum variū eſſe, ſeptimi lucidiſſimum, octaui autem verticuli circulum colorem a ſeptimo irradiante ſuſcipere; ſecundi vero, ac quinti ſimiles inuicem, illis aliquantulo flauiores; tertium ſane colorē candidiſſimum poſſidere; quartum ſubrubeum; ſecundum vero ſextū albedine ſuperare. Ac fuſum quidem totum volutione ſimili circumferri: quum vero totum voluitur, ſeptem interiores circulos motu totius contrario tardius circumuerti. Ex his plane octauum motu rapidiſſimo agitari; ſecundos vero alterum alteri conſequenter, ſeptimum, ſextum, & quintum: tali vero tertiū motu ferri, vt quartum circumuoluere videatur; quartum autem tertium, & quintum ſecundum. Fuſum vero in Neceſſitatis genibus circumuerti. Superne præterea cuilibet circulo hærere Sirenem vnam cum globo delatam, vocem vnam; tonum vnum videlicet emittentem: vnam tamen harmoniam ex omnibus octo cōcinere. Alias autem tres Neceſſitatis filias æquali inuicem interuallo in throno ſedere; Parcas veſtibus albis, capite coronato, Lacheſin, Clotho, Atropon; quæ ad Sirenum harmoniam canant: Lacheſis quidem præterita, præſentia Clotho, Atropos vero futura. Et Clotho quidem cum matre ſimul intermiſſione quadam temporis, dextra manu tangentem Fuſi extimam circumferentiam circumagere: Atropon vero ſiniſtra iterum interiores ſimiliter: Lacheſim denique viciſſim vtraque manu vtrimque tangere. Quibus Plato Mundum, potiſſime cæleſtem, cuius natura eſt incorruptibilis, octo ſphæris, æuo ſuo notis, indicat, traiectis fuſo diametri, ſiue Axis; cuius cuſpis ex Adamante ſit polus arcticus; alter apex ſit polus antarcticus: & Verticula, quorum diſpoſitio ſit, vt vnum in altero inſertum habeatur, orbes æthereí dicantur: Et primum omnium maximum, ſeptem alia verticula continens, motu diurno concitatiſſimo voluatur; alia ſeptem, quæ ſunt orbes Planetarum, contrario motu tardiori circumuoluantur: qui tamen motus ita ſint ad inuicem proportionati; & vnuſquiſque illorum ſit adeo regularis, vt quilibet ipſorum dicatur ſonus a Sirene factus; & ex omnibus dicatur harmonicus concentus apte conflari; non quia ſonus vllus inde

pro-

proueniat; ſed quia ſi talis proportio poneretur in ſonis, admirabilem quamdam harmoniam ea proportio ſit procreatura. Per Sirenes autem ſignificat Plato motrices Orbium animas, Intelligentiasve cæleſtibus Orbibus inſidentes; quos appellat Verticula, quia perenni gyro vertuntur circa Mundi Axem, veluti verticula circa fuſum poſita. Ordinem vero talium orbium proponit, qui ſua tempeſtate credebatur huiuſmodi, vt ſuprema ſphærarum omnium diceretur primum Verticulum Fuſo, nimirum Axi Mundano, celerrime circumuolutum, Firmamētum appellatum, ac primum mobile eo tempore putatum: cuius, vt etiam aliorum verticulorum ſubſtantia foret ex adamante, & ex alijs generibus miſta; ſcilicet aſtrorum naturam ponit adamantinæ firmitudinis ob incorruptibilitatem; partes autem diaphanas alterius quoquopacto conditionis; vt quæ valeant vtcumque cogi, & diſgregari; quod nos *c* alibi diſputauimus, agentes *De Nouis Aſtris, & Cometis*: vel etiam ſubſtantiam cælorum perſpicuam ob colorem ex adamante dicit, qui lapillus maxime diaphanam obtinet naturam; at aſtra, quę flaua ſunt, & alijs quoque coloribus affecta, ſcribit eſſe ex alijs generibus. Verticulum ſecundum ponit Orbitam Saturni, tertium Iouis, quartum Martis, quintum Mercurij, ſextum Veneris, ſeptimum Solis, & octauum Lunæ; quem ordinem etiam innuit *d* Ariſtoteles. Primum autem Verticulum ait Plato ſculptum eſſe per totum, alludens ad imagines octo ſupra quadraginta aſteriſmorum, varia ſimulachra rerum noſtratium repreſentantes, Arietis, Tauri, Cancri, Libræ, Leonis, Altaris, Liræ, ac id generis. Primique Verticuli circulum ait eſſe varium, quoniam in Firmamento ſunt multa ſtellarum corpora circularia variæ magnitudinis, variæ lucis, varijque coloris. Septimi Verticuli, quod eſt orbita Solis, circulum eſſe ſtatuit lucidiſſimum; quia Solis corpus circulare lucidiſſimum eſt inter omnia ſidera. Octaui autem Verticuli, quod eſt ſphæra Lunaris, circulum, qui eſt corpus Lunæ ſideris, ait a ſeptimo irradiante colorem ſuſcipere; quia Lunæ globus de ſe opacus, lucem veluti colorem ſuſcipit a radijs Solaribus. Verticuli vero quinti, & ſecundi circulos ait eſſe ſimiles inuicem, & aliquantulo flauiores octaui, ſeptimique Verticuli circulis; quia Saturni, Mercurijque ſidus lucem habent conſimilem, & flauiorē tum luce

Lunari,

c lib. 5. c. 52

d 2. cæl. t. 42. 1. meteo. c. 4.

Lunari, atque Solari, quæ ſunt paullo candidiores. Tertij verticuli circulum, qui ſtella Iouis eſt, colorem candidiſſimum aſſerit obtinere, quia Iouis lux eſt puriſſima. Quarti verticuli circulum ait coloris eſſe ſubrubei, qui obſeruatur in ſidere Martis. Secundi vero verticuli circulum, qui ſtella Saturni vocatur, ait ſuperari albedine a circulo ſexti verticuli, qui Venus appellatur; nam Venus albidiorem lucem habet, quam Saturnus; cuius lux aliquo liuore notatur. Ac fuſum totum cum verticulis ait circulari motu vniformi ac regulari verti. Quum autem totum, hoc eſt primum verticulum, quod eſt Platoni Firmamentum, ac primum mobile, voluitur ab ortu in occaſum, ait, ſeptem intra ipſum contentos circulos orbium planetarum ſimul conuerti motu contrario ab occaſu in ortum tardius: Sed ex Planetis octauum, qui Lunaris eſt, motu proprio rapidiſſime rotari, quem abſoluat fere ſpatio menſis; reliquos vero proportione quadam minoris celeritatis deinceps proprium motum circulo concludere. Dicit autem vna cum motu circuli moueri Sirenem cuique globo ſuperne inhærentem; quam putat eſſe animam cæleſte corpus informantem; nam aſſiſtens Intelligentia non mouetur ad motum orbis, cui aſſiſtit; vt late docuit *e* Ariſtoteles. Niſi forte voluerit Plato, præter Intelligentiam toti verticulo, quod eſt integra ſphæra cæleſtis, aſſiſtentem cuiq. ſtellæ, in eadem ſphæra degenti, peculiarem eſſe Intelligentiam aſſiſtentem: atque vt integra ſphæra ſecundum totum in eodem loco ſemper manet; adeoq. mens illi toti aſſiſtens immobilis eſt omnino; quod edocet Ariſtoteles; ita mens aſſiſtens aſtro peculiari, quod ſecundum totum de loco ad locum mouetur, neceſſario moueri debeat ad motum ſideris, quod circumuoluitur, ſicuti nauta mouetur ad motum nauis, cui aſſiſtit; quia nauis tota locum mutat aperte; non autem mouetur ea Intelligentia quatenus aſſiſtit, ſed quatenus eſt inſeparabiliter iuncta ſideri, quod mouetur de loco ad locum. Præter has autem Sirenes, Plato ponit tres Parcas mouere Fuſum mundanum, eaſque dicit eſſe Neceſſitatis filias; quoniam tria tempora ſignificant, quæ metiuntur motum Vniuerſi: ac ſane ſunt tempora, præteritum, præſens, atque futurum, tres Neceſſitatis, hoc eſt Æternitatis filiæ; quarum Atropos futurũ canens ad Sirenum ſonum (etenim tempus definitur eſſe men-

e 8. *phyſ. t.* 41. *& ſeq.*

f 4. phy. t. 100 & ſeqq. ſura motus, potiſſimum cœleſtis, ab *f* Ariſtotele) dicitur ſiniſtra tangere mundi, ſeu Fuſi mundani partes interiores, quia futura ſunt nobis occulta, & ad ea nutantem, ceu læuam comprehenſoris animi manum adhibere poſſumus, de quibus infirmam admodum cognitionem habere valemus: Clotho præſentia concinens, dicitur apte dextera manu contingere circũferentiam exteriorem Fuſi ab ſe circumuoluti; quoniam præſentia ſunt nobis euidentia, ſenſuq. vel ipſo percipiũtur aperte: Lacheſis autem præterita canens, dicitur vtraque manu Fuſi partes tum extimas, tum intimas tangere; quia præterita, quæ procul a nobis abſunt, nos attingere non poſſumus niſi percipientes illorum præſentia ſimulachra in memoriæ condo flauiſſiſve conſeruata. Ficinus longe ſecus hunc Fuſum Platonis de

g in arg. 10. de Rep. Mundo ſic interpretatur, g *Mundus naturali cupiditate, Fatoq. ducitur: ſed tanta Naturæ cum Fato cognatio eſt, vt vix inter ſe a Philoſophis diſcernantur: vt autem immutabilem Fati naturam exprimeret, Fuſum eius eſſe dixit ex adamante: vertigium autem, ideſt cælum, ex adamante rurſus, aliiſque materiis, ſcilicet aſtris, non ſolum fixis, ſed & mobilibus, atque cõmunibus, multiplicique formarum varietate. Euidenter deinde octo depingit ſphæras, quæ a Natura quidem agitantur; ſed a Fato, Natura præſide, immutabiliter agitantur, & inſtrumenta Fati eſſe dicuntur: inculcantur autem inter hæc multa ad menſuras, profunditates, interualla, motiones, harmonias, formas, virtutes ſphærarum cæleſtium pertinentia; quæ in Timæi Commentariis opportunius explicabimus. Summatim vero ex velociſſimo & ordinatiſſimo cælorum motu, potentiſſimoque contactu melodiam ingentem & variam, & ſuauiſſimam cogita procreari; grauiores quidem voces ex motibus tardioribus, acutiores autem ex velocioribus, ex mediis vero medias. At quoniam elementalis auditus ad cæleſtem melodiam caret proportione, ſonus eiuſmodi non auditur. Hic nouem Muſas, atque Sirenes eſſe cogitamus; octo ſphærarum tonos, concentumque ex tonis harmonicum; proinde fatalem Fuſum, ideſt tractum, inquit, inter genua Deæ Neceſſitatis verti. Cui tres ſint filiæ, Lacheſis, Clotho, Atropos; quæ vna cum matre cæleſtia voluunt. &c.* Sed & ſuperiorem ſuam doctrinam Plato repetit, ac declarare quoquopacto videtur in Timæo dicens, *Hac ratione conſilioque Dei, tempus creare volentis,*

tis, Sol, & Luna, & aliæ quinque ſtellæ, quæ vocantur erraticæ, factæ ſunt, quo temporis numerus diſtinguatur atque obſeruetur. Quum vero ſtellarum huiuſmodi corpora ſeptem feciſſet Deus, ſeptem orbibus, qui alterius ipſius, diuerſaque naturæ circuitu voluuntur, adhibuit. Lunam in primo ſupra terram circuitu poſuit; in ſecundo Solem: Luciferi deinde globum; & Mercurij ſacrum, vt dicitur, orbem circulis affixit, Soli velocitate æqualibus, potentia vero illi contrarijs: quo fit vt apprehendant ſeinuicem, & a ſeinuicem apprehēdantur ſimiliter hæ ſtellæ, Sol, Lucifer, & Mercurius. Ceterum ſtellarum ordines, progreſſuſque, & rationes ſi quis omnino percurrere velit, plus erit opere ipſo quod operis gratia ſumetur. Hæc enim forte a nobis pro dignitate rei alias, ſi dabitur otium, tractabimus. Poſtquam vero ſingula, quæ ad ſeriem temporis pertinebant, conuenientem ſibi progreſſum ſortita ſunt, corporaque nexibus compacta vitalibus, animalia euaſerunt, præſcriptum tenorem & inſtitutum ordinem tenuerunt; vt videlicet ſecundum alterius, diuerſæque naturæ obliquam agitationem, eiuſdem ipſius agitationi ſubiectam, orbes illi partim ampliorem, partim anguſtiorem circulum peragant; & quæ minorem, velocius; quæ maiorem, tardius reuoluantur. Secundum vero ipſam eiuſdem naturæ lationem, quæ velociſſime percurrunt comprehendentia, a tardioribus cōprehendi videntur. Omnes quidem eorum circulos ſuperna illa vertigo varia circuitione reuoluens, propterea quod iſti duobus ſimul contrarijs motibus agitantur, id quod tardiſſime ab ipſa quæ velociſſima eſt, recedit, proximum declarauit. Vt autem eſſet quædam velocitatis illorum tarditatiſque menſura certiſſima, omniumque octo motuum prodiret in lucem chorea, accendit lucem clariſſimam Deus in ſecundo a terra circulo, quam modo Solem vocamus; cuius ſplendore cælum omne illuſtraretur, & animantes omnes, quæcumque natura numeri capaces ſunt, ipſius participes efficerētur, vſum numerandi diſcentes ab illo eiuſdem ſimiliſque naturæ circuitu: hinc quoque noctis dieique varietas orta eſt. Propter hæc etiā vnius ſapientiſſimiq. circuitus reuolutio. Menſis vero prouentus, quando Luna luſtrato circulo ſuo Solem conſecuta eſt: anni, vbi ſuum Sol peragrauit orbem. Ceterorum autem ſiderum ambitus ignorantes homines, præter admodum paucos, neque nomine certo illos appellant, neque numeris inter ſe diſtinctis com-

metiuntur. Itaque, vt ita dixerim, neſciunt horum peruagationes id ipſum eſſe, quod rite dicitur Tempus, multitudine infinita, & varietate mirabili præditas. Quam quidẽ Platonicam theoriam, de Fuſo mundano a Parcis circumuoluto, collaudat Ariſtoteles, & explicat de ſummo Deo multis nominibus Mundum gubernante, dum in ſuo libello de Mundo (quem Ariſtotelis eſſe genuinum fatetur, poſt Iuſtinum Martyrem Philoſo-
h *init.* phum in ſua *h* Cohortatione ad Græcos, Diuus ipſe Thomas
i *l. 3. me. 9. in Com.* *i* apud Boethium agentem De Conſolatione, noſque latius o-
k *1. de piet. Ariſ. c. 2.* ſtendimus k alibi) ſcribit in hanc ſententiam *l* Magiſter.
Vnus porro Deus quum ſit, pluribus nominibus appellatus eſt; ab
l *de mund. c. 7. in fi.* *ijs vtique ſuis omnibus effectibus denominatus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet.* & mox. *Equidem Neceſſitatem ipſam etiam nihil*
m *Neceſſitas.* *aliud, quam Deum dici cenſuerim & intelligi: cui* m *ἀνάγκην ex eo nomen eſt, quod natura quædam ſit immobilis. Eumdemq. Εἱμαρμένην, ideſt, Fatum, dictum a ſerie rerum conſerto inoffenſoque tenore procedente. Quod alio nomine* n *Πεπρωμένην*
n *Fatum.* *ideo appellauerunt, quod ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerum natura infinitum eſt. Quin & μοῖραν, ideſt Sortem appellatum eumdem Deum a partitione rerum dixerim; &* o
o *Nemeſin.* *νέμεσιν, quaſi poteſtatem diuinam eius, quod viſum eſt, diſtri-*
p *Adraſtiã.* *butricem.* p *Ἀδράστειαν etiam, quaſi Cauſſam quamdam natura*
q *Aeſan.* *comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare.* q *Αἶσαν denique dictum, quaſi ſemper exiſtentem. Item quod de Parcis, & de Fuſo proditum eſt earum, eodem id etiam quodam modo pertinent. Si quidem tres Parcas priſci tria in tempora partiti ſunt: filumque fuſi partim iam peractum, partim futurum, partim iam intorqueri dixerunt. Earum vnam ſtatuentes in eo, quod iam profligatum eſt, quam Atropon ideo nuncuparunt, quoniam ea, quæ iam præteriere, retrorſus agi nequeant: at Lacheſis functio futuris deſtinata eſt; omnium enim, quæ ſecundum naturã ſunt, ſors ſua quodque manet. Præſentibus autem rebus, aut inſtantibus, Clothus opera attributa eſt, quæ netu vnicuique conficit quod ſuum eſt. Hocque fabulamentum recte atque ordine compoſitum eſt: proinde hæc omnia non aliud quicquam, quam Deum eſſe planum eſt, vt eximius Plato cenſuit. Enimuero Deus (vt eſt vetuſto verbo proditum) principium, & finis, & media rerum*

omnium

omnium tenens, rectaque linea incedens, operatur ille quidem ſecundum naturam, e veſtigio comitem habens Iuſtitiæ præſidem, quam r *δίκην nominauerunt, diuinæ legis vindicem, ſimul vt quicquam ſanctionum eius prætermiſſum eſt. Cuius vt ſit particeps numinis iam inde oportet ab initio, qui ad vitam beatam euaſurus eſt, atque felicẽ.* Ceterum vt Plato conſiderans mundum iam conditum, & modum, quo a ſummo Deo gubernatur, ipſum apte Fuſo verticulis redimito, maſſamque fili iam gerenti comparauit; & Simmias exponens ænigmatice modũ, quo Deus ab initio mundum condidit, optime nobis eumdem ſub Oui ſimulachro repreſentauit; ita Mundo ſimiliter vterque, Veſlingi Clariſſime, rem non omnino ſphæricæ figuræ, ſed ellipticæ, teretis, ac oblongæ debuit æquiparare, quo Polorum differentiam, quæ longitudinis terminos conſtituit in mundo, nobis ob oculos ponerent hi duo ſummi ſcriptores. Quæ omnia in Tui gratiam ſcripta, tuæ cenſuræ ſubijcio, Vir egregie. Vale, & me amare ne ceſſes. Bonon. Idib. Aug. M DC XXXVII.

r Ius, vel Iudicium.

De Similitudine Dei, deque rerum dominatione, Cur in Angelo culpata, ſi homini conceſſa
Præſtantiſſimo Philoſopho Fortunio Liceto
Ioannis Bourdelotij

Epiſtola XXVIII.

Etſi vix decimus quintus abierit dies (Vir eruditiſſime) ex quo litteras, acceptorum a me beneficiorũ indices acceperis, quibus te meum in lectione librorum tuorum occupatum animum teneri certiorem faciebam: poſſemque merito ſtylum (ne continuo nomen noſtrum obtunderet) manumque cohibere: Aliud tamen humaniſſimus Franciſcus Lanouius ex erudita Minimorum familia conſequitur, & notorem Ignotus petit. Amico tam familiari, adde tam erudito; tantaq. rerum bonarũ ſupellectile inſtructo, notitiam tuæ celebratiſſimæ beneuolentiæ tam enixe poſtulanti reluctari, religio fuit. Sed ecce inſuper, quaſi F. Licetum ſolus poſſiderem, alius importunus fortaſſe mecum flagitator eumdem aditum per me tentat;

tat; & vt nuper libros geminos peperiſti,ſic ego duos tibi conciliare debeam & audeam: is eſt Baptiſta Poiſſonus, Vir quidem ſubactiſſimæ doctrinæ, nec publici ſaporis, & virtutum tuarum mirator aſſiduus. Ille per eos, quibus me tibi deuinctum vidit & credidit, affectuum in me tuorum nexus deprecatus eſt, vt Quæſtiones duas, quas ex infinitis diſcutiendas propoſuit, ad Te tranſmitterem, Iudicium, & ſolutionem quæſiturus. Vtrumque Tibi gratiſſimum fore non diffido, quem obuium ire cuilibet cordato, Sole verius ipſiſque ſideribus arbitror. Vtere igitur (V.E.) vtroque meo munere tamquam Philoſophiæ, quam vnus poſſides, delibatis floſculis, meque pararium amare perge. Vale. Lut.Par.XV.April. M DC XXXVI. Tibi ex voto I.Bourdelotius.

Nobiliſſimo doctiſſimoque Viro Ioanni Bourdelotio Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario, & Reginæ Matris ſupplicum libellorum Magiſtro Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

SVmmæ tuæ beneuolentiæ defero præclariſſimum munus mihi nunc oblatum, inclyte Bourdeloti, pretioſas nimirũ eruditionis atque doctrinæ geminas illas gemmas, Lanouium dico, & Poiſſonum, viros plane cordatos & amabiles; quorum amicitia nihil iucundius, in præſentia deſiderio meo contingere poterat; vt autem eos intimis medullis excipio, & perpetuos hoſpites condo; ſic Tibi tanto paratio gratias eas habeo, quibus reddendis imparem me fateor. De Quæſtionibus ſeorſum ad me datis, breuibus aperiam mea ſenſa, quæ tuæ cenſuræ plane ſubijcio, & inſignium virorum, quos recens amicos mihi feciſti. Cenſeo non geminam, ſed vnam & eamdem reapſe quæſtionem proponi, ſub titulis duas referentibus; idem enim mihi videtur ſimilitudo Dei, quam Homini dedit Omnipotẽs, & affectatam ab Angelo damnauit; & rerum dominatio, quam item Deus homini conceſſit, & in Angelo culpauit; Etenim quum Deus erga mundum habeat geminam habitudinem, quã Scholaſtici relationem appellãt, Rectoris Domini ſcilicet, atq.

Contem-

Contemplatoris Intelligentis: nam & voluntate practica mire
mundum *a* gubernat Deus optimus, omniumque rerum Vni- a *12. meta. t.56.*
uerſitati naturaliter dominatur; & intellectu ſpeculatiuo ſemet-
ipſum intelligens, intime cognoſcit res omnes mundanas ab ſe
conditas: Hominem creauit Deus ad imaginem & ſimilitudi-
nem ſuam (quantum attinet ad propoſitam quæſtionem) non
quoad vtrumque hoc attributum, ſed quoad alterum tantum,
nempe quoad Dominium in alias creaturas; quod innuit ſatis
aperte ſacra pagina, in qua legimus, *b Ait Deus, Faciamus* b *Gen. 1.*
*hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; & præſit pi-
ſcibus maris, & volatilibus cæli, & beſtijs, vniuerſæque terræ,
omnique reptili, quod mouetur in terra. Et creauit Deus homi-
nem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creauit illum: maſ-
culum & feminam creauit eos: Benedixitque illis Deus, & ait:
Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubijcite eam;
& dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis
animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Dixitque Deus: Ecce
dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vni
uerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt
ſint vobis in eſcam*: hoc itaque ſolum homini Deus dedit, vt
ſibi ſimilis foret, quoad attributum Dominij ſuper creaturas,
non autem quoad alterum attributum intellectus rerum om-
nium, vt haberet Deus hoc, in quo præſtaret homini, ſcilicet
Intellectum, qui datus eſt homini non in actu perfecto, ſed in
c potentia; quum Diuinus intellectus ſit actus puriſſimus, om- c *3. de an t. 5.14.*
nia ſemper intelligens in *d* actu: comminatuſque *e* Deus eſt d *12. meta. t.39.*
homini, ne comederet de fructu ligni ſcientiæ boni & mali, ne
præſumeret fieri Deo ſimilis vt in dominio, ſic in intellectu, at- e *Gen. 2.*
que adeo penitus in vtroque attributo: *Tulit ergo Deus homi-
nem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur &
cuſtodiret illum* (exercens actiones voluntatis practicæ, ac do-
minij iura; nam principis eſt regere ſubiectos, & cuſtodire
populos ſuæ curæ commiſſos; vnde dicuntur Paſtores Popu-
lorum) *præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradiſi comede:
de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quacumque
enim die comederis ex eo, morte morieris*, morte ſcilicet animę,
quæ peccatũ eſt; & eius culpa tandem etiam morte corporis;
hæc.n. per peccatum introiuit in mundum, vti ſcribit D.Paullus.

ad

f *cap. 5.* ad *f* Romanos: Etiamſi vero lignum ſcientiæ boni & mali nuncuparetur, non quod vim haberet ingenium acuendi, atque prudentiam augendi ſupra conditionem humanam; quod vafre perſuaſit olim ſerpens ille diabolicus Euæ; ſed quia guſtatum, ob inobedientiæ culpam multa mala adferret, ac per id homines experiendo diſcerent diſcrimen boni & mali; quod antea
g *14. de ciu. c. 17.* ſola contemplatione vtcumque didicerant; vt optime colligit ex SS.PP. *g* Auguſtino, *h* Cyrillo, *i* Theodoreto, & k Eu-
h *8. Gen. c. 6* cherio, Em. *l* Bellarminus: attamen Eua mater exiſtimauit,
i *3. cont. Iul.* diabolo credens, eſu pomi ſe vere ſciẽtiam boni & mali adep-
k *1. in Gen.* tum iri, ac ita ſe penitus euaſuram omniſciam, ſicuti Deus eſt.
l *to. 3. l vn. de gra pri. hom. c 17.* Quod crimen ne cum viro ſuo patraret Eua, Deus ideo præcepit vtriſque ne de pomo guſtarent: quam culpam Adamo Deus mox exprobrat, deridens ipſius iam lapſi demẽtiam, dum
m *Gen. 3.* ait, *m Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum.* Itaque Deus creauit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quantum ad creaturarum herile Dominiũ, quod illi dedit; non autem quantum ad ſcientiam, & exactam rerum omnium cognitionem, quam ſibi reſeruauit, & interdixit homini, vt haberet quo præcelleret homini, & ipſum in-
n *Gen. 1.* fra ſe, Dei cultorem contineret. Conſimiliter creauit Deus
o *11. de ciu. c. 7. 9.* Angelum (ſub nomine *n* Lucis, aut Cœli, vt ait D. *o* Auguſtinus, *p* Eucherius, & *q* Rupertus) ad imaginem & ſimili-
1. ſup. Gen. ad lit. c. 3. tudinem ſuam, non quoad vtrumque attributum, ſed quoad
12. cõſ. 9. 16. alterum tantum, nempe quoad intellectum, omnia ſemper in
p *Gen. 1.* Deo intime cognoſcentem: ſi enim homo factus eſt ad ima-
q *1. de Trin. c. 10.* ginem & ſimilitudinem Dei; multo magis & Angelus, qui creatura nobilior eſt homine, vt inquit *r* Pſalmiſta, *Quid eſt homo,*
r *Pſal. 8.* *quod memor es eius? aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paullo minus ab Angelis; gloria & honore coronaſti eum; & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Omnia ſubiecſti ſub pedibus eius.* Homo igitur factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quoad rerum mundanarum dominium, non autem quoad intelligentiam, & ſciẽtiam boni & mali: ſed Angelus factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quoad ſublimitatem ac perſpicaciam intelligendi, non autem quoad rerum mundanarum dominium: nec enim Angelicæ naturæ dedit Deus dominium operum ſuorum, rerumque

ab ſe

Digitized by Google

ab ſe creatarum, ſicut homini; vt haberet Angelus in quo ſummo Deo cederet, ne Altiſſimo prorſum ſimilis eſſet ac æqualis omnino, nimirum rerum mundanarum dominium. Quod quidem dominium dum ſibi tentauit arrogare primus Angelorum Lucifer, deturbatus eſt vna cum alijs pleriſque ſibi cõſentientibus de cælo beatorum in barathrum miſeriarum; & in pœnam delicti & arrogantiæ ſtatim amiſit multum de puritate perſpicacitateque ſuæ mentis priſtina. Quod olim cecinit Iſaias, inquiens, s *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes* (nimirũ & t Angelos tibi, peccanti contra Deum, conſentientes, & homines omnes in u Adamo tuæ ſuggeſtioni parentes) *qui dicebas in corde tuo, In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: & ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo: Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* Ad cuius confirmationem Ioannes ait, x *Et viſum eſt aliud ſignum in cælo: & ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptem* (quæ ſignificant ſeptem peccata capitalia, mortalia nuncupata) *& cornua decem* (quibus vim facere conatur pugnans contra decem præcepta Diuinæ Legis) *& in capitibus eius diademata ſeptem: & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli* (nimirum Angelos multos innocẽtes antea, ſed mox in peccato ſibi conſentientes) *Et factum eſt prælium magnum in Cælo: Michæl & Angeli eius prælıabantur cum Dracone: & Draco pugnabat, & angeli eius; & non valuerunt: neque locus inuentus eſt eorum amplius in Cælo: Et proiectus eſt Draco ille magnus, Serpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas: qui ſeducit vniuerſum orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt.* His puto quæſtionem habere poſſe non difficilem ſolutionem, eamque geminam; altera quidem eſt, quod Deus non eamdem ſui ſimilitudinem in homine poſuit, quã reprobauit in Angelo, ſed alterã in vtriſque probauit, alteram in vtriſque damnauit; probauit quidem in homine pariter, & in angelo Deus ſui ſimilitudinem & imaginem in vnico tantum attributo, volens Hominem eſſe ſimilem ſibi in Dominio Mundanarum rerum, & Angelum in Intellectu ac ſcientia boni & mali, ſiue mundanorum entium:

s cap. 14.
t Lyran.
u Geneſ. 3. Pau. Rom. 5 1. Cor. 15.
x Apoc. 12.

damnauit autem in homine ſimiliter ac in angelo ſui ſimilitudinem abſolutam, & imaginem quoad imperium ſimul & cognitionis perfectionem ac amplitudinem; quam affectare prçſumpſit & homo poſt adeptionem dominij rerum ſibi comparare ſtudens boni & mali ſcientiam, vt fieret ſicuti Deus, & qualis eſt Deus omnino: & eamdem affectare conatus eſt Angelus, qui poſt adeptionem Intellectus perſpicaciſſimi, quo poterat in Deo beari, cognitionemque rerum omnium pleniſſimam beatus adipiſci, tentauit euadere Dominus Vniuerſi, qualis eſt Deus, dum ſedem ſuam, ſoliumque ſuum exaltare ſuper aſtra Dei, & ſedere in monte teſtamenti, ac ita fieri ſimilis Altiſſimo; nam Solium, Sedes, Altitudo, Superioritas, omnia & ſingula Dominij ſymbola ſunt, & Imperatoriam maieſtatem indicant. Altera vero ſolutio eſt, quia Deus voluit, ſui ſimilitudinem ab homine pariter & ab angelo cognoſci donum liberalitatis Diuinæ, non autem propriæ virtutis præmiū, neque propriæ violentiæ rapinam. Quare dum homo Deum non poſcens, ſed contra Dei præceptum ſibi, Deo inuito omnis ſapientiæ domino, clam rapere tentauit ſcientiam boni & mali, & abſolutam Dei ſimilitudinem: dumque ſimiliter angelus viribus proprijs fretus tentauit ſibi rapere rerum dominium æquale Diuino, & propria vi collocare ſibi ſolium Imperatorium ſuper aſtra & opera Dei, nec tale Dominium ſupplex a Deo ſibi deprecatus eſt; vterque meruit a Diuina Iuſtitia condemnari. Quod innuit D. y Paullus aſſerens *De Chriſto Ieſu, qui quum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo*, ideſt, vt ait Gloſſographus, *non vſurpando quod ſuum non eſſet, vt diabolus, & primus homo*. Secus enim Deus imperium, & principatum Vniuerſi benignus impertitur colentibus ſe tum Angelis, tum hominibus; qui colitur vere Rex Regum, & Dominus Dominantium tam hominum, quam angelorum beatorum. Sed huiuſmodi theologica non ita decenter a Philoſopho requiri videntur; ea tamen vtcumque tractaui, vt ſchedæ tuis in litteris incluſæ, adeoque iuſſioni tuæ parerem. Vale. & me ama. Patauij. Prid. Id. Maij. MDCXXXVI.

y *ad Phil. cap. 2.*

De Mercurio turpante Ouum Simmiæ, cumque Aſino deſciſcente a via ſingularis inceſſus.
Cl. eruditiſſimoq. Viro F. Liceto I. Bourdelotius S.P.
Epiſtola XXIX.

FIdem ac diligentiam noſtrã hactenus obligatam tibi (V.C.) liberare tandem liceat, aut ſaltem pro parte ſubleuare. Enimuero quum animalium genera recenſeo, quædam inuenio periculoſa, alia moleſta, quædam improba: quo in eorum genere typographicam auariciem, recenſeri velim, non me fugit, & tecum ſentio: illos ſæpiſſime vidi Cerberos; quibus niſi ramus aureus adfulſiſſet, Aeneas non euaſerat. Sed de noſtro Cottardo nihil tale dubitandum tibi. Valetudine minus robuſta fultus, huic ſtabiliendæ, vt conſentaneum eſt, plurimum intendit, ita vt relictis maioribus ac ſeuerioribus curis, & veteri ſacrorũ ritu ac formula HOC AGAT. Nunc vbi te diutinæ tædium expectationis moleſte ferre deprehendit, moram emendaturus maturandis laboribus accingitur. Quid moliatur, ipſius ad humanitatem tuam litteræ teſtabuntur. Attende igitur paululum, ſi placet, iam lętaberis. Admonet autem Iacobus Gaffarellus noſter, litteris ac beneuolentia vir pleniſſimus, te duo librorum tuorum diuinorũ volumina dono dare. Muneri quidem gratulor, & accipio libens ab amico atque his opibus abundanti; & quum gratias referre nunc non habeam, habeo tamen gratiſſimas. Celebratur apud quamplurimos Cremonini tractatus de Anima (quam mortalem vt peripateticus voluit, immortalem vt Chriſtianus) neſcio an publico donatus. Nondum mihi videre contigit: Si quis collegarum peculiarem habuerit, non quem publice dictauerit, exſcriptionis mercedẽ libentiſſime reponam. Fac (vir eruditiſſime) ſi vacat, & placet, vt hoc tibi, vel Tomaſino meo beneficium debeam, animi propenſioris affectibus ſoluturus. Vale vir optime, & me tui & ſollicitum fidei datę ſpõſorem boni nominis expecta. Lutet. Pariſ. 29. Auguſt. M DC XXXIV. Tibi Addictiſſimus I. Bourdelotius. Poſt ſcripta. Audio a Gaffarello noſtro, Te de Mercurio Simmiacum Ouum deturpante, cumque Aſino deſciſcen-

te a via ſingularis inceſſus, recondita quædam commentari; quæſo, ſi fas eſt, eorum me participem facias. Iterum vale.

Cl. eruditiſſimoque Viro Ioanni Bourdelotio Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

NVnquam de tua benignitate, nunquam ego de Cottardi noſtri ſedulitate dubitaui (Cl. Vir) certe vulgarium impreſſorum huius æui Cerbeream auariciem, quæ ſolum aureo Aeneæ ramo patitur exorari, Clodouęus iſte non induit; aſt indolem nobilis Tireſiæ gerit, quæ nihil aliud quam ſacrificia precum ab Vlyſſe meo poſtulauit. Morbus, quo tamdiu, & tam male conflictatus eſt, moras operibus meis nectere potuit, quas nec humanitas tua, nec vota mea, nec illius diligentia diſſoluere valuerunt. Summo Deo gratias habeo perennes, qui reſtituto priſtinæ ſaluti Viro Cordato, nos omnes ab anguſtia liberos eſſe voluit, effecitque vt iam adeptæ ſalutis, & incœpti operis indicem foliolum heri receperim, hoc vtroque nomine mihi gratiſſimum. Expecto maximo cum deſiderio quas innuis Typographi noſtri litteras, eius nuncias moliminis, a quo mihi lætitiam polliceris. Cremonini, non ita pridem in hoc Antenoreo Lyceo Collegę mei, tractatus ille de Anima, quem apud Vos in præſentia plurimi celebrare videntur, continet illius Viri prælectiones ad Ariſtotelis libros eiuſdem tituli, quas ipſe viuens e publico ſuggeſtu ſuis auditoribus dicere ſolebat: Reperitur hic tractatus penes eius diſcipulos aliquot manuſcriptus, nec vnquam Typographi manum expertus eſt: ſi, quem exoptas, hic eſt; me de hac re commonefacere ne graueris; quia curabo vt quamtocyus exſcribatur, & ad te tranſmittatur. Tomaſinus noſter in Vrbe non eſt, ſed ruſticatur; propediem tamen aderit; & a me quamprimum tuas litteras mihi cōmendatas recipiet. Sed quod a me Mercurij Simmianum Ouum fœdantis, & cum aſino deſciſcentis a via ſingularis inceſſus meam explicationem poſtulas, iam tua iuſſa capeſſentem habe. Totum quidem Ouum in Encyclopędia longiuſcula, duplici conatus olim ſum explicatione manifeſtum reddere;

nunc

nūc illius partis ad Mercurium attinentis geminam in arctum colligam explanationem: Altera quidem harum in Ouo cognoſcit Mundi primæuam Originem, & creatarum rerum dominium primis parentibus adhuc innocentibus a ſummo Deo conceſſum, & a malo dæmone turbam initio maximam in mundo factam, cum ordinis rerum mala peruerſione: altera vero Poetices exilium a ſcriptoribus omnium diſciplinarum reprobat; illam paullo latius expromam, hanc ſtrictius attingam, vt in epiſtolio clauſæ ſchædulæ tuæ reſpondeam. Sane verſiculi Simmiæ ſunt de Mercurio tractantes in Ouo

Τῶ μὲν θεῶν ἐριβόας
Ερμῆς ἤκιξε κάρυξ, ἄνω δ' ὄρ-
σας ἐκ μέτρυ μονοβάμονος μέταν
πάροιθεν αἶξε; θοῶς δ' ὕπερθεν ὠκὺ,
λέχριον, φέρων νεῦμα ποδῶν πίασκε
θοαῖσι τ' αἰόλαις κῶλα . . . . . .

Quæ ſigillatim explicanda ſunt, duas in partes diſtributa; prima quidem breuior eſt, † τῶ μὲν θεῶν ἐριβόας Ερμῆς ἤκιξε κάρυξ, *Huic quidem Deorum clamoſus Mercurius caduceator notam inuſſit*. In Mundi naſcentis allegoria ſignificat autor, Ouo Mundi, a Deo virtute vocis ſuæ creati cum optima & pulcherrima rerum diſpoſitione (*nam* a *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: igitur perfecti* b *ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum*) Mercurium caduceatorē, Deorum clamoſum, notam inuſſiſſe, ac eius ornatum pulchritudinemq. deturpaſſe, rerumq. mundanarum ordinem mirificum diſturbaſſe, mundumque vitiaſſe: nempe Luciferum, qui Diabolus eſt, *c* mendaciorum Deus, imagine *d* ſerpentis aſſumpta, caduceo linguæ vipereæ, mundanarum rerum pulcherrimum ordinem a Deo ſummo rebus inditum fœdaſſe; primum quidem dum ſe ſimilem Altiſſimo *e* reddere præſumpſit exaltare ſolium ſuum ſupra locum ſibi conuenientem, vna ſecum detrahens de cælo *f* tertiam partem ſtellarum incorporearū, nimirum magnam Angelorum manum trahens de paradiſo cæleſti in terræ barathrum. Deinde vero primos homines fallaci perſuaſione de ſtatu gratiæ ac innocentiæ, deque paradiſo ter-

† *Explicatio prima.*
a *Gen. 1.*
b *Gen. 2.*
c *D. Th. 1. p. q. 65. 1. & 22. q. 165. 2.*
d *Gen. 3.*
e *Iſai. 14.*
f *Apoc. 12.*

reſtri

Digitized by Google

reſtri voluptatis, in quo creaturis vniuerſis ex priuilegio &
g *Gen. 3.* gratia ſibi a Deo conceſſa g dominabantur, extra paradiſum illum in ſtatum ærumnarum, creaturis omnibus rebellione peccatores auerſantibus, miſeros deturbauit: cuius h draco-
h *Apoc. 12.* nis lethaliter ſibilantis, & Leonis alte i rugientis inſanum cla-
i *Petr. 1. c. 5.* morem teſtatur & deteſtatur non ſemel ſacra pagina. Quam hominum ruinam ab antiquo ſerpente, malum male ſuadente doloſis perſuaſionibus, nō ſolum apud Moſen, aſt etiam apud Sibyllam legere potuit Simmias; nam & Moſaica verba proſtabant æuo Simmiæ, notata ſuperius, vbi ſerpens calliditate
k *Gen. 3.* k notatur circumuenire, decipereque mulierem omnium viuentium matrem: & Sibyllæ carmina talia videre quiuit,

Καὶ μετέπειτα δὲ τοῖσι θεὸς ἐφετμὰς ἀγορεύσας,
Δεῖξεν τοῦ δένδρου μὴ ψαύειν. τοὺς δὲ μάλ' αἰνῶς
Ἐξαπάτησεν ὄφις δολίως, ἐπὶ μοῖραν ἀπελθεῖν
Τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦ τε.
Ἀλλὰ γυνὴ πρώτη προδότις τῷ γίνετ' ἐκείνῳ,
Ἡ δῶκεν, τοῦτον δ' ἀδαῆ πείθεσκεν ἁμαρτεῖν.
Ὃς δὲ γυναικὸς ἔπεσσι πεπεισμένος ἐξελαθέσκεν
Ἀθανάτου κτίστου, σαφέων δ' ἀμέλησεν ἐφετμῶν.
Τοὔνεκεν ἀντ' ἀγαθοῖο λάβον κακὸν οἷ' ἐπέπραξαν.

Quæ ſic Opſopæus Latina fecit,

Illis deinde Deus tradens præcepta, cauendum
Arboris oſtendit guſtu. Sed peſſimus illos
Decepit vafre ſerpens, vt mortis abirent
In fatum, ſcirentque bonumque malumque quid eſſet.
Sed mulier primo proditrix extitit illi,
Quæ dedit, ignaraque rei peccare ſuaſit.
Ille quidem audita perſuaſus coniuge, patrem
Aeternum oblitus, ſpreuit clariſſima iuſſa.
Hoc ergo peperere ſibi mala, non bona, facto.

Graphice vero nobis in Aeno Simmias depinxit Diabolum per Deorum clamoſum Mercurium caduceatorē notam Ouo inurentem; nam Mercurius fingitur Iouis filius, & Lucifer fuit Dei ſummi prima creatura: Mercurius poſt Iouem inter Deos ſecūdos Triceps dicebatur, vt ex Cicerone Seruius notat apud Gyral-

l Gyraldum, quia tres Mercurij forent, terrenus, ſuperus, & l Synt. 9.
infernus; Interpreti vero apud Lycophronem in Alexandra Mercurius Tricephalos dictus, quod cœleſtis ſit deus, & maritimus, & terrenus. Ita Diabolus ante peccatum fuit ſuperus in cœlo degens, poſt peccatum e cœlo depulſus, angelos ſibi conſentientes, partim ſupra terram hominibus inſidiantes reliquit, partim ad inferna loca detruſos ad animas hominum damnatorum affligendas vna ſecum duxit in infernum. Quin poſt eorum ruinam alij Dęmones in aere, qui cœlum etiam vocatur, remanſerunt, alij in aqua tempeſtatum immanium excitatores, alij in terra mortalium tentatores, atque tortores. Poſtremo dicitur diabolus Mercurius etiam Triceps, quia triplici genere criminũ capitalium homines perdere ſatagit, dum eos peccare ſuadet opere, ſermone, cogitatu. Vocatur e numero Deorum, quia Veteres Deorum nomine ſignabant naturas angelicas omnes etiam infra ſupremum Deum ſitas: & in ſacra pagina quoque legitur, *m Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis; terribilis eſt ſuper omnes Deos. Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autẽ cælos fecit*, pulchros nimirum & ornatos ſtellis tam ſpiritualibus, quam corporalibus: at illis Ouum Mundi compaginantibus notã inuſſit Deus gentium Mercurius, tertiam partem ſtellarum de cœlo ſecum trahens in terram. Dicitur etiam clamoſus, quia munus Diaboli eſt accuſare mortales ante thronum Dei; quod in ſacris litteris habetur, *n Et proiectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit Vniuerſum Orbem: & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum illo miſſi ſunt. Et audiui vocem magnam in cælo dicentem, Nunc facta eſt ſalus & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte*; accuſatoris autem proprium eſt clamoſum eſſe atque perſtrepere. Vocatur apte diabolus, ἑρμῆς, Mercurius, tum quia Mercurij nomen Platoni ſignificat in Cratylo, ſermonem, & machinamentum; nam, vt ait Proclus, *ἑρμῆν ab eo quod eſt εἴρειν, καὶ μήσασθαι, quod loqui excogitauerit, & machinatus ſit, interpretati ſunt, quaſi* εἰρέμην; Diabolus autem vt primos parentes, & in ijs

m Pſal. 95.

n Apoc. 12.

omnes

omnes eorum deſcendentes fallaci voce ſeduxit, atque quotidie ſeducere tentat; ita prius ante conditos homines, clamore petulantis audacię multos angelos pariter ſeduxit mala perſuadens: tum quia Mercurius apud antiquos audit δόλιος, ideſt, doli & fraudis artifex, & fraudulenta calliditate decipiens, vt
o pag. 44. ſphær. Pr. obſeruarunt Haly apud Proclum, notante *o* Stoeflero, *p* Gy-
p Synt 9. raldus, & *q* Mythologus Comes; quod epitheton diabolus an-
q l.5.c.5. tiquus ſerpens habuit a Sibylla, vt nuperrime vidimus: tũ quia
r 4. Aen. Mercurius, vt ex *r* Virgilio conſtat,

Virgam capit, hac animas ille euocat Orco,
Pallenteſque alias ſub triſtia tartara mittit,

quod proprium officium eſt diaboli; qui ſicut olim Angelos malos ſecum duxit e cœlo in tartarum, ita quotidie reproborum hominum animas proijcit de telluris ſuperficie in centrũ: & ſicuti cacodęmones ex orco mittit imperans illis ad ſeducendos homines, & ſeductorum animas trahendas ad tartarea loca; ſic earumdem animarum iugiter aliquas ex Orco mittit ad magos & ariolos nequam viuẽtes apud nos, vt ad Pythoniſ-
s 1. Reg. 28. ſam olim a *s* Saule rogatam ex inferno miſit animam Samuelis, permittente Deo de Lymbo ſcilicet, vt adnotat D. Auguſtinus, & ex eo Lyranus in gloſſa. Dicitur etiam apte diabolus caduceator; caduceũ.n. eſt ſymbolũ pacis virga, cui complicati ſunt duo ſerpentes, odium & fraus, quibus in humanum genus aſſidue ſæuit, ſub ſpecie pacis atque boni decipiens ac perdens mortales ei morem gerentes. Dicitur etiam diabolus Ouo mundi notam inuſſiſſe, quia procaci dudum æſtuans libidine Deum ſuperiorẽ ſe non agnoſcendi, turbauit ordines tum Angelorum, quos vna ſecum de cœlo traxit in tartara; tum hominũ, quos de paradiſo voluptatis, in ſuperficie terræ ſito, pepulit in terræ centrum, ad cęli gloriam deſtinatos: tum elementorum, ignem de ſublimi loco trahens in infimum vniuerſi centrum ad animas hominum ſontium, & mentes Angelorum rebellium Deo ſecum cruciandas. Quam veritatem illico nobis innuit in ænigmatico Ouo Simmias addens, ὄγκῳ δ' ὄρουσας ἐκ μέτρου μονοβάμονος μέταν πάριθι αἴξε θοῶς δ' ὑπερθεν ὠκὺ λέχριον, φέρων νεῦμα ποδῶν πίσυνε θοαῖσι τ' αἰόλας κῶλα, ideſt, *Cumque aſtro impetu deſciſcens a metro ſingu-*

laris

laris inceſſus ob ipſum Onum contigue proſilijt: citoque deferens celerem obliquum ferens greſſum pedum premebat iugis pernicibus membra. Quia Lucifer dæmon ſpirituali quadam luxuria, cuius typus eſt aſinus, qui fuit eius cacodæmonis irrationalis appetitus, deſciuit a recta via, quæ ſingularis eſt, gubernandi mundum cum *t* ſubordinatione ad ſupremum Deum, qui ſolus eſt Altiſſimus; aſt illico creatus Angelus ille, malitiam peruerſæ libidinis induens animo, oblique inceſſit in via boni regiminis, ac ſalutis omnium rerum mundanarum; preſſitque membra naturæ Angelicæ, choros nimirum varios Angelorũ, ſecum deprimens iuga pernicia, montes videlicet Angelicæ naturæ, quæ ob materiæ carentiam a pernicitate fingitur alata; & ob eſſentiæ præſtantiam, qua *u* ſupergreditur humanum genus, montium nomine ac iugorum excelſitate deſignatur in gripho. Porro Luciferi primum peccatum fuiſſe luxuriam quamdam ſpiritualem potius quã ſuperbiam, profitetur Subtiliũ Theologorũ Princeps inquiens de *x* Lucifero, *Ideo dico quod primũ peccatum eius non fuit ſuperbia proprie dicta; ſed propter delectationem, quam importabat, magis videtur reduci ad luxuriam; ſicuti peccatum, quo inordinate delectatur quis in ſpeculatione concluſionis geometricæ, ad luxuriam reducitur.* & mox. *Quantum vero ad deordinationem velle concupiſcentiæ, videtur quod ille appetitus beatitudinis non fuerit proprie ſuperbia: non quidem quantum ad primam eius ſpeciem, patet, quia præſumptio, ſecundum quod expoſitum eſt in præcedenti articulo, ſi pertinebat ad primum velle ordinatum amicitiæ, non pertinet ad aliquod velle inordinatum concupiſcentiæ: & ſi ad aliquod debeat reduci, videtur magis concordare cum peccato luxuriæ: licet enim proprie luxuria ſit in actibus carnis; tamen omne delectabile immoderate appetitum, in quantum delectabile, poteſt dici luxuria; ſi non eſt excellentia appetita; qualis non fuit iſta appetitio beatitudinis:* vt apte Innocentiæ primi hominis, quæ nomine caſtitatis deſignata nuperrime fuit a Simmia in eodẽ Qui gripho, cõtraponatur nunc primi Angeli peccatum, in genere Luxuriæ a Subtili Scoto repoſitum. Sed & huiuſmodi crimen Dæmonis primum, belle deſcribi per Aſinum mendaci vafroque Mercurio iunctum, inde conſtat aperte, quod obſeruatu *y* Pierij *notatur Aſinus apud Aegyptios omnium quadrupedũ Inuerecundiſſimus.*

t 12. meta. l.53.56.

u Pſal. 8.

x 2. ſe. d.6. q.2. a.2.

y l.12. hiero

diſſimus. Quin & ad propoſitum noſtrum accomodatiſſime ſcribit idem Valerianus, *Immodicam vero petulantium luxuriã per animal hoc in diuinis litteris notari, indicio eſt, quod celeber ille Propheta ait, z Quorum carnes ſunt vt carnes Aſinorũ. Et Plato, dum Antiquorum figmenta ſequitur; & ſacratioris illius doctrinæ, quam apud Aegyptios perceperat, arcana propalaret, hæc non incurioſe tractauit; ac de alijs quidem animalibus paſſim multa, de Aſino vero hoc præcipue dixit, diſputante apud Phædonem Socrate, Homines, qui fœdis concupiſcentijs manus dediſſent, ventrique deliniti per inertiam atque laſciuiam ingloriam inutilemque egiſſent vitam, neque quicquam penſi, pudoriſve habuiſſent, in Aſinos poſt obitum deijci*. Sic & Lucianus, & Apuleius, quod alter muliercułæ Paleſtræ, alter Fotidis libidinibus mancipatus eſſet, fingit vterque ſe mutatum in aſinum fuiſſe, ac in ea forma luxurioſiſſimæ cuidam alij non de plebe feminæ cupiditatibus obſcœnis inſeruiuiſſe. Quare Luciferum per luxuriam vitæ gratiæ ac innocentiæ mortuum, in aſinum abijſſe, cumque aſino copulatum fuiſſe; quod, vt paullo poſt addit Pierius, *Aſinum Aegyptij adeo impurum exiſtimabant, vt animal etiam Dæmoniacum arbitrarentur, propter quamdam cum eo ſimilitudinem*. & infra. *Quantum vero pertinet ad impuritatem, apud alios vni Priapo ſacer habebatur, ob verendi ſcilicet enormitatem, qua ſupra modum præditi ſunt Aſini; atque inde ſunt ad generandum admodum ſegnes; compertumque eſt, omnes alios, ea genitali productione conſpicuos, ad generandum ineptos eſſe, quod in emiſſione per eam longitudinẽ ſemen tranſmeans & hebetetur, & frigidius fiat. Neque vero noſtro tantum tempore viri huiuſmodi Aſinorum inſtar habentur, ſed olim etiam, vt gratiſſimus ille Imperatori Commodo, qui de Pene vltra animalium modum prominente a Onos appellatus eſt, eaque de cauſſa ditatus, & Herculis ſacerdotio præpoſitus. Tacebo Heliogabali emiſſarios, in huiuſmodi genus monſtrorum conquiſitionem: tacebo noſtrorum etiam temporũ opprobria*. Non tacuit attamen Poggius Florentinus puellam nuper nuptam, quæ de viro ſuo ceu virili parte manco conquerebatur quod faſcinum haberet aſinino minorem: Hæc non ad prolem, vt b Sara, ſed luxuriæ cauſſa viro nupſerat; nam c Ariſtotele doctore, *refrigeratur genitura propter moram longioris itineris: quod ijs*

z *Ezech.* 23.

a *Aſinus.*

b *Tob.* 8.

c 1. *de gen. an. c.* 6.

quoque

quoque accidit, quibus penis immodicus eſt; ſunt enim infecundiores ijs, quibus medıocris, proptereaquod ſemen frigıdum infecundum eſt; refrigeratur autem quod longe admodum fertur. Montium vero, iugorum, colliumque nomine Veteres, præſertimque ſacros autores indicaſſe naturas Angelicas, ac ſpeciatim vocabulo iugorum pernicium, habentium membra, nihil aliud quam Angelos intellexiſſe, conſtat ex eo ſatis, tum quod iuga vulgaria nō poſſent vlla pernicitate donari, quum immobilia ſint: tum quod montes membra nō habent, neque membrorum imaginem; vt apparet ex Vitruuio; *d* cui *Dinocrates Architectus, cogitationibus & ſolertia fretus, quum Alexander rerum potiretur, profectus eſt a Macedonia ad exercitum, regiæ cupidus commendationis. Is e patria a propinquis & amicis tulit ad primos ordines & purpuratos litteras, vt aditus haberet faciliores; ab eiſque acceptus humane petijt vt quam primum ad Alexandrum perduceretur: quum polliciti eſſent, tardiores fuerunt, idoneum tempus expectantes. Itaque Dinocrates ab ijs ſe exiſtimans illudi, ab ſe petijt præſidium: Fuerat enim ampliſſima ſtatura, facie grata, forma dignitateque ſumma. His igitur naturæ muneribus confiſus, veſtimenta poſuit in hoſpitio, & oleo corpus perunxit, caputque coronauit populea fronde, læuum humerum pelle leonina texit, dextraq. clauam tenens inceſſit contra tribunal Regis ius dicentis. Nouitas populum quum auertiſſet, conſpexit eum Alexander; & admirans, iuſſit ei locū dari vt accederet, interrogauitque quis eſſet: at ille, Dinocrates, inquit, Architectus Macedo, qui ad te cogitationes & formas affero dignas tua claritate: namque Athon montē formaui in ſtatuæ virilis figuram; cuius manu læua deſignaui ciuitatis ampliſſima mœnia, dextra pateram, quæ exciperet omnium fluminum, quæ ſunt in eo monte, aquam, vt inde in mare profunderetur. Delectatus Alexander ratione formæ, ſtatim quæſiuit, ſi eßent agri circa, qui poßent frumētaria ratione ciuitatē tueri; quumq. inueniſſet nō poſſe niſi tranſmarinis ſubuectionibus, Dinocrates, inquit, attendo egregiam formæ compoſitionem, & ea delector; ſed animaduerto, ſi quis deduxerit eo loci coloniam, fore vt iudicium eius vituperetur: vt enim natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci; ſic ciuitas ſine agris, & eorum fructibus in mœnibus affluentibus non*

d l. 2. in pro.

poteſt creſcere, nec ſine abundantia cibi frequentiam habere, populumque ſine copia tueri; Itaque quemadmodum formationem puto probandam, ſicque iudico locum improbandum; teque volo eſſe meum, quod tua opera ſum vſurus. Sic ergo montes non habent a natura membra, ſed ea ſibi poſſunt ab arte mutuari: quum Angeli viciſſim ob miram pernicitatem in Dei mandatis
c *Exod.* 27. exequendis, alas habere *e* dicantur, & membris humanis aſ-
3. *Reg.* 27. ſumptis *f* apparere conſueuerint, & g pingi vel in ſacris lit-
2. *Paral.* 3. 5 teris: tum quod Iobi patientis illa verba, *b Nunquid primus*
f *Gen.* 18, 19 32. *homo tu natus es, & ante colles formatus?* Lyranus interpre-
Lyran. ibid. tatur, *quaſi diceret, es tu ne ſapientior primo homine, vel primo*
g *Exech* 1. *Angelo, qui creatus fuit cum mundo ſenſibili?* & illa Pſalmiſtæ,
h *cap.* 15. *i Leuaui oculos meos in montes*, ideſt, *in Angelos*, aiunt Au-
i *Pſal.* 120. guſtinus, Lyranus, & Genebrardus in gloſſis: & illa, k *Suſci-*
K *Pſal.* 71. *piant montes pacem populo, & colles iuſtitiam*, Lyranus idem explicat; *Montes, ideſt Angeli, ſecundum quod dicitur infra,*
l *Pſal.* 124. l *montes in circuitu eius, ideſt Angeli, ſecundum quod exponit Auguſt. qui receperunt mandatum a Deo denunciandi pacem fi-*
m *cap.* 2. *deli populo in Chriſti natiuitate, ſecundū quod in Luc.* m *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum, & dicentium, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: Et colles iuſtitiam; per colles, qui ſunt mon-*
n *Lyran. in Pſ.* 86 *& in Apocal.* 2. *tes minores, intelliguntur* n *Apoſtoli*. Sic o Genebrardus, *Tribuit Deo volatum, & aſcenſum ſuper Cherubim pennigeros, ad celerrimam Dei tutelam, & præſentiſſimam opem repreſen-*
o *Pſal.* 17. p *cap.* 1. *tandam.* & mox. *Cherubim vt animalia pennigera in* p *Eze-*
q *cap.* *chiele, & in* q *Apocalipſi: ſic Iridi, & Mercurio Deorum nuncijs Poetæ alas aſſignant.* Quum autem montibus, & collibus commune nomen iugorum ſit; & Apoſtoli iuga pernicia dicantur eo nomine, quo citiſſime in omnem terrā perrexerunt, quaſi volantes, prædicare legem Chriſti Domini; & Angeli
r *Pſ.* 89. pariter montium, & collium nomine intelligantur ab r Augu-
s *Serm.* 9. *in Qui hab. & Ser.* 85. *Can.* ſtino, s Bernardo, t Arnobio, atque u Hieronymo: profecto nunc apte dicitur a Poeta, Mercurius cum aſino caducea-
t *Pſal.* 113. tor cito deſuper celerem ferens obliquum greſſum pedum pre-
u *in Exech.* 35. mere membra iugis pernicibus; tum quia obliquo exemplo tranſgrediens legem Diuinam, non recte incedens in via mandatorum Dei, pepulit depreſſitque Lucifer multos Angelos

de

x dè cæli gloria ſublimi in inferni miſeriam: tũ quia Iudã Apoſtolum proditorem ad y laqueum addictum ſuſpendens ſuffocauit. Inceſſus autem ſingularis, myſtice ſignificat rectã viam ad ſalutem, & veram Diuinæ legis doctrinam; etenim ad ſalutem via recta ſingularis eſt vnica; vnde z Pſaltes, viam man datorum tuorum cucurri: ac reuera via ſalutis eſt omnium virtutum, & mandatorum Diuinæ legis vnica obſeruatio; via vero perditionis eſt multiplex, quarum alia eſt via ſuperbiæ, alia luxuriæ, alia auaritiæ, alia iræ, alia id generis; nam ſi quis in vno mãdato deliquerit, etiamſi reliqua ſeruet omnia præcepta, ſaluus eſſe non poteſt, ſed miſere damnatur: quam ob rem frequentiſſime vel ſacra pagina viam ſingularem accipit in bonam partem, pro via ſalutis; vias in malam, pro vijs ad interitum: ſic apud a Pſalmiſtam. *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum eſt: veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinẽ. Contritio, & infelicitas in vijs eorum; & viam pacis non cognouerunt; non eſt timor Dei ante oculos eorum. Deus in ſancto* b *via tua. Dominus cuſtodit aduenas, pupillum, & viduam: &* c *vias peccatorum diſperdet. Vias* d *meas enunciaui, & exaudiſti me; doce me iuſtificationes tuas. Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.* Ita ſimiliter apud Salomonem, e *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat cõfidenter: qui autem deprauat vias ſuas, manifeſtus erit.* Itidem apud Eccleſiaſticum, f *Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua: Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis, & iuſtitiæ.* Sic ergo Mercurius cum aſino impetu deſciſcens a metro ſingularis inceſſus, eſt Dæmon ob inordinatam concupiſcentiam deuians a recta via Diuinæ legis: & quia ſtatim creatus errauit, atque deliquit, ne morulam quidem ducens ante peccatum, quo ſecum traxit alios Angelos in culpam, & primos homines itidem in noxam; ideo dicitur cito deſuper celerem obliquum ferre pedem, & premere membra iugis pernicibus, vt antea notatum eſt. Niſi etiam pernicia iuga dicantur vincula, quibus Lucifer ab initio ſtatim & angelos, & homines, tanquam g equos & mulos, quibus non eſt intellectus, colligauit, & preſſit, depreſſitque de ſtatu innocentiæ in miſeriæ ſtatum.

x Apoc. 12.
y Matt. 27. Act. 1.
z Pſal. 118.
a Pſal. 13.
b Pſal. 145.
c Pſal. 118.
d ibid.
e Prou. 10.
f c. 5.
g Pſal. 31. Genebr.

Ceterum

† *Explicatio ſecunda.* † Ceterum & aliã in Encyclopædia noſtra ad hoc Ouum Simmiæ propoſitorum verborum ſignificationem attulimus: quam libet hic breuiter attexere, nempe cauſſam his Simmias affert, cur ſuum hoc Ouum Caſtæ Dianæ dicauerit, ideſt menti artis poeticæ ſtudioſæ donauerit, quia ſcilicet arti poeticæ dudum in Ouo, ac velut in incunabulis exiſtenti, Mercurius ille nugarum condus, & verborum promus, vt puta deorum nuncius, ex officio caduceator, iniuriam fecit; nempe ſophiſta quilibet blaterator, & alius quiſque philoſophus æuo Simmiæ degens, caduceo linguæ, ſermone rudi ac vehemẽti, Poeticæ arti inuſſit maculam verborum popularium, phraſiumque rudium ac inelegantium. Videlicet, conqueritur nunc Simmias de iniuria Poeſi quõdam illata a Mercurio, ſeu ab humano intellectu, qui Mercurij nomine ſignificatur in præſentia, quod is ſcientiarum deus eſt, & intellectus humanus natura ſcientias *h* appetit, eaſdemque ſtudio procreat, colit, & induit; vetuſtiores enim Philoſophi omnes ad vnum, metris & fabularum integumentis cum diuina, tum naturalia, moraliaque ſingula argumenta tractare conſueuerant, ne liberales artes ingenuaſque diſciplinas vulgo proſtituerent, ac inquinarẽt ſordida ſeruiliq. idiotarum mentium contagione; quemadmodum ex Platonis Ione conſtat, & ex *i* Ariſtotele; apertiſſimumque habemus in Empedocle, & Lucretio, qui metrice poeticeque Phyſiologiam, quæ rerum naturalium ſcientia eſt, excoluerunt; & in Heſiodo, Virgilioq. qui conſimiliter agriculturam poetice docuerunt; & in Homero pariter, ac in Heſiodo, theologiam, moralemque philoſophiam eadem ratione poeticis carminibus conſcribente: quin & in Q. Sereno, Nicandro Colophonio, Damocrate, k Galeni teſtimonio, & alijs medicinam metro conſcribentibus; & in Macro vires herbarum carmine dicẽte; in Dauide, Moſe, Salomone, ceteriſque Prophetis atque Sibyllis Diuinam hiſtoriam, & altiſſima veræ Theologiæ myſteria verſu ad poſteritatem tranſmittentibus: Simmiæ vero temporibus, & paullo ante, omiſſa prorſum Poeſi, ac in Ouo ſui natalis fere penitus neglecta ab omnibus ſapiẽtibus arte metrica, Philoſophi rerum phyſicarum, & animalium ſpeciatim, moraliumque, ac diuinarum attributa Theologi cœperunt nude, ſine vllo verborum delectu, aut troporum ornatu docere, poeſim omnino

h *1. meta. init.*

i *1. met ſu. 3. c. 1. & ſeqq.*

K *8 ſimpl. med fac c. 10*

omnino poſthabentes. Donans igitur Simmias Ouum poeticum, hoc eſt, Poeſim ab Ouo, ſiue in Ouo conſiderandam proponens, ac prima liberalium artium incunabula Poeſi coniunctarum meditanda offerens, dolet de iniuria dudum a Mercurio, ſeu ab humano intellectu Arti Poeticæ illata, dum relictis carminibus, traditaque Phœbo teſtudine, vt notauit Homerus in hymno Mercurij, ſe ſe conuertit ad negotia corporalia, ſignata per quadrupedum curam; de qua ſtatim infit Simmias indicans non tam ſenſu litterali motum planetæ, quam ſenſu myſtico Poeticæ neglectum ab antiquis ſophis: primum quidem, quia Planeta Mercurij motum habet inter ſtellas cœleſtes maxime difformẽ ac irregularem; vnde *l* Clauiana, & *m* Purbachianæ obſeruatione Mercurio tribuerũt Aſtrologi quinque orbes, & epicyclum; etenim tot habet Mercurij Planeta motuum *n* varietates, ac tergiuerſationes, quot vix omnes ſimul reliqui planetæ; quia modo procedit, modo retrocedit, modo ſublimis eſt, modo depreſſus, modo celerrimus eſt, modo ſtare videtur; ad quam varietatem motuum explicandam nõ amplius, vt ceteris, circularem motum tantum tradiderunt, verũ ad Oui formam, vt ſeruarentur quæ apparebant, illi tribuere coacti ſunt; & propterea belle nunc dicitur a Simmia, *Mercurius deſciſcens a metro ſingularis inceſſus ob Ouum*, quia non habet vnum motum ſimplicem circularem, vt alij planetæ, ſed multiplicem ac Oualem, vt ita loquar: diciturque *impetu contigue proſiliiſſe*; quia non continuo motu cieri vniformiter videtur, ſed modo celerrimus agi, modo quieſcere ſtareq. conſpicitur: dicitur etiã *cito celerem gradum obliquum pedum ferre*, ob eandem rationẽ irregularitatis motus; vnde talaribus quoque donatur ad ſui motus velocitatem ſignificandam: *cumque aſino* etiam iungitur, non ſolum ad indicandam eius motus irregularitatem; nam vt aſinus aliquãdo tarde incedit, dum ſcilicet procul abeſt a ſtabulo, nonnunquã velociter currit, prope ſtabulum ſe eſſe percipiens; quandoque retrocedit ab incepto itinere, ſpectro quopiam ſibi repreſentato nouiter ex viſis in via; ſæpe quoque conſiſtit, obſtinate recuſans moueri; quod in aſino ſuo pulchre deſcribit *o* Apuleius, qui fugiens latronum ſpecum pinnatam vincebat Pegaſi celeritatem; at rediens ad antrum greſſus mouere non poterat: Quam motus aſinini diffor-

l com. 1 ſphę. c. 1.
m Theor. Plan.
n 5. Mythol. Nat. com. 5. Ptol. 9. Alm. c. 7. & ſeqq.
o lib. 6. met.

Digitized by Google

difformitatem & Agaſonem æmulari neceſſe eſt: ſed etiam quia Mercurius Mercaturæ deus, mercium curā habens, apte cum aſino ſociatur, nempe cum animali ad vehendas merces aptiſſimo; quippe animal id patientiſſimum famis ac ſitis eſt, verberum tolerantiſſimum, minimo viliſſimoque potu ciboque contentum. Secundum vero, quod his metris indicauit Simmias, eſt, quoniam humanus animus *Mercurij* nomine deſignatus, poſt illos antiquiores Poeticæ cultores iungitur *cum aſino*, ſcilicet cum ſenſu baiulante ſibi ſimulachra rerum cognoſcendarum; phantaſia nāque defert, vt iumentum, ſarcinam imaginum; ex quibus intellectus deſumit ſibi obiecta conſideranda: ſenſus autem, ac phantaſia erga intellectum non inepte comparatur aſino, quia ſenſus non ſibi defert rerum noſcendarum imagines, aſt intellectui; ſic aſinus non ſibi merces baiulat, ſed hero negociatori; vt apte de ignaro, litteris præfecto, parœmiā fecerit Ariſtophanes in Ranis, *ὄνος ἄγων μυστήρια*, *Aſinus portans myſteria*. Intellectus autem humanus, ſiue ſophiſtæ, ſiue ſcientifici cuiuſvis alterius, poeſim negligens, dicitur apte nunc a Simmia *deſciſcens* a compto & ornato dicendi genere, quod eſt *metrum ſingularis inceſſus*, numeroſa videlicet oratio ſemper obſeruans regulas poeticę, ſemper terens eamdem ſemitam rythmi; quumque Poetæ ſermo grauibus rectiſq. pedibus incedere debeat, ſemper vniformiter gradiens ad numerum orationis, & ad concentum ſermonis; ſophiſta, & ſcientificus, poeſim omittens, deſerenſque, ac prætergrediens celeribus verbis, nulla lege vinctis, currit per obliquam dicendi viam oratione ſoluta; poeſim, Ouumque poeticum, quod eſt poeſeos partus, premit, & calcat deſuper ambulans; quia poemata negligit, & conculcat. Ac fortaſſe Plato contra Simmiæ ſententiam, ſcientias tractandas poetice non eſſe cenſens, non metrice ſcribendas eſſe diſciplinas indicaturus, poetas e ſua Republica p repulſit. Niſi dicamus, Poetas
p *Dial.8. et 10. de Rep.* garrulitate notatos, Platonem Pythagoræ diſcipulum; e ſua Republica repuliſſe, quos mouerat e ſua ſchola depuliſſe Pythagoram, qui ſuis auditoribus, ac ſectatoribus quinquennale ſilentium imperabat. Sed tamen antois carminibus Philoſophiam ſuam edocuit ipſe Pythagoras. (Si vere ſunt illa genuina Pythagorę carmina) Verum ſatis hæc de propoſito dicta ſint, vir

egregie,

Digitized by Google

egregie, quę forſan aliquando luculentius explicata legere poteris in Encyclopędia noſtra ad Ouum Simmiæ, ſi quando continget eam fieri publici iuris. Vale, meq. veſtrum omnium ſtudioſiſſimum Cl.VV. Moreau, & Gaffarello, Tibique commendatum habeas. Patauij.XVIII.Septemb. MDC XXXIV.

An latenter viuendum ſit

Eruditiſſimo Philoſopho Fortunio Liceto I.Bourdelotius S. Epiſtola XXX.

ERuditionis cumulatiſſimæ fundum (vir quo meliorem neſcio) librum ſcilicet tuũ nunc nunc accipio, nunc etiam oſculor. Quid ni? tot commoditates inde, inde tot tot laureæ mihi decerpendæ ſunt, vt vix ſufficiat vnum & ſimpliciſſimum caput. Equidem ſingulæ me dictiones tenent, poſſident, afficiunt. Cum illis de noctibus diebuſque, de otio negotijſque tranſigo. Lucubrationes tuas ſæpius, antequam mutuis affectibus vreremur, admiratus ſum, nunc induſtriam omnibus lucubrationibus anteferendam,

a ὦ πλυσίων ἄβυσσος ἐννοημάτων

vt de rebus cœleſtibus b Piſides. Sed hic malo linguam comprimere, muneris excellentiſſimi beneficio verboſam. Vt tamen habeam quod nunc beneuolentiæ tuæ poſſim reponere, theſes a iuniore nepote publice proponendas accipe. Peripateticum, non Campanelliſtam volui. Annos viginti natus Orcheſtram illam ingreditur; in quã frater eius adoptiuus meus, quem fama tibi propinauit, non omnino hactenus male ſaltauit. Qui vnum noueris, ambos noueris neceſſe eſt. Ariſtotelem ſic ille amat, vt veneretur. Hæc alias non ſine communi gaudio noſtro viſuros polliceor. Nobiliſs. Edoardo Herberto ſatisfeci; tibi, vt potero, vir optime, cuius ſenſum mihi deprecor de dicto Epicuri *Latenter eſſe viuendum*: quem arbitror a vulgi ſentẽtia nõ eſſe. Vale. Lutet. Pariſ. XII. Ian. M DC XXXIV. properans feſtinans Tibi ad omnia Io. Bourdelotius.

a O diuitum conceptuum mentis abyſſus.

b de mund. opif. v. 47.

Eidem nobiliſs. eruditiſſimoque Viro Io. Bourdelotio &c.
Fortunius Licetus B. A.
Reſpon.

LAudum tuarũ magnitudinę preſſus obruor, inclyte Bourdeloti; quare miſſas illas faciens, quas a viro laudatiſſimo venientes maximi facio; nepotumque tuorum indole gaudẽs, quorum ſtudia valde probo, de ſtudijs & moribus ac ſententia præclara Epicuri tuam iuſſionem exequor. Profecto libere tecum hac de re fabulari lubet. Videtur quidem apud quamplurimos, eoſque cordatos *a* viros, de morum integritate male ſemper audire magnus Epicurus, quod hominis felicitatem in voluptate poſuerit: ſed immerito; quum ipſe reuera non ſenſuum nepotinas *b* illecebras ad ſummi boni dignitatẽ extulerit, vt vulgo creditur; verum Ariſtoteli mire cõſentiens, in illis *c* puritate nobilitateque mirabilibus *d* animi voluptatibus humanam beatitatem collocauerit, quas intellectus a Philoſophia contemplationeque nanciſcitur; ne dicam cum viro *e* præclaro, ſibimet ipſi parum conſtante, quas humanus animus ex actione proba ſortitur: quippe, clariſſimo *f* Laertij *g* Senecæque teſtimonio, iam moriens Epicurus, inter acerbiſſimos veſicæ viſcerumque dolores, teſtamentum cõdens ad Idomeneum ipſe ſcribit, ſe vitæ beatæ ſupremum eumdem diẽ agere cum animi lætitia, quam capiebat memoria rationum inuentorumque ſuorum. Quare dubio procul a *h* Plutarcho damnatur iniuſte, quod *Latenter eſſe viuendum* pronunciauerit: ille namque ſapientiſſimorum bonorumque per omnia virorum Magiſter, vt ait *i* Diogenes, non cohortando ad nominis obſcuritatem iniqua ratione gloriam captauit; quod illi perperam *k* objicitur: ſed abducendo viros ingenio pollentes a vulgi negotijs ad otia literarum, auocandoque mentes acutiores a *l* tumultu multitudinis ad ſtudiorũ ſolitudinẽ, regium iter ad famæ celebritatem a ſe feliciter calcatum non inuidus occuluit, ſed liberaliter munificeque probus ſapientię ſtudioſis omnibus oſtendit, habendumque conſuluit hoc apophthegmate: nam quicumque de multorum conſpectu ſe recipiunt,

& ad

a *Cic. 5. tuſc.*
Phil. 19 c. 4.
Pere. 4. phy. c. 4.
Picol. 9 eth. c. 10.
b *Sen. ep. 21 66. 92.*
de vit. bea. c. 13.
c *10 eth c. 7*
d *Lactan. 3. diuin. inſt. c. 7.*
e *Picol. 8. eth. c. 4.*
f *in vi. ep.*
g *ep. 66. 92.*
h *Opuſc. de lat. viu.*
i *Laer. in vi.*
k *Plutar. in Opuſc.*
l *7. phy. t. 20*
1. Polit. c. 3.

& ad ſapientiam diu noctuque colendam ſe recondunt; illi facile talia monumenta pangunt, quibus in litterario Mundo ſupra mortales omnes clariſſimi ſuſpiciantur. Quod Epicuro ſane contigiſſe, teſtantur *m* Hiſtoriæ; quem ſcripſiſſe memorant infinita volumina, non alienis teſtimonijs vllis conſperſa, ſed proprijs tantummodo ſententijs contexta: quorum multitudine cũctos adeo ſuperarit, vt Chryſippus, eius æmulator, *n* ἐν τῇ πολυγραφῇ, librorum Paraſitus a Carneade nuncuparetur. Qui ergo tot operum centurias condidit, ac e ſuo penu deprompſit, Epicurus, ille neceſſario corporeas voluptates euitans ac floccipendens, vulgumque latens, vixiſſe ſolus, aſſiduæ contemplationi vacans aſſerendus eſt. Quamobrem a Plutarcho laudari debebat, quod electũ ſibi vitæ genus optimum, alijs propoſuerit, colendumque ſuaſerit, quum *Latenter eſſe viuendum* enunciauit. Sique Plato, quod ſuburbanum *o* Academiæ nemus, non ad voluptatem corporis, aſt ad animi cultum ac ſolitudinem, iugi contemplationi neceſſariam, procul a vulgi frequentia, procul a ciuium multitudine frequẽtauerit, optimo iure laudatur Otij litterarij bonus Præceptor; profecto magnus Epicurus, quod primus in ipſamet Vrbe, non ſenſuum, ſed mentis delicias, hortorum nomine villas & agros inſtituerit, Athenis Otij philoſophici probus Magiſter appellari debuit a *p* Plinio. Ceterum & Epicuro maior Ariſtoteles hoc effatum antea promulgaſſe videtur: in Peripati ſiquidem Officina cuſum dogma legimus a *q* Politico, Qui communem populi ſocietatem euitans, nulla pars eſt Ciuitatis; at ſibi ſoli ſufficiens, contemplationi viuit, hunc diuinam quodam modo naturam induere, ſupra mortalium conditionem elatum: Quin & a *r* Morali, Oportere vnumquemque, mortalibus & humanis rebus multitudini charis poſthabitis, procul a Vulgi frequentia vitam ex intellectu traducere, vt natura mortalis exiſtens, euadat immortalis in hominum memoria. Cui quidem Sapientum ſiue conſilio, ſiue præcepto, prudenter obtemperaſſe videris (eruditiſſime Bourdeloti) qui Chriſtianiſſimi Regis a Conſilijs, Reginæque Matris a Supplicum libellorũ Magiſterio conſpicuus, relictis forenſibus negotijs, abdicatiſque ſponte non ita pridem publicis muneribus; quorum ſplendore fulgens mirifice ſuſpiciebaris ab omnibus hominibus; Vitæ lit-

m *Laert. in vit. Epic.*

n *In multitudine ſcriptorum.*

o *Laert. in vi. Pla.*

p *l. 19. c. 4.*

q *1. polit. c. 2*

r *10. ethi. c. 7*

terariæ totum te dedidiſti; longeq. ſemotus a multitudine, tecum ipſe viuens, tibi Muſiſque canens, eruditionis & ſapientię ſtudijs inuigilas. Quum itaque ſic inter litteras vitam ducas, vt a Vulgo, corporeis oculis omnia metiente, non inſpectus, doctiorum hominum choro notiſſimus habearis; merito te myſtæ Palladis omnes Muſarum delicium appellant, eruditorum parentē venerantur, & velut eloquentiæ Numen apprime colunt. Sic ergo latenter viuendum eſſe ducimus, vt ſemper etiam poſt fata viuamus in hominū memoria conſpicui; quod voluit Epicurus, & ante illum Ariſtoteles; quorum dictis obtemperans latenter viuis plebeculæ, ſed notiſſimus quibus mentis eſt oculus lyncæus. Vale, meque tui ſtudioſiſſimū tene. Patauij. ex Muſæo noſtro Scalumnę. XI. Kal. Mar. MDCXXXIV.

De Lucerna, & alijs Ferraria repertis in Sepulchro Cominia
Cl. Viri Iulij Recalchi ad Fortunium Licetum

Epiſtola XXXI.

Molt'Ill. &c. Mi fù ſi caro il libro delle Lucerne Sepolchrali, che V.S. Molt'Ill. & Eccell. mi fece preſentare li anni addietro, che ſempre me n'è rimaſa viua memoria, & ſtrettiſſima obligazione alla ſua corteſia, con non poco guſto della grandiſſima inclinazione, che tiene alla inueſtigazione delle cagioni recondite delli effetti mirabili della Natura: per il qual riſpetto non poſſo non amarla in ſopremo grado d'amore, ſentendomi anch'io reggere al medeſimo Genio, quantunque impedito da quello, che mi occupa nel medicare. Hò poi inſieme ammirato la eſquiſita diligenza di V.S. nella hiſtoria, canonizandola per vno de' più inferuorati Spiriti del Sapere, che mi habbia in tāti anni, che viuo ſin quì conoſciuto. Et eſſendomiſi offerta occaſione di darle parte di alcune antichità pertinenti ad vn Sepolchro trouato di preſente tra noi, hò voluto communicargliele, promettendomi anche dal ſuo valore alcuna dichiarazione delle parole, che vedrà oſcure, ſcolpite in certe pietre. Gradirà il buon animo mio, e N.S. le

dia

dia ogni eſaltazione, e contento. Di Ferrara, il dì 4. Luglio 1624. Di V.S. molt'Ill. & Eccell. Seru. Affett. Giulio Recalcho.

Alli 16. di Giugno 1624. Si ritrouò nella Braglia del Sig. Gio. Battiſta Pichiatti, ſotto la Villa di Maiere, in luoco detto il Verzeneſe, le ſottoſcritte coſe.

Vna pietra di marmo, larga tre palmi, e longa ſette in circa, con l'inſcrizione, che dice

OSSA
COMINIAE Q. F. PAVLI
STACIA SEVERA MATER
ET POSVIT
ANNO XXX
HIC REQVIESCANT

Vna lume di pietra cotta, nel cui fondo è ſcritto

STROBILI

Vna pietra, pur di terra cotta, nel mezo della quale è ſcritto

PANSIANO

Item due altre pietre ſimili; vi è ſcritto nel mezo

NERONIS CIAPANI

Queſte pietre, con vn'altra appreſſo, faceuano vna caſſetta, nella quale era vna Tazza di vetro turchina, quaſi a ſimilitudine di ventoſa, di tenuta di vn bichiere; & era piena, ma non ſi puote conoſcere, che materia foſſe.

Due ampolle di vetro piene, vna di materia ſimile alla cenere, e l'altra ſimile all'oglio; di tenuta anch'eſſe quaſi di vn bichiere, ma fatte a ſimilitudine di campanelle. Ve ne erano anche di mezane, & piccole; quaſi ſimili a quelle, che vendono li Ciaratani; ma non ſi sà la quantità.

Vn vetro tondo, della larghezza di vn palmo, con vn manico, per leuarlo.

Vn vaſo di vetro, ſimile ad vn albarello, della larghezza ſudetta, al quale il ſudetto faceua coperchio; era di colore, che tiraua al giallo, & lanorato di belliſſimi fogliami.

Orne grandi, che per eſſerſi rotte, non ſi sà la quantità (non erano meno di quattro) piene di materia, che tiraua al nero; ſi crede foſſero ceneri.

Cl. Viro

Cl. Viro Iulio Recalcho Fortunius Licetus B. A.

Reſpon.

MOlt'Ill. &c. Il mio libro delle Lucerne Antiche fù contracambio del ſuo dottiſſimo della natura de' corpi ſimilari; nel che ſi come io conoſco di hauer fatto auantaggiata vſura, così tutto l'obligo deue reſtare dalla parte mia. Godo però che la mia fatica, e'l mio genio non le diſpiacciano; & ſi renda ſicura, ch'io molto l'amo, e più che molto ammiro la finezza dell'ingegno ſuo; pretendendo per hora di così pagare l'affetto di volontà, con cui V.S. molt'Ill. & Eccell. ſi degna di honorarmi. Il ragguaglio delle coſe ritrouate al preſente coſtì nell'antica ſepoltura di Cominia, datomi nella gentiliſſima ſua, da me ſtamane riceuuta, mi è ſtato oltre modo caro, contenendo molte particolarità memorabili. Et perche V.S. mi ricchiede, ch'io dichi il mio parere intorno al ſignificato di quelle parole ſcolpite nelle tre pietre, le quali con la quarta formano la caſſetta: per vbidirla più toſto, che perche io ſperi di dir a lei coſa nuoua, o di appormi al vero ſenſo di coſe così oſcure, e tanto antiche; anzi anche per trarre da lei quello che ne giudica, verrò conſiderando partitamente tutta la ſtorietta mandatami.

Oſſa Cominiæ Q. F. Pauli Stacia Seuera Mater e poſuit, anno XXX. Hic requieſcant

1. Se la lettera *e.* antepoſta al verbo *poſuit* hà ſignificato alcuno, al mio parere vuol dir *eiulans* o vero vi manca altra lettera; douendo dire *repoſuit* o vero *depoſuit* o pure più toſto *quæ poſuit*.

2. L'anno XXX. o è l'età di Cominia, o più toſto l'anno *ab Vrbe condita*; in qual caſo, ſe nello ſpatio frapoſto non manca qualche carattere numerale, corroſo dal tempo, come ſarebbe CIↃ, o vero IↃ, o pure L. coteſta ſepoltura ſarebbe ſtata molto antica: ma l'vſo, e l'origine de' vetri, maſſime lauorati a fogliami maeſtreuolmente, ritrouati in eſſa, ripugna forſe a tanta antichità.

» Vna lume di pietra cotta, nel cui fondo è ſcritto, STROBILI.

3. Credo

3. Credo che tale fuſſe il nome del Vaſaio, il quale cotali lucerne faceua, e vendeua; poi che vna lucerna ſimile dell'eruditiſſimo Petauio in Francia teneua nel fondo l'iſteſſe lettere: & ſi come facil coſa fù, che lo ſteſſo artefice molte lucerne col ſuo proprio nome deſcritte fabricaſſe; l'vna delle quali portata fuſſe in Francia, e l'altra in Ferrara (come ſi fà delle altre merci) da porſi in varie ſepolture; così mi par duro a credere, che lo ſteſſo ſeruo ſepolclirale haueſſe cura di due così lontane Lucerne, o faceſſe in quelle ſcolpire il ſuo nome. Lo ſteſſo dico del defonto; il cui nome in alcune Lucerne ſi vede notato; come altre † volte dimoſtrai di L. Ceſa: Se già non foſſe, che lo ſteſſo nome a diuerſi ſerui ſepolchrali, & a diuerſi morti poteua eſſere ſtato impoſto. Ma pure con tutto ciò il caſo poſſeſſiuo, o genitiuo del nome deſcritto, mi perſuade, che ſignifichi più toſto l'artefice, il quale ne fù padrone, e facitore; che o il ſeruo, a cui erano per eſſere fabricate, e vendute dall'artefice, e raccomandate dalli attinenti del morto; o vero il defonto ſteſſo, a cui erano per ardere in honore. † *lib. de Lucern. ant.*

„ Vna pietra pur di terra cotta, nel mezo della quale è ſcrit-
„ to, PANSIANO.

4. Io m'imagino, che tale fuſſe il nome del ſeruo ſepolchrale, a cui ſi ſoleua dar la cura di attendere alla cuſtodia delle coſe attinenti all'Auello; e ſpecialmente a mantener viuo il lume, con porre ogni tanti giorni l'oglio nelle lucerne, come conſta dalla Legge MÆVIA in queſte formali parole, *Meuia decedens ſeruis ſuis Sacco, & Eutychiæ, & Hirenæ ancillæ meæ, Omnes ſub hac conditione liberi ſunto, vt monumento meo alternis menſibus lucernam accendant, & ſolemnia mortis peragant: Quæro quum aſſidue monumento Meuiæ Saccus, & Eutychia, & Hirene non adſint, an liberi eſſe poſſint?*

„ Item due altre pietre ſimili: v'è ſcritto nel mezo, NERO-
„ NIS CIAPANI.

5. Penſo che tale fuſſe il nome dell'artefice; maſſime ſendo replicato in due pietre, che componeuano vna ſteſſa caſſetta, come ſi ſoggiunge,

„ Queſte pietre, con vn'altra appreſſo, faceuano vna caſſet-
„ ta; nella quale era vna Tazza di vetro turchina, quaſi a ſi-
„ militudine di ventoſa, di tenuta di vn bichiere; & era pie-

na,

„ na, ma non ſi puote conoſcere, che materia foſſe.

6. Può eſſere, che cotal Tazza in ſe conſeruaſſe molti lucignoli della Lucerna, da ſubentrare a' ſuoi tempi, di mano in mano, in luoco delli già conſumati; la qual materia poi ſi fuſſe in proceſſo di tempo corrotta, e conuertita in quella ſoſtanza non conoſciuta, con meſcolamento di polue, e d'humidità.

„ Due ampolle di vetro piene, vna di materia ſimile alla
„ cenere.

7. E chi mi dimoſtrerà, che queſta non fuſſe la cenere del corpo di Cominia, maſſime ſe fuſſe ſtato di picciola età? poi
a lib.19.c.1. che da *a* Plinio habbiamo, che tal cenere facilmente ſi diſcerneua da quella del rogo, col mezo della tela d'Amianto, nella quale incombuſtibile ſi rinuolgeua il cadauere da brugiarſi: poi che parlando egli delle ſpecie de i lini, dice, *Inuentum iam eſt etiam, quod ignibus non abſumeretur: viuum id vocant, ardenteſque in focis conuiuiorum vidimus ex eo mappas, ſordibus exuſtis ſplendeſcentes igni magis, quam poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ, corporis fauillam ab reliquo ſeparant ci-*
b l.18.c.31. *nere.* Qual detto rende probabile la ſentenza di Celio, *b* mentre de gli Indiani trattando ſcriue, *Lineis contegi amiculis, quæ certo nentur e lapidis genere, ignibus inuicta; ſed quæ nec perpurgentur aqua; verum vbi ſordes inſederint, in flammam coniecta ſplendeſcunt.* E per ciò non bene viene ripreſo dal Dale-
c in Pl. annot. champio, *c* dicendo di tal ſorte di lino, *Rhodiginus ſcribit Indos veſtibus ex eo lino textis indui: quod parum credibile eſt; quum in tantam longitudinem trahi nequeat, vt veſtes ex eo conficiantur:* percioche ſe ſe ne può far de' mantili, & de' touaglioli da menſa, e delle tuniche da contenere vn intero corpo del cadauero regio; perche non ſe ne può teſſere vna veſte ad vn'huomo viuo? Plinio dice ſolamente, che è *difficile textu propter breuitatem*; ma la difficoltà non apporta impoſſibilità, nè incredibilità; poi che con qual ſi voglia difficoltà teſſuta la tela di tal lino, può venire poi facilmẽte in vſo di veſte all'huomo, quantunque grande.

„ E l'altra ſimile all'oglio: di tenuta anch'eſſa quaſi di vn
„ bichiere: ma fatta a ſimilitudine di campanella.

8. Io per me giudico, queſta ampolla eſſere ſtata piena d'oglio

d'oglio vero, o d'altro liquor ſimile, che doueua ſeruire per fomite alla fiamma della Lucerna, da ſomminiſtrarſegli *ſtatis diebus* dal ſeruo Panſiano.

„ Ve n'erano anco di mezane, e piccole; quaſi ſimili a quel-
„ le, che vendono li Ciaratani; ma non ſi sà la quantità.

9. Non giurerei, che cotali ampolline non fuſſero parte di quelle, che haueuano di già per il paſſato ſomminiſtrato l'humor combuſtibile alla Lucerna; & quiui dal ſeruo ogni due o tre giorni laſſate vuote: & parte di quelle, nelle quali la Prefica, e l'altre donne, prezzolate ad accompagnare il morto alla ſepoltura dirottamente piangendo, riponeſſero le ſparſe lagrime, & offeriſſero il pagato pianto nell'auello, con la lucerna, al morto.

„ Vn vetro tondo della larghezza di vn palmo, con vn ma-
„ nico per leuarlo: vn vaſo di vetro ſimile ad vn albarello,
„ della larghezza ſudetta, al quale il ſudetto faceua il coper-
„ chio: era di colore, che tiraua al giallo, & lauorato di bel-
„ liſſimi fogliami.

10. Se coteſto non era il vaſo, in cui ſi conſeruaua il pianto della Prefica principale, diſtinto dalle lagrime delle altre donne piangenti a prezzo, contenuto in ampolline di minor valuta; forſe era il vaſo, in cui ſi conſeruaua il deto della mano, ſolito di tagliarſi al morto, per farui l'eſequie, come nota non ſolo ne' ſuoi Funerali il Porcacchi, douendoſi il reſto del cadauero abbruggiare; ma etiamdio preſſo Varrone, & Feſto Gioſeppe Scaligero nelle ſue congetture, doue dice, *Aut ſi os exceptum eſt mortui ad familiam expurgandam: etiam digitum abſcindi ad eam rem teſtatur Feſtus; Membrum, inquit, abſcindi mortuo dicebatur, quum digitus eius decidebatur; ad quod ſeruatum iuſta fierent, reliquo combuſto: Id autem ad purgandam familiam certo genere Februi, quod vocabatur Exuerrias.*

„ Orne grandi, che per eſſerſi rotte, non ſi sà la quantità
„ (non erano però meno di quattro) piene di materia, che
„ tiraua al nero; ſi crede foſſero ceneri.

11. Credo veramente, che tante Orne, e così grandi, piene di materia nericcia, fuſſero piene di ceneri, e carboni; non già di quelle, in cui ſi riſoluettero le membra di vn ſolo cadauero brugiate; ma di quelle del rogo: hauendo per coſtume li An-

tichi, di porre le ceneri del morto in vaſi conſeruati nelle ſepolture; non gettando via le ceneri, nè li carboni della Pira in molto maggior quantità; ma di ſerbarle ancora nell'Auello, come coſa ſacra, hauendo toccato il cadauero, che ſacro ſtimauano; e per ſua cagione ſacre ſtimauano etiandio le ſepolture; come dalle Leggi ſi caua eſpreſſamente: Et in vero in molte orne grandi ſi è trouato di molta cenere, & di molti carboni, che d'altro, che di legna eſſere non poteuano: queſti minuti, & in proceſſo di longo tempo dall'humidità del luoco con la cenere meſcolati, hanno potuto fare vna tal materia nericcia, quale ſi è nelle ſopradette Orne ritrouata. Hò però oſſeruato, che delle lucerne poſte nelli ſepolchri, altre erano pēſili, altre ſi poneuano giacenti in terra, ò sù qualche baſe: e come di queſte ſe ne trouano di pietra cotta infinite, così delle penſili ne habbiamo la belliſſima relatione da Dione nella cena, o ſia conuito non meno beſtiale, che laruale, o più toſto diabolico, fatto da Domitiano alli Romani Senatori, e Cauallieri. *Itaque populo nocturnum epulum dedit, eius conſolandi cauſſa: noctu enim ſæpe exhibebat certamina; in eaque nonnas & mulieres introducebat. Vtque plebi eo tempore, ita poſt principibus Senatorij & Equeſtris ordinis conuiuium in hunc modum fecit: Apparauit ædes nigerrimas ex omnibus partibus: erant enim atra laquearia, parietes ac pauimentum, in eoque ſedes nudæ eodem modo collocatæ erant. Quibus paratis rebus, eos de nocte introduci iubet abſque comitibus: ac primum omnium iuxta vnumquemque columnam collocat, factam inſtar ſepulchri, in qua nomen eius ſcriptum erat, pendebatque de ea lychnuchus paruus, vt aſſolet in monumentis: tum nudi pueri, atramentoque obliti, tanquam ſpectra quadam ingrediuntur, ipſoſque horribili ſaltatione circumeunt; eoque facto ante pedes ipſorum conſiſtunt; ad extremum omnia, quæ in exequijs mortuorum adhiberi ſolent, in vaſis eodem modo eis appoſita fuerunt. Quas ob res quiſque maxime reformidare cœpit & perhorreſcere, quod ſe iam expectarēt interfectum iri, præſertim quod ceteris magnum ſilentium erat, quaſi iam mortui eſſent, quodque Domitianus ſermonem habebat de ijs rebus quæ ad mortem, quæue ad cędes pertinerent. Tandem vero illos dimittit, præmiſſis famulis ipſorum, qui in veſtibulis ædium remanſerant: cumque præparaſſet alios incognitos homines,*

mines, a quibus domum reducerentur, vehiculis & lecticis datis, ijs metum multo maiorem incuſſit. Iam quiſque domum venerat, iamque reſpirare quodammodo incipiebat, quum nunciatum eſt, nonnullos ab Auguſto venire: qua ex re eis mori omnino expectantibus, ab vno horum oblata eſt columna argentea, ab altero aliud quippiam, ab alio vas ex ijs quæ in cęna appoſita fuerant, quæque erant pretioſiſſima: poſtremo puer ille, qui ante Dæmonem repreſentauerat, vnicuique lotus & ornatus oblatus eſt: eoq. pacto illi totam noctem magno timore perculſi, munera acceperunt. Et Domitianus hos triumphos egit, vel vt vulgo loquebantur, exequias eorum qui in Dacia, Romaque mortem obierant. Et ſi come gli antichi nelli giorni di morte rinchiudeuano le lucerne ardenti nelli ſepolchri, nè le poneuano nel coſpetto de gli huomini sù le fineſtre, nè in sù le porte; così per il contrario nelli giorni natalitij poneuano le lucerne ardenti sù le fineſtre, & in sù le porte; per dimoſtrare la contrarietà tra'l naſcere, & il morire; & per ciò Tertulliano volendo moſtrare, che nel tempo della naſcente Chriſtiana Religione, ſi eſtingueua l'Idolatria, diceua, *At nunc lucent tabernæ, & ianuæ noſtræ; plures iam Ethnicorum fores ſine lucernis & laureis quā Chriſtianorum.* Queſto coſtume di accendere le lucerne sù le fineſtre ne' giorni natali, viene anche da Perſio notato mentre diſſe,

d *Herodis venere dies, vnctaque feneſtra*
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ. d Sat.5.

Nel che non riceuo l'opinione dello e Scaligero, che dice, *Natali die lucernæ accendebantur, mortuali id non faciebant:* poi che in tutti due li giorni ciò faceuano; ma nel Natale poneuano le lucerne sù le fineſtre, & in sù le porte al proſpetto d'ogn'vno; nel Mortuale le rinchiudeuano nel ſepolchro. e in Flac. & Sex.Pom.

Queſto è quāto per hora così alla sfuggita mi occorre dirle in tal particolare: ſe a lei ſoueniſſe coſa migliore, mi ſarà gratia ſi degni farmene parte. Fra tanto la mi conſerui nella ſua buona gratia, che io reſterò pregandole dal Cielo felicità. Di Padoua li 9. di Luglio 1624. Di V.S. molt'Illuſt. & Eccell. Seru. Affett. Fortunio Liceti.

Quam opinionem collaudauit vir inſignis altero epiſtolio in hac verba,

Cl. Viri Iulij Recalchi ad Fortunium Licetum epiſtola.

Molt'Illuſt. & Eccell. Sig. mio Oſſeruandiſs. Cariſſima mi è ſtata la lettera di V.S. per molte ragioni, ma in particolare per hauer compreſo in eſſa la viua imagine del ſuo nobiliſſimo intelletto, dimoſtratamiſi nella eccellenza del fare le congetture; perche queſti è vn moto di paſſaggio da quello che ſtà poſto entro luce incerta, a quello che nelle tenebre ſi racchiude; & in queſto diſcorſo ſi conoſce facilmente la buona viſta dell'ingegno humano. E parmi, che V. S. habbia ſempre poſato il piede per muouerlo nelli vndici paſſaggi, che ſi leggono nella ſua lettera: della quale farò diligente conſerua; ringratiandola del dono, e pregandola a tenermi in ſua grazia, & a comandarmi doue crederà, che poſſa valere alcuna coſa in ſeruirla. E le prego ogni bene. Di Ferrara il dì 22. Luglio 1624. Di V.S. molt'Ill. & Eccell. Seru. deuotiſs. Giulio Recalcho.

De Superhumano credendi modo Ariſtotelico:

Deque ſeria confirmatione per fabularum Scriptores.

Viro Maximo & Celeberrimo Fortunio Liceto

Gabriel Naudaus S. P. D.

Epiſtola XXXII.

IVdicium de tuis operibus meum, Fortuni Licete, tam verum eſſe in dies deprehendo, quam quod veriſſimum eſſe poteſt: dicere namque de illis ſolitus ſum, quod etiamſi omnes libri a te publicam in lucem emiſſi, extra communem reliquorum aleam exiſtant, nihilque plebeium habeant, aut incultum, vel e medio petitum, ita vt nullus profecto illorũ ſit qui erudita ingenia morari non debeat: quidam tamen adeo feliciter elaborati ſunt, vt nihil in eo genere fieri poſſit abſolutius, nihil quod curioſum lectorem potentioribus illecebris ad ſe trahat, ſeu voluptatem cupiat, aut fructum aliquẽm ex iſtis percipere.

percipere. Quos autem velim innuere, nec te credo, nec alios latere poteſt, quum eiuſmodi ſint meditationes tuæ De reconditis antiquorum lucernis, De Spontaneo Viuentium Ortu, De Monſtris, De Cometis, & De his qui diu ſine alimento viuunt, vt nemo ſit paulo diligentius in literis amœnioribus verſatus, aut ſcholaſtici pulueris minus amans, qui has cum admiratione quadam tuæ virtutis, ſemel iterumque non euoluerit: Immo vero quãdiu erunt homines qui fauere præclaris conatibus velint, tandiu non defuturos ſpero, qui maxima cum ratione dubitent, num maiorem illæ poſteritati fructum, aut famam tibi apud non tuos modo, ſed exteros homines attulerint. Certe veniunt mihi nonnunquam in manus autores valde boni, qui dum illas compoſitiones, quarum ſupra mentionem feci, impenſe laudant, earumq. ſingula prope verba in ſuarum illuſtrationem deriuant; ijdem etiam in cauſa ſunt, vt huic iudicio de te meo lubentius acquieſcam. Ceterum quoniam omnes hic recenſere velle, qui tua dogmata aut laudanda penitus, aut ſaltem cum honorifica nominis tui commẽdatione, paulo modeſtius excutienda, ventilandaq. ſibi propoſuerunt, non eſſet mea quidem ſententia, iſtius vel loci, vel temporis; quum ad te præſertim ſcribam, cui notiores illi, quam alteri cuiquam eſſe debent: Obteſtabor potius fidem atque humanitatem tuam, vt horum *a* συλλάβον, ſi forte hunc, quemadmodum Cardanus & alij fecere, in aduerſaria tua retuleris, exſcribi per amanuenſem tuum, & ad me, quum tibi cõmodum erit, tranſmitti procures. Hoc autem eo impenſius flagito, quod non tantum illius lectione recentem ex gloriæ atque honoris tui commemoratione voluptatẽ percipiam; ſed inſuper hunc tuũ indicem euoluendo, ſi quoſdam alios eruditionis tuæ fautores obſeruare mihi contigerit, qui nondum ad notitiam tuam peruenerint, iſtis locupletatum eum, auctioremque factum, ad te remittam. Sane commouit in me deſiderium illud Caſus valde ſingularis, qui mihi nuper accidit, nam quum in Muſeo meo ſedens, Renati Moræi Doctoris Medici Pariſienſis, quem apud te laudare ſuperuacaneum exiſtimo, doctiſſimas in Scholam Salernitanam animaduerſiones euoluerem, moxque Pauli Zacchiæ, & Baldi Baldij, Virorum in hac Vrbe celeberrimorum, libros de rebus item Medicis, tandemq. Da-

a *Catalogum*

nielis

nielis Sennerti Hypomnemata percurrerem, & maxima incredibilique cum voluptate per eiuſmodi doctas nouitates, non conſilio aliquo, ſed caſu volitarem; neſcio quomodo in omnibus illis ita tuum nomen obuiam mihi factum eſt, vt ſi quiſquam alius idem ſibi contigiſſe referret, proculdubio ludere hunc, aut fucum mihi ex compoſito facere perſuaſum haberē. Et ſane res ipſa mihi omnino digna viſa eſt, quæ earum Literarum partem faceret, quas ad te de nonnullis difficultatib. Ariſtotelicis ſcribere cōſtitui: præſertim quum tantus vir, (qualem Sennertum eſſe, omnibus in confeſſo eſt) ex libro De Spontaneo Viuentium Ortu, & alijs tuis lucubrationibus, maximam partem Hypomnematum ſuorum confeciſſe videatur, nec aliter præclarum iſtud opus abſoluiſſe, quam cōueniendo tecum in plurimis, & in nonnullis etiam ab opinionibus tuis diſſentiendo. Proptereaq. videtur mihi operęprętium fore, niſi iam librum hunc Sennerti videris, omnino curare vt ad te quamprimum ſiue Bibliopolarum, ſiue amicorum ope, perueniat; multum enim ex eo voluptatis percipies, gaudebiſque opinor cum huius præclariſſimi viri, tum & aliorum de cauſa, qui te velut oraculum ſuſpiciunt, & eo in loco tuam virtutem habēt, qui maxime conuenit Philoſophiæ dignitati; quam tu hac tempeſtate ſolus non aliter libris & ſermonibus tuis fulcire videris, quam Atlas & Hercules dicuntur a Poetis Cœlum olim ſuis humeris ſuſtinuiſſe. Profecto quantum ad me ſpectat, gratulor tibi ex animo hanc nominis tui famam, quæ eo iam vſque prouecta eſt, vt nemo ferme de rebus philoſophicis ſcribat, qui te in patronum, aut æmulum habere ſuæ ſententiæ maiorē in modum non deſideret. Et hercle certum eſt, eos opinione ſua non decipi, quandoquidem alios tui ſimiles non frequētet gignit natura, nec producit induſtria, ſed ſęculis opus eſt priuſquam aliquis reperiatur, qui exemplo tuo multorum in ſe vim, & felicitatem ſęculorum, multorumque ſimul excellentium ingeniorum præſtantiam repręſentet. His igitur, quæ ad te pręſertim & commoda tua attinent, quum factum ſit a me ſatis; reliquum eſt, Fortuni Licete, vt meis quoque ſtudijs conſultū eſſe velis enodatione quam a te peto duorum locorum Ariſtotelis, in quibus fateor me non ſatis aſſequi quomodo ipſe aut de mente propria, aut ex interpretum ſuorum ſententia, expli-

candus

candus ſit. Nam quum in libris de Cœlo *a* rationem quærit a *l.2.t.34.*
cur cœlum ipſum perpetua conuerſione, ab ortu potius, & a dextra parte feratur ad occaſum, quam contra, hæc demum verba ſubiungit, quibus videtur quaſi purgare ſe ab eorum calumnijs, qui ipſum temeritatis accuſare poſſent, quod eiuſmodi aut inanes, aut perarduas quæſtiones ventilandas ſuſcipiat, *De multis igitur, aut de omnibus eniti quippiam dicere, nihilque prætermittere, aut inſignis ſtultitiæ forſitan, aut valde parati animi videbitur eſſe; non tamen omnes ſimiliter ſunt increpandi; ſed dicendi cauſa quænam ſit videre oportet.* ἔτι δὲ πῶς ἔχων τῷ πιστεύειν πότερον ἀνθρωπίνως, ἢ καρτερωτέρον; ideſt, *& quo pacto ſe habeat in credendo, vtrum humano modo, an validius?* In *b* Politicis autem dum contemptum b *l.5.c.10.*
Principis inter cauſſas recenſet, quæ ipſorum imperia peſſundare ſolent, illud exemplo Sardanapali hunc in modum confirmat, *Aliæ autem ob contemptum, vt Sardanapalo quidam conſpecto telam texere cum mulieribus*, poſtea ſubdit, εἰ ἀληθῆ ταῦτα μυθολογοῦντες λέγουσιν, quod Heinſius, & omnes alij vertunt, *ſi vera ſunt, quæ fabularum ſcriptores memorãt.* Quęro igitur a te, vir doctiſſime, qua tãdem ratione fabularum ſcriptores vera referre poſſint, ſi quemadmodum inquit Tullius, *Fabula eſt in qua nec veras, nec veriſimiles res continentur?* Et ſi hoc ita ſe habet, cur Ariſtoteles ea loquendi formula vſus ſit, quæ vel impropria, vel ſaltem poetica, nec admodum grauitati ſermonum, quos tunc habebat, cõueniens videri merito poteſt: nam licet fabula rem paſſim diuulgatam, non minus certe quam hominum ingenio excogitatam ſignificet, & *c* Te- c *in Hecyra.*
rentius dixerit, *poſtremo iam nos fabulæ ſumus*: frequentius tamen a Poetis, quam Oratoribus vſurpatam in hac ſignificatione vocem hanc memini, tantum abeſt vt Hiſtorici, ſcriptores rumorum paſſim diſſeminatorum conuenienter ab Ariſtotele vocari poſſint aut debeant. Pari modo ſubit etiã mirari, quod in illo textu ſecundi de cœlo tã ambigua voce ſit vſus, vt ab interpretibus, licet doctiſſimis, varie potius quã perſpicue reddita ſit; etenim ſiue illa verba cum Ioanne Argyropilo vertas, *quomodo ſe habet in credendo, vtrum humane, an ita vt aſſerat atque perſiſtat*: ſiue cum Vatablo, *vtrum in credendo humano*

modo

modo ſe habeat, an validius: ſiue cum Lucillo Philaltheo, *vtrum hominum more, aut cônſtantius ſe in aſſerendo,* vel quod vult Perionius, *in aſſentiendo gerat*: ſemper tamen æque dubium eſt apud me, quæ latina vox græcę huic πιςέυειν, commodius reſpondeat, & quid Ariſtoteles intelligat per diuerſum hunc credendi, aut aſſentiendi modum: Hoc vere, niſi tu, vir doctiſſime, mihi perſpicuum facias, non eſt quod de hac aut alia ſuperiori difficultate petam ab alio reſponſum, quum nota magis nulli domus ſit ſua, quam tibi Ariſtotelis mens & doctrina perſpecta eſt, meq. etiam adeo humane, peramanterq. complectaris, vt moleſtum tibi fore non putem, eo me beneficio cumulare, cuius recordationem nulla vnquam apud me delebit obliuio. Vale. Salutant te Petrus Seruius qui neſcioquid elegãtiarum ſuarum nobis ambobus offerre cogitat, & Allatius noſter. Tu viciſſim Ioanni Argolo, Nogheræ, Donato, meo nomine quæſo plurimam ſalutem impertias. Dabam Romæ IV. Non. Iul. M DC XXXIIX.

Cl. Eruditiſſimoque Viro Gabrieli Naudęo Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

A Summa tua profectas humanitate, mi Naudęe, litteras ad me datas vix abſque rubore legere potui, quas laudibus meis adeo magnis cumulare voluiſti: nec tibi ſatis fuit, te te mihi meorum operum eximium laudatorem præſtare, quod tecum etiam in meum præconium ſocios illuſtres aduocaſti Baldium, Zacchiam, & Sennertũ; cuius quidem Hypomnemata nondum mihi videre licuit; ſed tamen eius Praxim Medicam legi, quæ me ſui dogmatis nondum a me viſi comprobatore tantumnon gloriatur. Quod autem a me tibi ſignificari vis alios, quotquot putarunt aliquid meas eſſe lucubrationes, id ſane meum pudorem ſuperat; ſed omnia tibi debentem me nõ parere nefas iam ſit: Aliquot eorum, qui mea dogmata nõ ſine laude vel ſecuti, vel perſecuti ſunt, nomina quaſi per tranſennam prætereuntia ſtrictim aſpice; quæ mihi nunc in mẽtem veniunt; nam eorum catalogum texere nũquam fuit in animo:

certe de meis placitis cum laude ſermonem habuere Cl. Viri
a Libertus Fromondus apud Louanienſes Lector primarius, a *lib. meteor. pag. 116.*
Paulus *b* Monelia, Autor Muſæi *c* Calceolarij, Hippolithus b *ep pag. 76.*
d Obitius in Dialogis de Medicina Statica, Simon Maiolus c *pag. 716.*
Epiſcopus Vulturarienſis autor magni voluminis *e* Dierum d *d. pag.*
Canicularium, Seuerinus Nicolaus Medicus Danus in libro de e *to. 6. pag. 16.*
f Apoplexia, Iacobus Philippus Tomaſinus in libro De Viris
g Illuſtribus, Autor libri de Pſellis, *h* Perſius Treuus, *i* An- f *num. 26.*
gelus *k* Portinarius, Mundinus Mundinius, *l* Ioan. *m* Fer- g *pag. 333.* h *pag. 38.*
rus, Epiſcopus Areſius, & alij plures viri magni nominis; quo- i *pag. 152.*
rum vt humanitati multum me debere profiteor, ſic præclaro k *pag. 234.*
teſtimonio plurimum gloriari poſſem, ſi Thraſonis animum l *pag 1.*
haberem. Sed mittamus hæc, quæ potius vt morem tibi gere- m *pag. 482.*
rem attuli, quam ex meo genio: veniamus ad nobilia quæſita
mihi abs te propoſita in epiſtolæ calce de modo ſuperhumano
dudum ab Ariſtotele tacto, deque confirmatione ſeriorum ex
fabularum ſcriptoribus, ſiue qua ratione fabularum ſcriptores
vera referre poſſint. Ac vt a priori exordiar profecto modum
credendi ſublimiorem humano nō latuiſſe Philoſophum ex eo
recte conijcis, quod ille dixerit, *n Videre oportet cauſſam di-* n *2. cal. t. 34.*
cendi, quænam ſit; præterea quo pacto ſe habeant in credendo,
vtrum humano modo, an validius. Etenim credulitas & fides,
quam homines habent nō humano modo, ſed validiori, decre-
tis Ariſtotelis eſt diuinitus acquiſita per reuelationem in ſom-
nis, vel etiam in vigilia per reuelationem & prophetiam; quam
agnouiſſe potuit in Sibyllis; & reuera cognouiſſe noſtrum Ari-
ſtotelem teſtatur tum Sextus Empiricus, tum etiam Patritius
ille infenſiſſimus Ariſtotelis hoſtis; Empiricus quidē inquiēs,
o Ariſtoteles autem dicebat ex duobus principijs ortam eſſe Dei o *8. adu. Math. c. 1.*
notionem inter homines, nempe ex ijs, quæ in anima accidunt; &
ex ſublimibus: ex ijs, quæ in anima accidunt, propter diuinos eius
in ſomnis afflatus, & diuinationes: Quando enim, inquit, in ſom-
nis anima per ſe fuerit, tunc ſua propria recepta natura, & diui-
nat, & futura prædicit: talis eſt autem etiam dum in morte ſe-
paratur a corporibus; admittit enim Homerum quoque Poetam,
vt qui hoc obſeruauerit: fecit enim Patroclum quidem, dum in-
terimeretur, prædicantem mortem Hectoris; Hectorem autem
Achillis. Ex his ergo, inquit, ſuſpicati ſunt homines, Deum eſſe

aliquid, quod ex ſe eſt ſimile animæ, & eſt omnium ſcientiſſimum. Sed & ex ſublimibus: nam quum contẽplati eſſent Solem quidem interdiu circumeuntem, noctu autem ordinatum aliarum ſtellarum motum; exiſtimauerunt eſſe Deum aliquem, autorem huius motionis & ordinis. Atque hæc quidem Ariſtoteles. Ex quibus non ſolum apparet, Ariſtotelem poſuiſſe diuinas reuelationes in ſomnis; ſed etiam ex ſacra pagina deſumpſiſſe, tum Deum feciſſe hominem ad imaginem & *p* ſimilitudinem ſuam, dum aſſerit hic Deum ex ſe eſſe quid ſimile animæ; nam omnes fere Theologi ſimilitudinem hanc Dei cum homine, poſuere ſecundum animam; & ipſe ſtatuit alibi *q* Deum eſſe congeneum intellectui humano: tum Deum omnia *r* cognoſcere, ac ſolum eſſe ſcrutatorem *s* cordium: dum ait Deum eſſe omnium *t* ſcientiſſimum: tum deniq. Deum poſuiſſe in cęlo duo *u* luminaria magna, luminare maius vt pręeſſet diei, luminare minus vt præeſſet nocti, & ſtellas: certe his Ariſtoteles apertiſſime nobis Moſaica refert. Patritius autem hæc eadem affert ex Empirico: licet autem Empiricus hæc Ariſtotelis effata legere potuerit in Dialogo Magiſtri de Animæ immortalitate ad Eudemũ inſcripto, cuius partẽ affert M. *x* Tullius, & *y* Plutarchus: nos tamen in extantibus adhuc operibus Ariſtotelis hæc placita ſparſa legere poſſumus; nam primum agens Ariſtoteles de *z* Diuinatione per ſomnum aperte ſatis innuit a Deo mitti ſomnia, non omnia, neque quibuſlibet hominibus, ſed optimis & prudentiſſimis, inquiens, *Et quod de quibuſdam ſit diuinatio in ſomnijs, non eſt incredibile; habet enim aliquam rationem; ideo & de alijs ſomnijs ſimiliter vtique quis arbitrabitur: Nullam vero rationabilem cauſſam videre, ſecundum quam vtique fiat, hoc non credere facit: nam Deum quidem eſſe mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis & prudentiſſimis, ſed quibuſlibet mittere, inconueniens. Ablata vero, quæ a Deo, cauſſa, nulla aliarum conueniens eſſe videtur cauſſa.* & mox. *a Et ideo accidit hæc paſſio quibuſlibet, & non prudentiſſimis: in die enim vtique fieret, & ſapientibus, ſi Deus eſſet mittens.* Nimirum his vult Ariſtoteles, irrationabile eſſe, putare a Deo mitti ſomnia omnibus hominibus, quicumque ſomnijs præuident quoquomodo futura; ſed ſolum optimis, & prudentiſſimis vult a Deo mitti ſomnia, & etiam in die vigilantibus

p Gen. 1.
q 10. eth. c. 8.
r Gen. 3. Pſ 40. 44.
s Sap. 1.
t Poet. c. 1.
u Gen. 1.
x 1. de Diui.
y de con. ad Apol.
z cap. 1.
a cap. 2.

tibus reuelationes, ac diuinationes; non autem improbis, & fatuis, qui ſomniantes quandoque præuident ventura. Et ſane in ſacris litteris frequētiſſime legimus, a Deo mitti ſomnia vera viris *b* optimis, & prudentiſſimis, Abimelecho, Ioſepho, multiſque prophetarum; non autem *c* improbis & inſipientibus. Quod autem Empiricus ex Ariſtotele ſubdit, animam, dum ſeparatur a corporibus, diuinare ac futura prædicere, id ſatis innuit Ariſtoteles dum aſſerit, *d* Intellectum humanum non bene ſe habere, dum in corpore ineſt; aſt optimum eſſe ſortiri, dum extra corpus egreditur; & *e* melius eſſe intellectui noſtro, non cum corpore eſſe, quemadmodum cōſuetum eſt dici, & multis placet: atque *f* intellectum, dum ſeparatur, fieri id quod vere eſt. Quod vero Sextus adijcit, Ariſtotelem admittere Homerum, qui facit Hectorem, dum interficeretur, prædicere necem Achillis, id Ariſtoteles innuit, tum dicens, *g Bene feciſſe Homerū, quod Hector iacet, aliud ſapiēs:* nam, vt inquit ibi D. Thomas, *ſecundum Hectoris mutationem mutatus eſt intellectus eius; dum aliud ſaperet victus, & aliud inuictus:* inuictus enim humana ſapiebat; victus autem morti proximus diuinabat interfectori necem: tum aſſerens, *h Homerum etiam aiunt talem opinionem habere videri; quippe qui faciat Hectorem, quum a vulnere inſaniret, iacere, aliud ſapientem; tanquam & inſanientes ſaperent quidem, ſed non eadem.* Quæ ſic explicat eo loci D. Th. vt Ariſtoteles ex Homero *faciat Hectorem iacere quaſi in extaſi a plaga ſibi illata, aliud ſapientem ab eo, quod prius ſapuerat; quaſi eſſet ſapiens, & non ſapiens; ſed non quantum ad eadem; quia quantum ad illa, quæ tunc ſibi videbantur, ſapiens erat; quantum autem ad illa, quæ prius ſapuerat, & iam ſapere deſierat, non erat ſapiens. Alia tranſlatio ſic habet, Sapientes quidem, & deſipientes; quaſi dicat, ſicut fuit de Hectore, qui ſapiebat aliena poſt plagam; ita contingit & de alijs, quod ſunt ſimul ſapientes, & deſipientes, non ſecundum eadem, ſed ſecundum diuerſa:* videlicet, Hectorem ſaucium morti proximum inſipientem fuiſſe mente propria valde commotum; at ſapientem fuiſſe mente aliena, quia Deo plenus vaticinatus fuit mortē Achillis: ita Deo plenæ Sibyllæ, non mente ſua, ſed aliena vaticinabantur antiquitus: Ex quo mortales Deum eſſe cognouerunt, quod homines quoſdam

b *Gen.* 20. 37. 41. *Num.* 12. 3. *Reg* 3. *Eſth.* 10. 11. *Dan.* 2. 4. 7. *Ioel* 2. *Iud* 7.

c *Leuit.* 19. *Deut.* 13. 18. 1. *Reg.* 28. 2. *Paral* 33. *Eſai.* 50. *Hierem* 29.

d 12. *meta.* *t.* 51.

e 1. *de an.* *t.* 49.

f 3. *de an.* *t.* 20.

g 1. *de an.* *t.* 23.

h 4. *meta.* *t.* 21.

viderent ſupra vim humanæ mentis edere diuinas operationes,
i *Iliad.22.* futura præuidendo, prædicēdoq. : Homeri vero verſus hi ſunt i

Τὸν δὲ καταθνήσκων προσέφη κορυθαιόλος Ἕκτωρ,
Ἦ σ' εὖ γινώσκων προτιόσσομαι, οὐδ' ἄρ' ἔμελλον
Πείσειν· ἦ γάρ σοί γε σιδήρεος ἔνδοθι θυμός.
Φράζεο νῦν μήτοι τι θεῶν μήνιμα γένωμαι
Ἤματι τῷ ὅτε κέν σε Πάρις, καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων
Ἐσθλὸν ἐόντ' ὀλέσωσιν ἐνὶ Σκαιῇσι πύλῃσιν.

Hunc autem moriens allocutus eſt galeam-mouens Hector;
Certe te bene noſcens præuidebam: neque ſane eram
Perſuaſurus: certe enim tibi ferreus intus animus.
Conſidera nunc, ne quo pacto tibi Deorum vltio fiam
Die illo, quando te Paris & clarus Apollo
Strenuum exiſtentem perdent in Scæis portis.

Quod autem poſterius addit Empiricus, Ariſtotelē aſſeruiſſe, *Deum eſſe aliquid, quod ex ſe ſit ſimile animæ*: id aperte legimus apud Ariſtotelem, tum vbi ſcribit, k *Vt in animalibus, ita in natura intellectum ineſſe cauſſam mundi, totiuſque ordinis*; tum vbi notat, l *Quum enim ab vna vi impultrice cieantur omnia, fit vtique quod cuique commodum eſt, & conueniens. Nec vero, ſi ea vis ipſa nec cerni ab hominibus, nec apparere poteſt, quoquopacto id obſtat aut illi ad ea, quæ diximus, agenda; aut nobis ad fidem hiſce rebus accommodandam: nam & anima ipſa, qua viuimus, qua Vrbes, qua domos habitamus, quum haudquaquam ſub adſpectum noſtrum ſita ſit, operibus tamē ipſis videtur: omniſque vitæ cultus, nitorque vtque ab ea inuentus eſt, & deſcriptus, ita ex ea tenorem ſuum ſeruat: terræ cultura, & conſitio, artium excogitationes, vſus legum, reipublicæ recte atque ordine conſtitutæ ratio, adminiſtrationes ciuiles, bellum extra fines patriæ, & rurſus pax in ea: proinde hæc etiam de Deo ſentienda nobis ſunt*, tum vbi de Deo agens inſit, m *An omne non habens materiam indiuiſibile eſt: quemadmodum humanus intellectus &c.* Vbi Deum comparat Ariſtoteles humano intellectui; atque adeo homini; quem alibi n dixerat, maxime eſſe hominem: in hoc, vt notabamus, conſentiens Sacræ paginæ, docenti Hominem factum eſſe ad ſimilitudinem o Dei. Quod inſuper inſit Empiricus, Ariſtotelem aſſerere l, Deum eſſe

k 1. meta. ſu. 2. c. 1.
l de mund. c. 7.
m 12. meta. t. 51.
n 10. ethi. c. 7 f.
o Gen. 1.

Digitized by Google

eſſe ſcientiſſimum; id apertiſſimum habetur, tum vbi dicit Ariſtoteles, p *Quandoquidem Deos cuncta inſpicere, ſatis quidem apud nos conſtat*: tum vbi decernit, q *Deum vnum eſſe, qui* veluti Princeps optimus omnia entia bene gubernat: quomodo enim bene gubernare cuncta entia Deus dici poſſet ab eo, qui Deum cenſeret non omnia cognoſcere, non eſſe omnium ſcientiſſimum? tum maxime vbi conſtituit, Metaphyſicam, quæ ſcientia eſt de omni ente, magis Deo, quam homini conuenire, dicens, r *Hæc ſola ſcientiarum libera eſt; ſiquidem ſola hæc ſui ipſius gratia eſt: Quare merito non humana eius poſſeſſio putabitur: natura enim hominum in pleriſque ſerua eſt: Quapropter ſecundum Simonidem Deus vtique ſolus hanc habet dignitatem; hominem vero indignum non quærere illam, quæ ſibi conuenit, ſcientiam. Quod ſi quid Poetæ dicunt, & natura comparatum eſt vt diuinitas inuideat, in hoc maxime id veriſimile eſt contingere, & infelices omnes eſſe, qui altiora ſe quærunt. Sed nec Diuinam naturam inuidam eſſe conuenit: Poetæque, ſecundum prouerbium, multa mentiuntur: nec aliam, quam huiuſmodi decet honorabiliorem putare; quæ enim diuiniſſima, etiam honorabiliſſima eſt: Talis vero bifariam duntaxat vtique fuerit; nam & illa, quam maxime Deus habet, Diuina ſcientiarum eſt, ſi qua eſt, quæ Diuinorum ſit: hæc autem ſola vtrumque conſecuta eſt; Deus etenim tum cauſa omnibus eſſe videtur, tum quoddam principium: & talẽ aut ſolus, aut præcipue Deus habet.* Quare Deus, qui eſt omnium rerũ cauſſa, & principium, dum ſemetipſum cognoſcit, vna res omnes s cognoſcit, quarum eſt cauſſa; proindeque ſcientiſſimus eſt. Quod vlterius Empiricus inquit, Ariſtotelem dicere, *Sed & ex ſublimibus; nam quum contemplati eſſent Solem quidem interdiu circumeuntem; noctu autem ordinatum aliarum ſtellarum motum; exiſtimauerunt Deum eſſe aliquem actorem huius motionis*: id vt aperte ſatis innuit Ariſtoteles tum paullo t antea dicens; *Quod autem non ſit factiua* ſapientia, quæ eſt principaliſſima ſcientiarum, *etiam ex primis philoſophantibus patet; propter admirationem enim & nunc, & primo cœperunt homines philoſophari: a principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant; deinde paullatim vlterius procedentes, etiam de maioribus dubitando, vt de paſſionibus Lunæ, & eorũ, quæ circa Solem, & ſtellas*

fiunt,

p Poet. c. 11.
q 12. meta. t. 56.
r 1. meta. ſu. 1. c. 2.
s 2. poſt. an. t. 7. & 1. phyſ. t. 1.
t 1. meta. ſu. 1. c. 2.

u de mund. c. 7. ſunt, ac de generatione Vniuerſi: tum alibi u ſcribens, *Quare auguſtius id, decentiuſque exiſtimandum eſt, Deum ſummo in loco ita eſſe collocatũ, numinis vt tamen eius vis per Vniuerſum mundum pertinens, tum Solem, Lunamque moueat, tum cœlum omne circumagat, ſimulque cauſſam præbeat eorum, quæ in terra* x 2. cal. t. 2. *ſunt, ſalutis, atq. incolumitatis:* tũ alio loco aſſerens, x *Quare bene ſe habet quemque ſibipſi perſuadere, antiquos, & maxime Patrum noſtrorum veros eſſe ſermones, quod eſt immortale aliquid, ac diuinum eorum, quæ motum quidem habent, talem tamẽ habent, vt nullus ſit finis ipſius, ſed potius iſte aliorum finis ſit; nam & finis continentium eſt; & hic perfectus exiſtens, continet imperfectos, & habentes finem ac quietem: ipſe quidem nec principium vllum habet, neque finem, ſed inceſſabilis eſt infinito tempore; aliorum autem, horum quidem principij cauſſa eſt; horum autem ſuſcipiens quietem: Cælum autem, & qui ſurſum eſt, locum Antiqui quidem Dijs attribuerunt, vtpote quod ſolum eſt immortale.* Sic huiuſmodi ſententiam ab Empirico relatam de prima notitia, quam homines habuerunt de Deo, qui omnium cauſſa, & cœleſtia mouens, Solem diei præfecerit, Lunam & ſtellas nocti, Philoſophus accepiſſe videtur, vt notabã, a ſacra y Gen. 1. pagina, in qua legimus, y *Fecitque Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præeſſet diei; & luminare minus, vt præeſſet nocti, & ſtellas: & poſuit ea Deus in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei ac nocti, & diuiderent lucem a tenebris.* Ariſtotelem autem legiſſe libros Hebrçorum, immo z adu. Apio. lib. Legem illorum probaſſe, conſtat ex z Ioſepho, referente Clearchi teſtimonium; & ob alias rationes, quas olim tibi retulimus. Ceterum de cognitione Dei per reuelationem habita, clariſſimum legimus Ariſtotelis teſtimonium in opere de Myſtica Philoſophia (ſi tamen Ariſtotelem Autorem agnoſcit ille a in Præf. ad eum lib. liber, vt confirmare nititur a Patritius, & argumento ſatis eſt Græca dictio, qua Patritio teſte primum ſcriptus eſt) in eo b l. 4. c. 6. namque legimus, b *Agens namque primum, quod eſt vnicum, eſt omnino impurificabile ac inalterabile, nec recipit quicquam ab alio, & omne aliud impoſſibile eſt quod non recipiat ab illo. Agentia quoque alia coniuncta alteri operantur in ſpecie circa alterum: ſed agens primum agit ſine ſubiecto, atq. per ſolam virtutem eſſentiæ ſuæ,* (id eſt, ſine materia, ac non per inſtrumenta

eſſentiæ

eſſentiæ ſuæ ſuperaddita, vt decernit D.Th. c) *ideoque dicitur intellectus æternus, non temporarius, quoniam illi non ineſt inquiſitio rationalis, neque intellectus poſſibilis. Et nos quidem apponeremus exemplum huius ſenſibile ; ſed id non foret cõueniens propoſito; quandoquidem eſt ex rebus alterabilibus ; ideoq. diſſimile rei æternæ : ſupponendum igitur exemplum intellectuale : ac vt vnum fruſtum auri indicaturum aliud, ſi ſit immundũ, præpurgatur ſimpliciter, vel ex conditione, vt ſit aurum verum, non illud ſuperficietenus apparet, ſed interius deſcriptum attributis omnibus : ita modo non minus faciendum nobis, conantibus indicare eſſentiam primam per intellectus ſimulachrum, vt non accipiamus ad id niſi intellectum optime depuratum. Quem ſi nitaris ſcire, oportet quæras in ſpiritualibus ; ſiquidem talia ſunt pura, inenarrabiliterq. decora : propterea etiam omnia exiſtunt intellectiua* (ſiquidem, vt alibi dicit d Ariſtoteles, *Principaliſſimũ enim eſt illud, quod continet, quodcumque eſt ; anima autẽ aliquid eſſe melius & præſtantius, impoſſibile eſt ; impoſſibilius autem adhuc intellectu) Quibus quando contemplatus fueris, eris e perſimilis ; nec amplius concupiſces intueri virum iuſtum, quatenus eſt corpore pulcher, ſed intellectu : etenim ſpiritualium pulchritudo eſt maxima ; ſiquidem intelligunt* f *inceſſanter, inuariabiliterque, ac ſincere ; ideo etiam notuerunt non* g *humanitus inuenta, ſed vt diuinitus reuelata : atq. eadem ſuperſtant tam excelſa, vt nulla virtus ſpeculari queat niſi intellectualis.* Ita ergo Dei notitiam habitam eſſe voluit Ariſtoteles per reuelationẽ. Vocem vero πιςεύειν ſumpſit Ariſtoteles in præcipuo ſignificato, pro eo quod eſt *credere*, licet Interpretes alij alio ſignificato vertant. Ad aliud quæſitum tuum de confirmatione ſeria per fabularum ſcriptores apud Ariſtotelem, ſiue qua ratione fabularum ſcriptores vera referre valeant, nunc accedens V. Cl. Vidi locum Ariſtotelis in Politicis *b* abſte productum, de Sardanapalo Rege, qui quod inter mulieres telam texens, aut fuſum torquens viſus foret, ob contemptũ eiectus e regno dicitur εἰ ἀληθῆ ταῦτα μυθολογοῦντες λέγουσι. ex Heinſij V.Cl. tranſlatione, *Si vera ſunt, quæ fabularũ Scriptores memorant* : quem locum vertit P.Victorius, *Si vera hæc de eo prædicant, qui tanquam fabulam commemorant.* Lambinus, *Si vera ſunt*

c 1.p.q.6 a. 1.3.p.q.65. 3. ad 1.

d 1. de an. t.82.

e 12.meta. t.39.

f 12.meta. t.51.

g 2.cal.t.34

h l.5.c.10.

ſunt hæc, quæ a fabularum ſcriptoribus tradita ſunt. Leon. Aretinus, *Si modo hæc fabula vera fuit.* Conſimilem huic locum habemus in Meteorologicis, qui valde turbauit etiam Vicomercatum virum doctiſſimum, vt Ariſtotelem culpare non dubitauerit, aſſerentem, *i* Εἰ δ' ἔστιν ὥσπερ μυθολογοῦσί τινες ἐν Παλαιστίνῃ τοιαύτη λίμνη, εἰς ἣν πάντες ἐμβάλλῃ συνδήσας ἄνθρωπον ἢ ὑποζύγιον, ἐπιπλεῖν καὶ οὐ καταδύεσθαι κατὰ τοῦ ὕδατος: μαρτύριον ἂν εἴη τοῖς εἰρημένοις. ideſt, *Si autem eſt, ſicut fabulantur quidam, in Paleſtina tale ſtagnũ, in quod ſi quis immerſerit colligatum hominem, aut iumentum, ſupernatat, & non ſubmergitur in aqua; teſtimonium vtiq. erit aliquod dictis.* Vicomercatus hic reprehendens Ariſtotelē ait, k *Quod de lacu Palæſtinæ vt fabuloſum Ariſtoteles ſcribit, verum eſſe ab omnibus fere poſterioribus ſcriptoribus proditum eſt;* affertque *l* Plinium, *m* Strabonem, & *n* Galenum pro ſua ſententia: Quare tua dubitatio magni momenti cenſenda. Quid autem hac in re dicere valeat Ariſtotelicus, iam afferre tētabo. Primum quidem ad locum Politicum quod attinet, fabularum ſcriptores non omnia mentiuntur; ſed figmentis nōnulla vera permiſcent ex hiſtorijs; quare non ab re dubitat Ariſtoteles, vtrum Sardanapali fuerit hiſtoria vera fabulis permiſta, an fabula procul ab omni vero; proponit eam tamen inter ea, quæ potuerint eſſe vera; quum enim antiquiſſima fuerit hiſtoria Sardanapali, quod antiquiſſimorum ſcripta multis fabulis reſperſa ſint, vt apparet in Herodoto, Cteſia, Duri, & alijs hiſtoricis vetuſtioribus, illi promiſcue nunc hiſtoriarum, nunc fabularum ſcriptores appellantur: & ex eorum fabulamentis verā hiſtoriam potuit Ariſtoteles colligere, non ſecus ac ex Ennij ſtercore *o* Virgilius aurum colligere valuit. Durim autem & cōplures alios Cteſiamq. de Sardanapali eiectū e regno ob cōtemptum varie ſcripſiſſe memorat *p* Athenæus; vt in hac varietate veterum ſcriptorum Ariſtoteles dubiam poſuerit Sardanapali ſortem a fabularum ſcriptoribus narratam. Ariſtoteles autem in Politicis, quæ non acroamatica ſunt, ſed exoterica, quæque magna ex parte hiſtorica ſunt, dum hiſtorica tractat, præceptaq. promit ad res hiſtoricas attinentia, peroptime fidem hiſtoricorum implorare potuit, immò vero iam debuit, etiam

i 2. meteo. ſu. 1. c. 3.
k In comi.
l lib. 4.
m lib. 16.
n 4. de ſim. med. fac. c. 20.
o Lil. de poe. hiſt. dial. 4.
p l. 12. c. 12.

etiam antiquiſſimorum, qui fabuloſa poſteritati narrantes veritatem geſtorum multis fabulamẽtis obnubilant potius quam veſtiunt; non ex fabulis, at ex vero fabulis intertexto ſua pręcepta politica muniens. Deinde vero, quod attinet etiam ad locum Meteorologicum, verbum μυθολογεῖν *fabulari*; non ſemper apud Autores Claſſicos ſignificat fabulas procul a vero texere, quod Etruſce dicitur *fauoleggiare*; ſed aliquando, quinimmo vero ſæpe ſignat idem ac *fari*, ſeu *loqui*, & ſimpliciter *dicere*, ac æquipollet ei quod Italice dicitur *fauellare*; nam fabulari deducitur etiam a *fando*, quod *loqui* ſignificat: quam obſeruationem habemus tum apud Græcos, tum apud Latinos autores: apud Græcos quidem, primum quia politiſſimus Iſocrates ad Demonicum ſcribens, fabulæ nomen, idiomate ſuo μῦθος, dedit ei narrationi, quam ipſe ſacram hiſtoriam eſſe cenſebat, & omnes alij ſecum æuo ſuo veriſſimam eſſe credebant, his notis, Εἰ δὲ δεῖ θνητὸν ὄντα τῆς τῶν θεῶν στοχάσασθαι διανοίας. ἡγοῦμαι κἀκείνους ἐπὶ τοῖς οἰκειοτάτοις μάλιστα δηλῶσαι, πῶς ἔχουσι πρὸς τοὺς φαύλους, καὶ τοὺς σπουδαίους τῶν ἀνθρώπων. Ζεὺς γὰρ Ἡρακλέα καὶ Τάνταλον γεννήσας (ὡς οἱ μῦθοι λέγουσι, καὶ πάντες πιστεύουσι) τὸν μὲν, διὰ τὴν ἀρετὴν, ἀθάνατον ἐποίησε, τὸν δὲ διὰ τὴν κακίαν ταῖς μεγίσταις τιμωρίαις ἐκόλασεν. οἷς χρὴ παραδείγμασι χρωμένους, ὀρέγεσθαι τῆς καλοκαγαθίας. hoc eſt, *Quod ſi fas eſt mortali voluntatem Deorum coniecturis indagare; eos etiam in coniunctiſſimis potiſſimum, demonſtraſſe arbitror, quomodo & aduerſus homines improbos, & erga bonos viros eſſent animati; nam quum Iupiter (vt fabulæ tradunt, & omnes credunt) Herculem Tantalumque genuiſſet; alterum ob virtutem immortalitate donauit; alterum propter improbitatem maximis ſupplicijs affecit. Decet igitur in hæc exempla intuentes, virtutem & honeſtatem expetere.* Vbi conſtat, Iſocratem ſacras Gentilium hiſtorias, quas ipſe veras exiſtimabat, appellare ſua lingua μύθους, quod Latine vertitur *fabulas*. etſi Vuolphius ſenſum magis quam vocabulum reſpiciens verterit *arcanas-litteras*, & nos vertere potuiſſemus *ſacras-hiſtorias*. Dein-

Digitized by Google

de quia Lexicographis μῦθα Cyprijs φωνή, *Vox*, autore Heſychio: & μυθέομαι, μεύσομαι, *fabulor*, *inquio*, ἀμοιβαδὶς ἀλλήλοισι μυθέοντο. *inter ſe loquebantur*. Apollon.Rhod. μυθέω, μυθῶ, *loquor*. Homer. q Odyſſ. ξ. μυθήσασθαι ἀληθέα, *loqui vera*.

q Odyſſ.14. v.125.

Ψεύδοντ' οὐδ' ἐθέλουσιν ἀληθέα μυθήσασθαι,

ideſt, *Mentiuntur neque volunt vera loqui*.

r l.11.v.140 Sed & r antea

Μητρὸς τὴν δ' ὁρόω ψυχὴν κατατεθνειυίης.
Ἡ δ' ἀκέουσ' ἧσται σχεδὸν αἵματος, οὐδ' ἑὸν υἱὸν
Ἔτλη ἐσάντα ἰδεῖν, οὐδὲ προτιμυθήσασθαι. hoc eſt,
Matris hanc video animam demortuæ.
Illa tacita ſedet prope ſanguinem, neque ſuum filium
Dignatur palam aſpicere, neque alloqui.

s ver.326. & paullo s poſt,

Πάσας δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω. ideſt,
Omnes vero non ego eloqui poſſum, neque nominare.

t ver.343. 344. & t mox,

Ὦ φίλοι, οὐ μὰν ἥμιν ἀπὸ σκοποῦ οὐδ' ἀπὸ δόξης
Μυθεῖται βασίλεια περίφρων, ἀλλὰ πίθεσθαι. ideſt,
O amici, non ſcilicet nobis præter opinionem & a ſcopo
Loquitur Regina prudens, ſed obedite.

Addunt Lexicographi, μυθήσατο, *dixit*, μυσητὴς, *orator*, *ſuſurro*, μυθήσομαι, *dico*. Nonnus, μυθίζω, *loquor*, *dico*, *prædico*. μυθολογεύω, *loquor*. μυθολογέω, *dico*, *narro*. Plato epiſt.ſept. ἃ καὶ ἄλλοις μυθολογοῦντες &c. *Quæ alijs enarrantes &c.* μῦθος, *fabula*, *verbum*, *diſputatio*, *oratio*. & Plato in Phœdone nunc μῦθον, nunc λόγον vſurpauit. Nec mirũ ſi μῦθος ſignificationẽ λόγου aliquando obtineat; quum veteres μυθεῖσθαι dicerent pro λόγειν, hoc eſt narrare. Illiad. 1.

u ver.388. μῦθον ἀγασσάμενοι, *orationem admirantes*. & u ibidem,

Ἠπείλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστί. hoc eſt,
Minatus eſt verbum, quod iam perfectum eſt:

x ver.582. & x mox,

Αὐτὰρ

Αἰνότατε Κρονίδη, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες; ſcilicet,
Moleſtiſſime Saturnide, quale verbum dixiſti?

& *y* antea, y ver, 291.

Τοὔνεκα οἱ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι; nempe
An propterea ipſi permittunt contumelia loqui?

Μῦθον etiam pro *ſermone vero* Plato accepit. Hæc a Lexicographis quum trita iam habeamus; profecto verbũ Ariſtotelis μυθολογοῦσι vertit aptius Vatablus *ferunt*, ſeu *narrant, dicunt,* quam vulgata *fabulantur*. Apud Latinos pariter *fabula* pro ſermone vero ſumitur; & *fabulari* pro eo quod eſt *loqui*, & *narrare*, ſeu *fari*. Sic Nonio *z* Marcello, *Affari non ſolum reſpondere, vel fabulari, ſed etiã rogare poſitũ.* & inferius *a* ait, *Statilinum, & Statanum, & Fabulinũ præſides Deos Varro Cato, vel de liberis educandis, puerilitatis affirmat: ali Statano, & Statilino; quorum nomina habent ſcripta Pontifices: ſic quum primo fari incipiebant, ſacrificabant Diuo Fabulino.* Ita vel Calep. *Fabulor, ragionare, fauellare, fauoleggiare,* μυθολογέω, *a fando deriuatur, & ſignificat loqui. Plautus in Ciſtellaria, Hac noſtram rem fabulatur, hanc ſcire oportet filia tua vbi ſit, ideſt, de re noſtra loquitur.* Et idem Plautus in Captiuis mœſtum Tindarum loquentem de re ſeria ſic introducit, z cap. de Impr. a de doct. Ind.

Nunc enimuero ego occidi: eunt ad te hoſtes Tyndare, quid loquar?
Quid fabulabor? quid negabo? aut quid fatebor? mibi
Res omnis in incerto eſt: quid rebus confidam meis?

Quin & apud Italici ſermonis Autorem eximium Tò *fauoleggiare* ſumitur pro colloquio de rebus Diuinis; etenim Theophilus ille Folengius, nobilis Theologus, & Poeta, qui præter ludicrum poema Merlini, condidit egregias Pſalmorum commentationes; in alio ſuo miſto ex ludicris & ſerijs opuſculo, quod *Chaos* inſcripſit, in tertia Silua, tota ſeria, ſecundam mere ludicram ſubſequente, peragens de Diuina Vocatione animarum ad Statum Gratiæ, dum poetice deſcribit Paradiſum Terreſtrem, ſic introducit ſe, iam ex illecebris mundanis erutum, cum Prophetis Enoch & Helia de rebus diuinis colloquentem his verſiculis,

Quiui honoratamente fui raccolto
Da duo barbati, e candidi Vecchioni,
Vno fù Enoccho, e l'altro, che diſtolto
Di terra aſceſo in Ciel fra' ſpirti boni
Quando Eliſeo videlo nel volto
Foco volar a l'alte regioni:
Queſti con lieto volto m'abbracciaro
Moſtrando il mio venir quant'hebber caro.
Vado fra loro poſcia lento lento
Fauoleggiando verſo il gran palaccio,
Ecco quegli Angioletti a trenta a cento &c.

Sed & apud ſacros autores idem verbū μυθολογεῖν, *fabulari*, idemque nomen μῦθος, ponitur in eadem ſignificatione narrandi rem ſeriam, & ſumitur pro ſermone vero; nam *b* Iob, *Confabulabor cum amaritudine animæ meæ*; ac D. *c* Lucas, *Dum fabularentur, & ipſum quærerent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis; & ait ad illos: qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Vbi *fabulari* pro eodem ſumitur atque *conferre ſermones*. Itaque ſcriptores omnium ordinum eximij verbum μυθολογεῖν, *fabulari* ſumunt pro eo quod eſt, narrare, loqui, & vera dicere; quo ſenſu potuit Ariſtoteles agentes de lacu Palæſtinæ dicere quod μυθολογοῦσι, *fabulantur*, ideſt, narrant; & ex eorum narratione ſua dicta comprobare. Hæc ſunt, amiciſſime Naudæe, quæ mihi de propoſitis occurrunt dicenda. Tu velim ea boni conſulas, & in rebus difficillimis vires ingenij mei, quæ non ſunt humanis validiores, ac ideo fortaſſis impares argumento, benignus excuſes. Petrum Seruium, & Allatium noſtrum, quorum vt monimenta valde nimium æſtimo, ſic ijs me cohoneſtari maximi facio, meo nomine plurimū ſaluere iubeas. Ioannes Argolus, Noghera, & Lilitellus, Cl. Viri a me tibi ſalutati, cuncta tibi proſpera precantur. Vale, & me ama. Bonon. X. Kal. Auguſti M DC XXXVIII.

b cap. 7.
c cap. 24.

De

De Infinito corpore, num actu ſit, aut eſſe, mouerique valeat in natura.

Fortunio Liceto Viro vndecumque doctiſſimo

Scipio a Grandi monte S.

Epiſtola XXXIII.

INfinitum in mole nec eſſe, nec dari poſſe conſtanter aſſeuerat *a* Ariſtoteles, duabus potiſſimum nixus rationibus; altera eſt, quod neceſſario foret vel elementum, vel ex elementis; id quum infinitæ virtutis eſſet, alia tum elementa, tum miſta in ſe conuerteret. Altera, quod illud infinitum moueri non poſſet vllo vel alterationis, vel etiam lationis motu. Aduerſus primam rationem militat experientia; nam præterquam quod non ſequitur infinitum in mole debere eſſe infinitę virtutis in agendo; certum eſt, nullum elementum quantumuis augeatur, poſſe aliud præſertim diſſymbolum in ſe conuertere: neque enim aer, licet in infinitum extenderetur vltra extimi cęli repagula, plus nocuméti telluri afferret, quam nunc facit intra Lunæ orbem concluſus: nec minus totus Oceanus quantus quantus eſt, de minima quauis inſula detrahit, vt eam in aquã conuertat; quam tota Africa, quæ ſicciſſima eſt, & Solibus vſta Nili ſub æſtiuum ſolſtitium reſtagnãtis aquas abſorbet, vel imminuit, qui eodem aquarum agmine ambitioſus incedit quo a tot ſeculis incedebat; quum tamen ſolitarius ſit amnis in tam amplo terrarum tractu: Niger enim, qui ad inſulas Gorgonas diuortium facit, ramus eius cenſetur. Alterari vero poſſe corpus infinitum quid prohibet? nam etſi aer ad Aplanem vſque orbem extenderetur, quamlibet eius partem excalfaceret applicatus ignis, nec operoſius incendet montẽ ex ſulphure vel pyrio puluere cõflatum ſcintilla ignea, quã duo aut tria grana. Minus vero rationi conſentaneum eſt, infinitum corpus loco moueri non poſſe; nam vt ſurſum vel deorſum, ad dextrum vel ad læuum non exeat, quum non habeat terminum ad quem tendat, omnia ſuſque deque replens; at moueri ſaltẽ in gyrum non

a 3. phy. in f.

non poſſe ratio Philoſophi non conuincit: eſto enim diametri in infinitum pertractæ, infinito a ſe interuallo diſſideant; ex eo tamen nihil aliud conſequitur, niſi quod motus nunquam abſolui poſſit, quum ad percurrendam infinitam diſtantiam infinita temporis requiratur intercapedo: hæc tamen motum nō tollit; nam quis ſanæ mentis dixerit, nullam dari cœli circulationem, quod vltima dari non poſſit, ſi mundus æternum duraturus ſit, vt putat Ariſtoteles? ſed integram circulationem nūquam abſoluet ob infinitam diſtantiam, quæ finito tempore pertranſiri non poteſt. Neotericus *b* Claſſicus negat infinitum in mole dari poſſe, quod huiuſcemodi corpus ſuperficie, hoc eſt termino circumſcriberetur, quod aliquam figuram vel regularem, vel irregularem haberet; omnis autem figura terminus eſt; quod vero terminatum, non infinitum. Sed pace tanti viri dixerim, has conditiones eſſe corporis finiti: infiniti enim paſſiones longe diuerſæ ſunt a paſſionibus finiti: quum inter ipſa nulla proportio. Si quis in genere dixerit omne mobile moueri in tempore, falſum dixerit; nam Intelligentiæ, vt vult D.Thomas, mouentur in inſtanti: coarctanda igitur erat propoſitio ad mobilia corporea. In finitis falſum eſt, partem æquari toti, in infinitis verum: non enim plura ſunt puncta in linea bicubitali, quam in cubitali; nec in peripheria maximi circuli, quā in ambitu minimi; ducantur enim a quolibet puncto circumferentiæ maioris circuli ad centrum vſq; diametri, omnes illæ tranſibunt per ſingula puncta circuli inſcripti, cuius longe minor eſt ambitus; & tamen æqualia puncta; neque.n. linea, quum in latum atoma ſit, per duo puncta ſimul tranſire poteſt. Hinc eſt, quod ſubtiliſſimus Galilæus, Mathematicorum noſtri temporis facile princeps, idemque Philoſophus inſignis, demonſtrat punctum, quo terminatur conus in vertice, æquale eſſe toti peripheriæ hemiſphærij concaui vna cum cono in Cilindro vel parallelepipedo inſcripti: Si enim Cilindri facies ductis parallelis ſecetur, oſtendit Archimedes ſegmenta coni medium occupantis æqualia eſſe ſegmentis cilindri & hemiſphærij; quæ ſectio ſi ad ſupremum coni verticem cōtinuetur, tranſibit parallela per apicem coni, hoc eſt per punctum vnicum, quod neceſſe eſt æquale eſſe toti circūferentiæ hemiſphærij, quod ibi totum ſpatium occupat, & nihil cilindro relin-

b Tolet.

quit.

quit. Sed hæc appoſita figura melius intelliguntur, quam videre eſt apud Midorgium de Sectionibus Conicis. Sanior, meo iudicio, & rationi magis conſentiens fuit Pythagoræ, Anaxagoræ, immo & ipſius Platonis opinio, aſſeuerantium, infinitum in mole dari non eſſe inconueniens: nam ſi quod extra cęli extimi cardines excurrit infinitum ſpatium, inane eſt, vt vulgus philoſophorũ aſtruit, quid impedit quominus corpore aliquo repleri poſſit, ſicut repletus eſt hic noſter Mundus? hoc autẽ ſpatium quum infinitum ſit, corpus etiam infinitum admittet. Produci autem a Deo poſſe infinitum, ſi non in numero, at ſaltem in mole plerique Theologorum noſtri æui non eunt inficias, neque hoc repugnat ex parte obiecti. Audax forſan fuerit, præſertim Scholæ Peripateticæ, hæc Antiquorum opinio de Infinito poſſibili: Sed audacior ille, qui nõ modo infinitum in mole dari poſſe, ſed reapſe dari, & eſſe in rerum natura & tenet & probat. Si Ariſtoteli notum fuiſſet, cœlos nõ eſſe ſolidos & compactos, vt ipſe exiſtimauit, ſed liquidos, ipſaque adeo aſtra non orbibus, vt clauos rotæ infigi, ſed libera cuncta aere circumfundi, vt terram noſtram videmus, aliud proculdubio ſyſtema mundi, aliamque elementorum ſedem conſtituiſſet, neque ſexdecim nobis cœlorum ſuperficies & conuexas & concauas obtruſiſſet: quæ ſi extarent, nullum ſidus niſi confuſe & alio in loco cerneretur, propter refractionum multiplicationẽ, vt ex Optica colligere licet: Quinimmo cœlum ipſum ſtellatũ liquidum eſſe putat Princeps Cœſius, probatque tum ratione, tum autoritatibus SS. Patrum, & ipſiuſmet Sacræ paginæ vbi de Mundi geneſi; vt videre eſt apud Scheinerum in Roſa Vrſina, qui ab hac opinione non abeſt. Quum igitur nulla Cœli crepido aut ſuperficies vltima corporis ambientis hanc Vniuerſitatem velut ſeptis ambiat aut cancellis, ſpatium autem ſit infinitum, vt diximus; tamdiu tantumque excurret corpus quod ſuis terminis contineri non poteſt, donec offendat in aliquod ſolidum, quod fluxum eius cohibeat: ſed quum nullum eſſe Neoterici demonſtrent, fluet in infinitum. Hoc autem corpus eſt aer, qui vt iam diximus, non ſuis, ſed alienis terminis continetur, qui ſi defuerint, illimitatus erit, ac proinde infinitus. Et certe mirari ſubit, cur Ariſtoteles, qui hanc aeris affectionẽ agnouerat, ipſi nihilominus ignem ſub concauo Lunæ velut re-

pagu-

Digitized by Google

pagulum adſcripſerit, vltra quem ire non liceat, quum tamen ignis decies aere rariorem idem Philoſophus ponat; qui fluxum aeris in ſublime nitentis nō minus cohibere poteſt, quam aer aquam maris in decliue vergentem: vnde ſequitur primum humidum, nempe aerem ſuis terminis cohiberi; quum ignis terminis contineri non poſſit. Hæc ad te perſcribere libuit Peripateticæ doctrinæ, & Lycei aſſertor acerrime, doctiſſime Licete, vt te ſuper ea re veluti Phœbi Cortinam conſulerem; tu oraculum redde, & nodum hunc aut ſolue aut ſeca. Vale. Patauij. VI. Kal. Iun. M DC XXXIX.

Cl. Nobilitate, doctrina, & eruditione Viro Scipioni a Grandi-Monte Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

A Grandi-Monte tuo, Vir eximie, Timolo monti ſapientia famigerabili minime concedente, non niſi grandis Infiniti Quæſtio poterat ad me peruenire: vtinam ſub immenſo pondere non fatiſcam, penituſve deficiam: Herculeas Ariſtotelis auxiliarias adiungere mihi tentabo vires, quibus nodum tuum Gordiano longe difficiliorem, nō quidem ſecare gladio violentæ negationis aggredior; at vero molliter ſoluere philoſophica ratione mihi fortaſſe licebit. Duas ex Ariſtotelicis rationibus infinitum mole de mundo tollentibus impugnas; alteram, qua dicit † Philoſophus, omne corpus in mundo vel elementum eſt, vel ex elementis compactum; nullum horum poteſt eſſe molis infinitæ; non quidem compoſitum ex elementis; quod elementa finita ſunt & numero, & magnitudine; ex ita finitis nullum infinitū mole coaleſcere poteſt: nec vllum ex elementis, quia quum eorum quodlibet ob contrarietatem obtineat vim actiuam in aliud, quod ea deſtruere ſatagit, ac in propriam ſimilemque ſibi naturam vertere; quum maioris corporis vbique maior ſit actuoſitas; & virtus proportionata debeat eſſe corpori virtutem illam habenti; iam infiniti corporis erit infinita vis; quum finita nullam proportionem habeat ad infinitum:

† 3. phy. t. 43 & ſeqq.

infinitum: ab infinita virtute actiua contrarium elementum finitæ molis, ac virtutis neceſſario deſtruetur, imparem illi virtutem habens ad reſiſtendū: plura vero corpora infinita ſimul eſſe nequeunt; quod vnicum infinitum omnia replens loca molis immenſitate, nullum alteri corpori ſpacium relinquit. Aduerſus hanc rationem ais experientiam militare: præmittiſque primum, infinitum mole corpus non neceſſario virtutis actiuæ infinitaté obtinere: cuius placiti nullam rationem affers: mihi vero duplex oppoſitum ſuadet, altera nuper allata, quod finita virtus non eſt proportionata infinito corpori; quum naturalis cuiuſque virtus proportionata debeat eſſe ſubiecto ſuo: altera, quod videmus aquæ guttam non extinguere flammam, quæ tamen extinguitur ab aqua magnæ molis; habemus centeſimã partem drachmæ napelli ſine noxa potatam; cuius hauſti ſucci ſemuncia ſtatim hominem interimit; quo nomine *a* Galenus anum Athenienſem celebratæ memoriæ ab exigua portione cicutæ auſpicatam memorat, quæ tale venenum nullo detrimẽto comedens ad magnam progreſſa eſt copiam; quod enim principio paucum venenum ab exiguitate deuictum eſt, cõſuetudo poſtea multum quoq; naturale reddidit, ſeu verius innoxium, & non contrarium. *b* Auicennas etiam addit, nutritam fuiſſe puellam veneno, vt eius concubitu reges interncerentur. Sed tamen ſublata conſuetudine, quæ dicitur altera natura, & contrarietatem abrogat, exiguum venenum tantam vim non habet occidendi, quantam habet magna mole ſumptum; nam id enecat, illud vincitur, ac innoxie ſumitur. Similiter drachma mannæ vim nõ habet ſoluendi corpus: eam tamẽ habet mannæ libra deglutita. Dabo non inuitus, ſi contendas, in elemento infinitæ molis non eſſe vim agendi infinitam intenſiue; non tamen inficias ire poteris in eo vim actuoſam infinitam eſſe ſaltẽ extenſiue; ceterũ quæ talis eſt, longe ſuperat cuiuſcumq. finiti corporis reſiſtentiam finitam extenſiue; proindeque finitum patiens ab infinitæ molis agente contrario deſtruetur, & cito deſtruetur ex neceſſitate. Deinde falſo ſumis, elementum nullum quantacumque mole ſit, poſſe aliud præſertim non ſymbolum, in ſe conuertere: non ne vides flammam & ignem aquas feruefacere, feruidaſque tandem in fumum vertere? at fumus ſicca & calida eſt exhalatio, adeoque flammeus, & ignis;

a *3. ſim. fac. c. 18.*

b *l. 4. fel. 6. tr. 1. c. 8.*

† 2. de gen. c. 28. flamma ſiquidē eſt fumus † ardens. Quod aerem obijcis, nihilo plus terræ nocumenti allaturum, ſi vltra cœli cardines in infinitum excreſceret, ac faciat nunc intra Lunæ fornicem concluſus; id non gratis aſſumendum, ſed probandū fuerat; nam eſt id, de quo diſputamus; & nemo tuam præferet Ariſtotelis autoritati: quam vel experientia confirmat; etenim aſſiduè ſcandunt vbique fere de terra ſurſum flammæ Veſæui, Ethnæ, Puteoli, Heclæ, & compluriũ aliorum mundi locorum, quæ non valde procul à terra in amplum aerem ſuſceptæ ab eo ſolo extinguuntur, & in aerē abeunt: ſi ergo aer potis eſt actuoſiſſimum ignem extinguere ac in ſe conuertere, vbi minorē longe maior comprehendat; quid ni, ſi foret aer infinitus, terrā igne non actuoſiorem corrumperet, ac in ſe verteret? Nec Oceanus infinitus eſt, vt eum ducere queas in argumentũ: ſi nāque [illegible] b diſputationi dedero minimæ cuiuis inſulæ nihil deperire ab Oceano toto, qui finitæ molis eſt; non propterea conuincēs hinc, ab Oceano, ſi foret infinitus mole, terrenam inſulam corruptũ non iri, nec in aquam mutatum iri; nam ab actione finiti ad actionem infiniti ratio nulla penitus eſt: ſi non poteſt inſulam perdere finita moles aquarum, poterit eam corrumpere ac in c Experientiam. ſe vertere moles aquarum infinita. Sed quid aduerſus c αὐτοψίαν aſſumis inſulas à mari nihil detrimenti ſubire? Vidi ſæpius in ora Liguſtica ſcopulos iteratis fluctibus excauari; ſed d Aen. 5. & audi d Virgilium, cui

Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Littora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus

An in mentem non ſubijt, à gutta ſæpe cadente demum duriſe l. 4. ſimum lapidem excauari? Tibi iam id e Lucretius occinit,

Nonne vides etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in tempore pertundere ſaxa?

Quin & alter Poeta,

Quid magis eſt durum ſaxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli ſaxa cauantur aqua.

† l. 1. el. 4. Et ipſe † Tibullus,

Longa dies molli ſaxa peredit aqua.

Africæ terram ebibere, multaſque Nilo aquas deſtruere quomodo

Digitized by Google

modo negas? non ne cedit magna Niloticarum aquarum manus in alimentum frugum, quibus Aegyptus quotannis abundat meſſe decumana? ſenſus non agnoſcit imminui Nilum a terra ſorbente, quod aſſidue de Nili fontibus (qui duo lacus ingentes habentur quaſi duo maria in Regno Goyame apud Aethiopes) nouę ſcaturiunt & influunt aquę in Aegyptiam humum: idem de Nigro dicimus; cui ſemper ſubdita, vicinaq. tellus arida ſorbet aquas, partim craſſefaciens in lutum, ac demum in terram vertens, partim plantis ſuis in alimentum ſuggerens. Aliud autem argumentum *f* Ariſtotelis, infinitum de mũdo tollens erat, quod omne corpus naturale ſiue ſit elementũ, ſiue ſit ex elementis, mobile neceſſario eſt tum locali, tum motu alterationis; quia vero diſputat cum antiquis Ariſtoteles, quorum aliqui non diſcernebant motum alterationis, a motu generationis, corruptionis, augmenti, & decremẽti; quos motus multo poſtea *g* ſeiungit Ariſtoteles ab inuicem; ideo nunc alterationis nomẽ aſſumit ſub communiori vocabulo ad indicandum omnem motum a latione diſtinctũ: ceterum corpus infinitę molis non poſſe iam alterari, nec loco moueri certum eſt; de augmẽto conſtat ex eo, quod augmentum fit extrinſecus accedente corpore cõuertendo in augendi naturam; ſed infinitum mole corpus occupat omnem locum, nihil extra patiens eſſe, quod ſibi valeat adiungi. Similiter decrementum eſt quantitatis minoramentum; at infinitæ molis corpus, quantumuis ex eo detrahas, erit ſemper infinitũ: ſed quis ex eo detrahet? quo detractum abibit? quum locus nullus adſit, in quem feratur. Pariter a quo corrumpetur phyſice? a quo generabitur corpus infinitum? ſi præter illud, omnia replens loca, corpus alterum nullum eſſe valeat aut ſibi contrarium, a quo corrumpatur; aut ſibi ſimile, a quo generetur. Denique ſecundum qualitates alterabile non eſt; tum quia nullum extra ſe patitur alteratiuum; tum quia quod alteratur patitur, quod patitur virtutem habet imbecilliorem eo a quo patitur; at infinitum mole vim habet pariter infinitã; quare qua nulla maior eſſe valet, præſertim in corpore finito. Ceterum nec loco moueri poteſt infinitum mole corpus; non quidem motu recto, quia non habet extra ſe locum ſurſum, neque deorſum, nec ante, nec retro, nec dextrum, nec læuum, ad quem

f 3. phy. t. 48 & ſeqq. 53.

g 1. de gen. t. 1. & ſeqq.

in corpore nullam extremitatem habente: propterea recte demonſtrat Ariſtoteles infinitum corpus nullo poſſe motu cieri, neque recto, quod extra ſe non habeat ſurſum, neque deorſum, ad quod aſcendat, vel deſcendat; neque circulari, quod in ſe non habeat, centrum medium, neque polos vltimos ac extremos, circa quę tria circumuoluatur. Neque tu, V.Cl. ſumere potes in infinito corpore diametrum in immenſum productã; quia diameter ſecare debet corpus illud in duas partes æquales tranſiens per eius centrum; at quomodo centrum concipi poteſt, nedum inueniri, quod medium ſit infiniti corporis? quod vt caret extremis, ita carere medio debet ex neceſſitate. Quin etiam quæ mens eſſe valet concipiens duas partes æquales, in quas infinitum mole corpus diſcernatur? quis intellectus infinitę molis duas medietates cõcipere valeat vnquam? nulla iam ergo fingi, nedum eſſe valet diameter infiniti corporis. Nec illud etiam recipere poſſum, vnicam circulationem moliri poſſe naturam, quæ circulatio nunquam abſoluatur; etenim Natura ſemper agit gratia finis, nihilque fruſtra facit; fruſtra vero circũduceret illud corpus, quod ad finem illius gyri peruenire non poſſet: Quod autem opponis de vltima circulatione, quam nõ habet Ariſtoteles in æterna ſua mundi duratione, nobis non refragatur, tibique non opitulatur; quia motus cęli finem ac ſuum terminum habet in vnaquaque circulatione, quę completur indies: at infiniti corporis circulatio ne vnica quidem abſolui poteſt; quare ſine fine penitus fruſtra eo pergeret, quo nunquam peruenire valeret. Cęli vero motus ſemper abſoluitur, ſingulas partes in orientem, ac occidentem ducens & vnde moueri cępere ſingulis circulationibus. Ratio vero, quam ex Neoterico doctore refers, ab Ariſtotele paullo prius *m* allata fuerat inter argumenta probabilia ex cõmunibus ducta, quæ nuncupat ipſe rationes logicas; ait enim, *Logicę igitur ſpeculantibus ex huiuſmodi videbitur vtiq. non eſſe: Si enim eſt corporis ratio planitie terminatum, non vtique erit corpus vllum aut intelligibile, aut ſenſibile infinitum.* Quod argumentum ſic explicatur, quia de ratione definitioneque eſſentiali corporis, qua corpus, eſt habere tres dimenſiones inter ſe proprie diſtinctas, longitudinem, latitudinem, ac profunditatem; quæ ſic adinuicẽ ſe habent vt longitudo natura prior *m* 1.40.

latitu-

latitudine ſit qua ſimplicior eſt, & eadem ratione latitudo ſit profunditate prior: adeoque corporis eſſentia conſtituta ſit ex longitudine ac latitudine velut ex materia ſua proxima, & ex profunditate velut ex propria forma: quod ſatis innuunt mathematici, dicentes longitudinis ſimplicis, quæ linea eſt, fluxu in latum fieri ſuperficiem, quæ latitudine ſpecificatur; ſuperficiei vero ductu in altum fieri corpus, quod altitudine ſeu profunditate veluti forma conſtituitur: iam ſuperficies vt & longitudo corpore prior eſt ordine naturæ, ad eius conſtitutionem neceſſaria; proindeque licet in infinitum fluere ponatur, nunquam tamen conſtituet molem infinitam, quum ſit terminus illius, in quo reperitur. Immo vero quum eſſentia corporis maxime conſiſtat in profunditate longitudinem ac latitudinem habente; quemadmodum eſſentia ſuperficiei conſiſtit in latitudine longitudinem obtinẽte; ac lineæ ſubſtantia cõſiſtat in longitudine; quumque latitudo ſuperficiem conſtituat eſſentialiter, veluti formale principium eius ſuperadditum longitudini veluti materiali principio: & in omni corpore ſit; iam corpus nullum eſſe valet, quod ſuperficie terminatum non ſit. Ac eo magis, quo terminus eſt actus ac perfectio terminati; cuncta vero corpora phyſice perfecta ſunt in genere ſuo, & vniuerſum eſt omnium perfectiſſimũ ſupra magnitudines omnes; quare corpus omne terminatum eſt ſuperficie; proindeque nullum infinitum eſt. Non officit autem huic rationi, (licet eam Ariſtoteles Logicam cenſeat) quod obijcis, egregie Vir, has eſſe conditiones corporis finiti; nam latirudo cõpetit corpori qua corpus eſt abſolute, non autem qua finitum eſt: & latitudo formale conſtitutiuumque principium eſt ſuperficiei primario, vt oſtendi. Noui longe diuerſas eſſe paſſiones infiniti (ſi datur) a paſſionibus finiti; ſed tamen non omnes; at illæ ſolum, quæ vtrique conueniunt a propria cuiuſque differentia: ſed quæ illis inſunt a ratione corporis, in qua communicant, diuerſæ non ſunt, ſed eædem. Quod addis, non bene poni motum in genere tempore menſurari, quod Angelico Doctori ſeparatæ mentes moueantur in inſtanti, nihil nos turbat: tum quia motus ille phyſicus non eſt, nec eiuſdem generis cum motu phyſico, de quo loquimur Philoſophi: tum quia ſecus aperte decernit D.Th. angeli motum neceſſario non in momento, ſed in

tempore fieri, ſiue continuus, ſiue non continuus eſſe dicatur: verba ſunt ipſiſſima; *n Quum angelus proprie moueatur motu continuo, vel noncontinuo; non in inſtanti, ſed in tempore ipſum moueri neceſſe eſt.* Et mox fuſe diſputans contra ſentientes motum Angeli momento fieri, late declarat quomodo fiat in tempore. Quod addis, in finitis falſum eſſe partem æquari toti, at in infinitis verum; procul a vero mihi videtur abeſſe, quod aſſeris de infinitis: nam ratio partis, & totius eadem eſt in finitis, & in infinitis; quare debet eaſdem paſſiones habere. Quin & axioma mathematicum eſt vniuerſaliſſimum, Omne totum maius eſt qualibet ſua parte; nec apud vllos videas coarctatum ad totum finitum: nonne tibi numerus numerans infinitus eſt? quomodo pones decem, mille, vel quamuis aliam partem numeri terminatam infinito numero toti æqualẽ eſſe? Ratio prima, quam ducis a quanto diſcreto, quod non plura ſint puncta in linea bicubitali quam in cubitali, videtur eam ſolutionem habere, quod etſi cubitalis ſit pars totius bicubitalis, & in cubitali ſint infinita puncta, quæ pariter ſint in bicubitali; conſidero tamẽ longe plura eſſe illa infinita puncta bicubitalis, quam quæ ſunt in cubitali; quamuis enim numerus numerans infinitus vniuſmodi ſit, non maior neque minor; tamen aliter ſe res habet de numero numerato; nam ille maior eſt, qui duas habet infinitates, minor qui vnicam; in cubitali linea ſunt puncta infinita ſecundum vnicam infinitatem; at in bicubitali linea ſunt duæ punctorum infinitates; quare maior eſt, adeoq. inæqualis numerus punctorum in linea bicubitali, minor in cubitali; inter quos eſt proportio duorum ad vnum. Nec inſolubile videtur argumentum aliud a circulis inæqualibus ductum, in quibus totidem puncta recognoſcis; nam ſi ducantur a quolibet puncto circumferentiæ maioris circuli ad centrum vſque diametri, omnes quidem tranſibunt per ſingula puncta minoris circuli incluſi; verum diametri latiorem inter ſe qualibet habebunt intercapedinem in peripheria maioris circuli, quam in circumferentia minoris incluſi; adeo vt, quæ ſe ſe quaſi tangunt in minori circulo non relinquentes tranſitum nouæ diametro, ſic habeant inter ſe medium hiatum in amplioris circuli peripheria, vt inde plures diametri diſtinctæ duci valeant largiterq. ab inuicem ſeparatæ, quæ in minoris peripheria locum, diſtinctum.

n 1. p. q. 53. 3.

ctum forte nõ inuenient. Deinde vero falſo ſupponis incluſum circulum eſſe partem maioris; ſunt enim duo tota inter ſe diſtincta penituſq. diuerſa: quare vel data veritate tuæ ſumptionis, inde non video ſequi totum aliquod eſſe vni ſuarum partium æquale. Deinceps vterque circulus hic a te propoſitus eſt finita magnitudo, non infinita; ſed nuper dixeras, verum eſſe in finitis totum inæquale eſſe parti; ſumpſeraſque probãdum, e contra in infinitis totum æquari parti ſuæ. Conſimile quid aio de argumẽto, quo Galileus noſter, vere Mathematicorum iubar, vtitur; nam & coni vertex punctum, & peripheria, quæ probat adinuicem æqualia eſſe, non reponuntur in infinitorum cenſu, ſed ambo finita ſunt. Ceterum etſi rationem viri præcelſi ſubtiliſſimam video; mihi tamen illa perſuadere non poteſt intẽtam æqualitatem inter totum & vnam eius partem, vt oſtendere conaris; primo quidẽ quia falſo ſupponitur, punctum eſſe partem peripheriæ; quum vere punctum illud nullius rei pars ſit, nec etiam circuli, ſed ſolum terminus interior, ſiue medium circuli; at peripheriæ nihil eſt omnino. Deinde quia reuera punctum illud in apice coni non poteſt vlla ratione dici vel eſſe æquale peripheriæ circa ipſum ductæ; nam æqualitas, & inæqualitas proprie paſſio eſt quãti proprie dicti, quatenus quantum eſt: quum igitur punctum vere ac proprie quantum non ſit, ſed extra genus quanti ſit purus terminus quantitatis: propterea nec eſſe, nec dici valet æquale peripheriæ. Denique in figura, ad quam me remittis, quo plenius intelligerem rationem Cl. Galilei, video ſenſim armillas a baſi deinceps verſus apicem coni a ſecantibus planis ipſimet baſi parallelis deſignatas, cum circulis ſuis comparibus, ac ſemper coæqualibus imminui; ſed tamen animaduerto denique poni ſupponiue tum poſtremam armillam deſinere ſeu mutari in lineam amiſſa penitus omni latitudine; tum vltimum circulum exilimum degenerare in punctum omnis quantitatis expers; tum etiam comparari ſeu lineam, ſeu armillam in æqualitate cum puncto indiuiſibili: quorum nullum admittere poſſum; & ſine aliquo iſtorum demonſtratio non concludit intentum. Et ſane poſtremam illam armillam, quæ ſuperficies eſt, amittere latitudinem ac degenerare in lineam ſola detractione partis ac diuiſione ſui nunquã reuera poſſe, demonſtratur axio-

Digitized by Google

mate Mathematico decernente quodlibet & omne continuum eſſe diuiſibile in ſemper diuiſibilia, proindeque in infinitum; quum igitur armilla ſuperficies ſit latitudine conſtans; nulla vnquam diuiſione fieri poterit, vt ab ea detractis quantiſcumque partibus latitudinis tandem remaneat vltima quæpiam armilla ſine latitudine, ac euadat linea peripheriæ. Conſimiliter non video mathematice ſumi poſſe poſtremũ circulum minimũ ac inſectilem, qui tandem decremẽtis iugiter illi adhibitis ábierit in punctum; etenim circulus ille ſumptus in argumento ſuperficies eſt, quæ nulla ſui ſectione ac imminutione poterit vnquã in punctum mutari, nec in lineam; ob rationem continuitatis qua ſuperficies quælibet eſt diuiſibilis in ſemper diuiſibilia: idipſum aio de circulo, qui linea eſt circa ſuum centrum ducta diſtans ab eo per ſpacium longitudinis lineæ capax, quæ ſemidiameter eſt; nam earum neutra vllis reſectionibus vnquã ad vltimum quid indiuiſibile perduci poterit; quum vtraque continua ſit; & de ratione ac eſſentia continui ſit in ſemper diuiſibilia diuidi, nec vnquam ad indiuiſibilem naturam mutari perducique: quare nec datur vltimus circulus, nec in punctum abire poteſt vllo ſui decremento circulus vllus quãtumuis exiguus euadat, ac fiat. Tertio non ab o Ariſtotele ſolo prolatum, ſed ab vniuerſa Mathematicorum ſchola receptum video, comparationes fieri non poſſe niſi inter ea, quæ ſunt eiuſdem generis: modo quum armillæ ſingulæ, ſinguliq. circuli deſcripti infra coni verticem in eodem genere quantitatis, ac magnitudinis exiſtant, nimirum ſuperficies; apte poſſunt ad inuicem comparari, ac dici, & eſſe reuera magnitudines ac ſuperficies inuicem æquales: ſed ſi demus vnum illorum mutare naturam priſtinam, & multo magis degenerare, labiq. extra genus magnitudinis, tunc neceſſe eſt illud ſimul cum priſtina ſpecie ſuperficiei vel cum ipſo genere quantitatis amittere paſſionem propriã illius generis aut ſpeciei, q̃ dicitur ęqualitas, & inęqualitas & comparabilitas; ita ergo ſi poſtremus circulus in apice coni exuat eſſentiam magnitudinis abiens in pũctum indiuiſibile, ſimul exuit ęqualitatem, & comparationem cũ qualibet magnitudine, ſiue linea ſit illa, ſiue ſuperficies; perinde ac homo per mortem degenerans in cadauer, vna cum animę ſeparatione ſimul amittit riſibilitatem, & omnes paſſiones priſtinas;

o 7. phyſ. t. 24

etſi namque poſſunt æquales eſſe circulus & armilla compar, quod ambæ ſunt magnitudines, & adeo capaces æqualitatis; & ambæ ſunt ſuperficies, ac proinde comparabiles in æqualitate; non tamen propterea ſimiliter linea peripheriæ, quæ poſt omnes armillas a baſi ad verticem coni decreſcentes aſſidue, concipitur, æqualis eſſe diciue poteſt puncto terminanti Conum; ſiquidem punctum degens extra genus magnitudinis, & quantitatis, nec poteſt eſſe ſubiectum æqualitatis, quæ ſolius quanti paſſio dicitur; nec poteſt peripheriæ, vlliue lineæ, aut alteri magnitudini in æqualitate, vel in alia vlla re comparari; quod comparabilia nō ſunt niſi quæ comperiuntur in eodem genere; ſiquidem peripheria continetur in genere lineæ, quæ ſpecies eſt quanti continui diuiſibilis in ſemper diuiſibilia; punctum autē eſt in indiuiſibilium genere prorſus extra genus nedum lineæ, ac magnitudinis, at etiam extra genus vniuerſum quantitatis. Quod vlterius contra Peripati Magiſtrum affers, non abſurdum eſſe cum Pythagora, & Anaxagora, Platoneq. dari poſſe corpus infinitum mole, quod extra cardines vltimi cœli ſpacium infinitum excurrat inane, vt vulgus philoſophorū aſtruit; nihil impedire quin corpore repleri valeat, eoque infinito; quod a Deo produci poſſe nonnulli Theologorum aſſerunt, quum nō repugnet ex parte obiecti, faciliorem habet enodationem; tum quia tutius duco cum Ariſtotele *p* Philoſophorū Anteſignano negare vacuum vllum locum extra cœlum eſſe; quam cū vulgaribus aliquibus Philoſophis id vacuum aſtruere; præſertim repugnante illis ipſa ratione; nam fruſtra foret ibi locus ſemper inanis, qui nullo vnquam corpore repleretur; fruſtra ſiquidem eſt illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum; fruſtra eſt calceamentum, cuius non eſt calceatio; Deus autem & natura nihil *q* fruſtra faciunt. Corpori repugnare carere latitudine, proindeque ſuperficie nuper oſtendimus: tum quia quod ais, infinitum ſpatium extra cœli cardines, a vulgo Philoſophorum poſitum, aliquo corpore repleri poſſe; id nos dicimus ea ratione nullo corpore repleri poſſe, quia eſt infinitum; vt enim ablatione non poteſt infinitum exinaniri, quoniam eſt infinitū, ita prorſus infinitum ſpacium repleri non poteſt, quoniam eſt infinitum; quod enim replet menſurat locum, quem replet; aſt infinitum nulla ratione menſurari valet: Mundus quidem noſter,

p 1. cæl. t. 100.

q 1. cæl. t. 32

Digitized by Google

ſter, quia finitus eſt, replet locum finitum, in quo continetur; at infinitum corpus non ideo replebit ſpatium infinitum: non ne noſti, Vir Cl. finiti ad infinitum nullam eſſe rationem? quomodo nunc a finiti proprietatibus arguis ad infiniti cõditiones? Quod vltimo diſputas iuxta nonnullos ea ratione probari mundum eſſe reuera molis infinitæ, quia nullum ſit corpus terminans fluxum aeris, ſeu ætheris in altum excurrentis, neceſſitatis expertibus (pace tua dictum ſit) fundamentis innititur; nam primo, quis vnquam legit Ariſtotelis vllum verbum de cœleſtium ſphærarum ſoliditate, compactioneue? ſcio pleriſque Peripateticis hoc probari, ſed tamen id ab eis video ſine probatione probari: latius autem pluribus argumentis ex rei natura deſumptis in Peripato tractãs de nouis aſtris & cometis r oſtẽdi cœlorum partes lucidas eſſe denſas; at diaphanas eſſe raras non ſolum, ſed aere rariores, ac fluxiles. At inde non colligas aſtra non moueri ad motũ orbium; nam & naues in mari partem, & in aere partem habentes aguntur facile ad maris fluxũ, & ad aeris motum, quem ventum appellamus, etiam ſi nullis contis, nulliſque remis impellantur: & apud Copernicanos pleroſque grauia deorſum lata ſimul ad motum aeris intra montium cacumina rotati ad motum telluris ab eis poſitũ, mouentur in gyrum adeo vt ad idem punctum terræ redeãt, a quo recto motu ſurſum vi pulſa fuerant. Ceterum aſtra neceſſario moueri ad motum orbium, ſiue (quod idem eſt) non in aere, medioue liquido, raroue ſtante, nec multo minus cõtranitẽte, neceſſario cõuincit * Ariſt. ex eo, quod ſecus ipſorũ aſtrorum corpora plurima, velociſſimo concitata motu non poſſent nõ ingentem ſonum procreare, qui nobis exaudiretur: nam & multo tardiori motu per aerem acta funda balearica ſtridet, plumbea glans e tormento bellico ſibilat, & e balliſta telum, omniaque per aerem apud nos velociter mota ſonitum edere ſentiuntur: Virgilio † namque

r l. 5. c. 5o.

* 2. cæl. t. 56.

† 12. æn.

Ecce viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt.

Quidni Lunæ motus in æthere nobis auditur, ſi tanti ſideris latio ſit in raro aere quieſcente, vel contranitente, nõ ad motum cõſimilem orbis, in quo locatur? nauem ad motum fluuij, mariſue ferri ſine ſonitu videmus; at eam contrario curſu, vel in aqua ſtagnante velociori motu cieri ſine fragore magnoque

Digitized by Google

ſonitu non contingit. Neque video cur ponenti cœleſte diaphanum fluxile rarumque, tollendũ ſit Ariſtotelicum vniuerſi ſyſtema, negandæque ſint concauæ conuexęque ſphęrarum ſuperficies; etenim Ariſtoteles elemento ignis, pariter & aeris proprias vtrique tribuit & concauas & conuexas ſuperficies, quibus ſecernuntur a contiguis corporibus: Quin & Keplerus Mathematicus illuſtris opinatus cęli diaphanum eſſe rarum, & fluxile, ponit nihilominus in eo ſphęras diſtinctis plane ſuperficiebus varios planetarum motus ab inuicem diſcernentes. Verum enimuero dato nullam eſſe cœli crepidinem, aut ſuperficiem vltimam duri corporis ambientis hanc vniuerſitatẽ, quæ ſit terminus cohibens effluxum contenti corporis; non video cur contentum corpus excurrere debeat in infinitum. Aerem dabo, qua humidus eſt, facile claudi terminis alienis, difficile proprijs; non tamen ideo dedero aerem eſſe terminis proprijs prorſus interminabilem. Et dato quod ſit proprijs terminis interminabilis, non ideo conceſſero ipſum infinitum eſſe ac in immenſum ſpacium excurrere valere; aſt inde fiet ſolum vt certam figuram non ſemper obtineat, ſed labilem ac fluxam; nam ſublato de mundanarum rerum Vniuerſitate igneo elemento, non ideo ſurſum in alienum locum fluet ac attolletur aer, ſed infra locum leuium abſolute manebit, in quo dicetur illimitatus, quoniam ad aquę ſubterfluentis vndas & ad ventorum turbines modo ſecundum partes attolletur, modo ſubſidebit, nunquam certam firmamque figuram habebit, determinatiſve limitibus claudetur: omne quidem infinitum eſt proprio alienoque termino prorſus illimitatum, ſed non e cõuerſo quodcumque alieno termino eſt illimitatum, protinus id immenſum eſt ac infinitum. Nec Ariſtoteles aeri fluido dedit ignẽ ſub cõcauo Lunæ pro repagulo coercente fluxum illius in im-
s 4. cæl. t. 39 menſum, qui perſpicuis plane verbis ait, *s* In ſua regione vnũquodque grauitatis particeps grauitatem habere; *quapropter ſi ſubtrahatur, fertur in id, quod deinceps eſt, deorſum, aer quidem in regionem aquæ, aqua autem in eam, quæ eſt terræ; ſurſum autem in eam, quæ ignis eſt, ablato igni, non feretur aer, niſi vi*; quemadmodum nec aqua in eam, quæ eſt aeris, neque terra ſurſum; ſic neque ignis deorſum fertur ſublato aere; quod nullam habeat grauitatem in ſua regione; quantumuis rarus

atque

atque fluxilis exiſtat; nam aer, & ignis natura ſua coercetur, ille in loco leuium comparate, hic in loco leuium abſolute; nec ignis, de mundo tracta Lunari ſphęra, fluet in locum cęleſtem, cõtentus loco ſibi proprio ac naturali, leuibus a natura dicato, non affectans locum naturalem neutrorum corporum, qui ſibi præternaturalis eſt. Vltimo ſi mihi das, V. Cl. primum humidũ, nempe aerem ſuis terminis cohiberi, nec ignis terminis contineri, perinde ac aer aquam in decliue vergentem cohibere non poteſt; quomodo vis aerem natura ſua infinitum eſſe, ac illimitatum penitus in immenſum excurrere? Hæc, inclyte Vir, de propoſitis abſte mihi difficillimis nodis, nunc e currenti calamo fluxere; vtinam tibi non diſpliceant. Vale, vir multiſcie, non minus eruditione, quam ſoliditate doctrinarum omnium in litterario mundo conſpicue. Dabam Bononiæ. V. Id. Iunij M DC XXXIX.

De Natura Dęmonia, non diuina apud Ariſtotelem
Viro Maximo Fortunio Liceto
Gabriel Naudęus S. P. D.
Epiſtola XXXIV.

SCribo ad te, Fortuni Licete, magis quam vellem feſtinanter, ob negotia quæ me ſub meũ ex Vrbe diſceſſum, quaſi coniuratione quadam inter ſe facta, premunt & circunſtant: Quamobrem oro te primum vt breuitatem literarum mearũ boni conſulas; deinde etiam moneo vt Eminentiſſimum Cardinalem Legatum adeas, recepturus ab eo exemplar illud Syntagmatis mei de ſtudio militari, quod vna cum ſuo Bononiam, vt tibi reddatur, his proximis diebus elapſis deferendum curaui: Hoc autem accepto, pergratum mihi facies, ſi illud non ſuperficie tenus euoluas: ſane iudiciũ de illo tuum opperior; nec illud quidem velut ab Amico, ſed ſincerum, quod nihil gratiæ aut beneuolentiæ, ſed omnia Veritati concedat. Vellem præterea, vt quum tibi commodum erit, certiorem me facias, quomodo liber hic meus ab Academicis Veſtris exceptus fuerit; & quid mihi de Librarijs Bononienſibus polliceri debeo; quibuſdam vellem, ſi fieri poſſet, aliquot eius exemplaria diſtrahere.

ſtrahere. Beuerouicius Genio, ita me Deus amet, in arte Medica nemini ſecundus, quum nuper ad me ſcriberet, mentionem quoque tui fecit prorſus egregiã; is totus eſt in libris tuis, eorumque non minus varietatem, quam doctrinam miratur; denique habet te pro Oraculo, cuius de rebus dubijs reſponſa ſciſcitari nonnunquam velit; vno verbo, non eſt illi quiſquam te ipſo charior, neque hercule dignior qui ab omnibus bonis & eruditis diligatur. Iam vero lucubrationes tuæ quo in ſtatu ſunt? de omnibus profecto nominatim quærerem, niſi temporis anguſtiæ impedimento mihi forent: ſed tuũ erit, qui plus otij nactus es, de ſingulis tamen reſpondere, præſertimque de Quæſtionibus Peripateticis, quarum editioni vt diligenter incumbas, non poſſum hic denuo non te commonere maiorem in modum. Præterea commendo tibi negotium illud, quod tu mihi plurimum eſſe cordi non ignoras, obteſtorq. fidem tuã, vt amici mei, quorum in eo res agitur, ex officio tuo cognoſcant, quanta tecum, & quam veteri neceſſitudine ſim coniunctus. Atque hic putabam me facturum eſſe ſcribendi finem; verum quia mihi in mentem venit, nõ ſecus ac in acumen calami diſputatio nuper habita cum Amico quodam, ſuper illis verbis Ariſtotelis ex libro de Diuinatione per ſomnium, *ſiquidem Natura δαιμόνια, non diuina eſt*; de qua ſane poſt varias altercationes, nihil quod eius animo, aut meo ſatisfacere definitum fuit; nolui propterea vt mihi velut e manibus elaberetur præſens occaſio, tuam ea de re ſentẽtiam expiſcandi, accipiendiq. ab eruditiſſimo tuo calamo explicationem illius loci, quem perobſcurum eſſe, nullus eſt Ariſtotelis interpretum, qui non aperte fateatur. Vale: plenius ex amœniſſimo ſeceſſu Reatino ſcribam; has enim raptim effundo, turbulenterq. Romæ prid. Kal. Auguſt. M DC XXXVII.

Cl. V. Gabrieli Naudæo Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

ACcepi ab Eminentiſſimo Sacchetto Bononiæ Legato (Cl. Naudæe) Syntagma tuum de ſtudio militari, ſumma refertum eruditione, non minus acri iudicio concinnatum atque

digeſtum,

digeſtum, quam vberi ac eleganti ſtilo delineatum; non ego ſolus, ſed vna mecum viri diſerti laudant in eo rerum bonarum copiam, non vulgarem litteraturam, fecundamq. facundiam; requirunt attamen indicem vberiorem, ad alphabeti litteras rerum variarum multitudines diſponentẽ, quo facilius quiſq. poſſet ad votum conquiſita facile reperire: ſed mihi non inficiantur vlli monumentum eſſe, quale decet viri valde diſerti, vereque Genij magni genuinum opus. Non deſunt, qui notant in eo nimiam rerum abundantiam, quæ videtur illis quandam confuſionem ingerere; mallentque ſelectiora tantũ narrata, reſecatis pleriſque vulgatioribus: e contra multis magis arridet vbertas; quod quæ vni vulgaria videntur, alij ſelecta ſæpenumero cenſeantur; non enim eadem cuique probantur; & in operibus præſtat ita ſe gerere ſcriptorem, vt omnibus aliqua parte ſatisfaciat lectoribus. De munere tibi magnas etſi ſero (nam illius bonam partem non perfunctorie prius legere volui) gratias habeo; maiores de repetita mei memoria, quã adeo præclaram in tuis operibus æternitati commendare voluiſti; ſed maximas de iudicio, quod Cl. Virum Ioannem Beuerouicium de meis libris tuliſſe mones, deq. ſummi viri erga me propenſione; qui ſi, vt ait, meis in ſcriptis nunc totus eſt, ſeque mihi commendari vehementer cupit; iam te proxeneta pro certo habeat velim, totum me nunc eſſe, ſemperque futurum in eius obſequijs. De tuo volumine cum his bibliopolis agam ſedulo, breuique te certiorem reddam quid ab ipſis habere valeas. De libris meis quæ ſcire cupis, paucis aperiam: Lilium Maius Illuſtriſſimo Senatui Bononienſi dicaui; Lilium Minus Illuſtriſs. & Excellentiſs. Vincentio Equiti Guſſono Senatori Veneto, cui iamdudum id pollicitus fueram, maximis ab eo deuinctus beneficijs: ambo Venetias appulerunt ex Vtinenſium Vrbe; Bononiam a proximo tabellario ferentur. Encyclopediã ad Epei Securim ſeuã .ſ. vt pridẽti manu tractã dã, dabo Eminentiſs. Iulio Cardinali Sacchetto, vt eam ſuis Faſcibus Bononienſibus alliget, ſperans confidenſq. talem Heroem, qui Palladium gerit animum, organum illud Mineruæ conſilio conſtructum, quo celeberrima belli machina diuturnis Græcorum Troianorumque diſſidijs cum fontium pernitie finem impoſuit, non aſpernaturum. Quæſtiones Peripateticas vrgeo

per

per interualla; quod varia contineant argumenta, genium vniforme continuatumque Scriptoris non admittunt: Syringam Theocriti ſatis inflatam, vt debitam, conſecrabo Hero, Heroi noſtro Marchioni a Balneo. De Ouo, Amoris Alula, & Pietate Ariſtotelis, quam nuperrime ad vmbilicum perduxi, nondum plane deliberaui. Hydrologiam habuit Illuſtriſs. & Excellent. Thuillerius: quid iam de illa egerit, nihil certi habeo. Volumen de Natura & efficientia Luminis iam a me coronidem habuit; ſpero fore vt breui fiat publici iuris. Negocium illud amicorum tuorum, quod iam tuum eſſe vis, meum putato, quin etiã pluſquam meum; nam in meis negocijs peragendis tantam nunquam adhibui diligentiam, & animi contentionem, quantam a plurimis diebus ad hoc vnum contuli; ſed noſti mores hominum, quibuſcum mihi nunc agendum eſt; qui nulla diligentia, nulla prorſus aſſiduitate facile moueri, nedũ expugnari valent; vrgebo tamen, & omnem lapidem mouebo, vt aliquando voti compotes fiamus: idque pro certo habeas velim. Iam ad nobile non minus quam arduum quæſitum de *Natura Dæmonia, non Diuina* nuncupata ab Ariſtotele, qui eam ibi proponit veluti cauſſam propriam & phyſicam ſomniorum, verorum, quibus homines non raro diuinant futura, vel percipiunt diſtantiſſima, quorum ſenſu notionem non habẽt, vel veritatem abditam rerum intelligibilium acquirunt, quam vigilantes vllo ſtudio ſibi comparare non potuerunt; de hac inquã natura vt inueſtigemus quid vere ſit, ex alijs attributis ab Ariſtotele illi conceſſis, & ex reipſa forſan inueſtigatione diligentiori conſequi poterimus: At præſtat Ariſtotelis verba huic rei cõducẽtia præmittere: ait ergo, a *de Diuinatione vero, quæ in ſomnis fit, & dicitur accidere a ſomnijs, neque contempſiſſe facile, neque ſuaſum eſſe*. & mox. *Deum quidem eſſe mittentem, cum alia irrationabilitate, & non optimis, & prudentiſſimis, ſed quibuſlibet mittere inconueniens*. Non quia Deus mittere non poſſit; ſed quia nõ mittit ſomnia prauis, & fatuis hominibus; quibus plerumque vera ſomnia contingunt; vt iam in prouerbium ceſſerit, Fatuos, & pueros diuinare: nam & a Deo mitti ſomnia nouerat Ariſtoteles ex alumno ſuo Magno Alexandro, cui relatu † Ioſephi, vt olim ad te ſcripſiſſe memini, Deus in ſomnis apparens iuſſit fidenter exercitum in Perſas, quos debellatu-

a *de diu. per ſom. c. 1.*

† *11. antiq. cap. 8.*

bellaturus eſſet; vt euenit; quam hiſtoriam refert etiam Origenes, inquiens, * *Iudæi quandiu probatiores fuere, a Deo nuſpiam ſunt deſtituti: & ſi pauci numero viderentur, a Diuina tamen potentia ſeruabantur, ita vt neque ab Alexandro Macedone aliquid paterentur, quum ex conuento neſcioquo & pactionibus aduerſus Darium arma ſumere renuiſſent. Ferunt præterea & Principem Sacerdotum ſacra indutum ſtola ab Alexandro hoc adoratum: identidem affirmant ea ſpecie virum dormienti ſibi & obſeruatum, & pollicentem futurum omnino vt vniuerſam Aſiam ſubiugaret.* Quæ omnia contigerunt, & Ariſtotelem latuiſſe non potuerunt: quare dum negat, a Deo mitti ſomnia vera, negat mitti ſimpliciter omnibus; qui ſolis ſapientibus, & probis ea mitti a Deo cenſuit: ſed Philoſophus dum euentuum abditorum cauſſam naturalem aſſignare poteſt, ea neglecta ſibi confugiendum eſſe ad machinam non cenſet, aſt illam omnibus ingenij viribus indagandam: quam eſſe difficilem cognitu monet addens, *Ablata vero, quæ a Deo, cauſſa, nulla aliarum conueniens eſſe videtur cauſſa: quandoquidem eorum, qui ſecus Herculeas columnas, & qui in Boriſthene præuidere aliquos, ſupra noſtram videtur eſſe prudentiam inuenire originem horum.* & inferius, b *Omnino autem quoniam & aliorum animalium ſomniant quædam, a Deo vtiqu: miſſa non erunt ſomnia, neque facta ſunt huius gratia: dæmonia tamen: natura enim dæmonia, non diuina.* Sane Canes in ſomnis baubant, quod indicium eſt eos ſomniare; quod par eſt alijs animalibus perfectis euenire, quorum imaginatio conſeruet in ſe ſimulachra rerum antea perceptarum ſenſibus externis: quę quidem ſomnia certum eſt a Deo nō mitti. Sed quum hæc diuinatoria non ſint, & ad naturam Dęmoniam referri nequeāt, quod hic efficit Ariſtoteles; iam ſuſpicari lubet, per quædam aliorum animalium Ariſtoteles ea intelligere, de quibus egerat olim aſſerens, c *Nunc autem intantum dictum ſit, quod animalibus habentibus tactum, & appetitus inſit. De imaginatione autem immanifeſtum, poſterius autem conſiderandum. Quibuſdam autem adhæc ineſt & ſecundum locum motiuum: alijs autem cogitatiuum, & intellectus, vt hominibus, & ſiquid aliud huiuſmodi eſt, aut etiam honorabilius*: hæc autem habentia tactū, appetitum, imaginationem, loco motiuum principium, cogitatiuum

* 5. contr. Celſ. in f.

b cap. 2.

c 2. de an. t. 29.

Digitized by Google

tatiuum, & intellectiuũ, vt homines, quæ ſint hominibus conſimilia, vel etiam honorabiliora, nihil aliud eſſe potuerunt Ariſtoteli, quam, quæ ſub nomine Faunorum, Aegipanum, ac Satyrorum, Silenorumq. numina Silueſtria colebantur antiquitus animalia; de quibus idem Ariſtoteles alibi ſub Dæmoniorum nomine tractat inquiens, *d Subſtantia dicuntur & ſimplicia corpora, vt terra, ignis, aqua, & quæ talia ſunt, & vniuerſaliter corpora, & quæ ex his conſiſtunt animalia, & dæmonia, ac eorum particulæ.* Quam opinionem ac doctrinam profeſſus eſt Ariſtoteles etiam in dialogo ad Eudemum, cuius verba retulit Plutarchus inquiens, *e* καὶ πολλοῖς οὕτω παρὰ τοῦ δαιμονίου μεμαρτύρηται. τοῦτο μὲν, ἐκείνῳ τῷ Μίδᾳ λέγουσι δήπου μετὰ τὴν θήραν ὡς ἔλαβε τὸν Σειληνὸν, διερωτῶντι καὶ πυνθανομένῳ τί ποτέ ἐστι τὸ βέλτιον τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τί τὸ πάντων αἱρετώτατον, τὸ μὲν πρῶτον, οὐδὲν ἐθέλειν εἰπεῖν, ἀλλὰ σιωπᾶν ἀρρήτως. ἐπειδὴ δέ ποτε μόλις πᾶσαν μηχανὴν μηχανώμενος προσηγάγετο φθέγξασθαί τι πρὸς αὐτὸν οὕτως ἀναγκαζόμενος, εἰπεῖν, Δαίμονος ἐπιπόνου καὶ τύχης χαλεπῆς ἐφήμερον σπέρμα, τί με βιάζεσθαι λέγειν ἃ ὑμῖν ἄριστον μὴ γνῶναι; μετ' ἀγνοίας γὰρ τῶν οἰκείων κακῶν, ἀλυπότατος ὁ βίος. ideſt, *Et multis eius rei ſunt a dæmone perhibita teſtimonia. Atque huc pertinet quod narratur, Silenum a Mida iſto captum, & a venatione ei ſciſſitanti quidnam optimum homini, maximeque expetendum eſſet, principio reſpondere noluiſſe, vocemque compreſſiſſe: tandem quum vrgendi, vt aliquid diceret, finem nullum Mida faceret, in hac inuitum erupiſſe verba: Dæmonis ærumnoſi, & fortunæ difficilis ſemen in diem durans, quorſum me cogitis ea vobis dicere, quæ vobis neſcire erat melius? maxime enim vacantes dolore viuunt, qui ſua ignorant mala.* Hanc Ariſtotelis narrationẽ confirmat hiſtoria dudum a D. Hieronymo relata in vita D. Paulli Eremitæ, ad quem perrexit D. Antonius; ait enim, *f Stupens itaq. Antonius, & de eo, quod viderat, ſecum voluens, vlterius progreditur: nec mora, inter ſaxoſam conuallem, haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, frõte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes deſinebat. Infractuſq.*

&

d *5. meta. t. 15.*

e *Conſol. ad Apollon.*

f *tom. 1.*

Digitized by Google

& hoc Antonius ſpectaculo, ſcutum fidei et loricam ſpei, vt bonus præliator arripuit. Nihilominus memoratum animal palmarum fructus eidem ad viaticum, quaſi pacis obſides offerebat. Quo cognito, gradum preſſit Antonius; & quiſnam eſſet, interrogans, hoc ab eo reſponſum accepit. Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis Eremi, quos vario deluſa errore Gentilitas, Faunos, Satyroſque, & Incubos vocans, colit: Legatione fungor gregis mei: precamur vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro ſalute mundi veniſſe cognouimus; & in vniuerſam terram exijt ſonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciem lacrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat: gaudebat quippe de Chriſti gloria, & de interitu Satanæ; ſimulque admirans quod eius poſſet intelligere ſermonem; & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris: væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxere; quid nunc dictura es? beſtiæ Chriſtũ loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris. Nec dum verba compleuerat, & quaſi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum moueat; ſub Rege Conſtantino, vniuerſo mundo teſte defenditur; nam Alexandriam iſtiuſmodi homo viuus perductus magnum populo ſpectaculum præbuit; & poſtea cadauer exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum eſt. Sed vt propoſitum perſequamur, &c. Quæ quidem hiſtoria, vt mirifice conſentit cum narratione Ariſtotelica nuper allata; ſic plane falſitatis arguit dictum g Vulturarienſium Epiſcopi, viri multæ lectionis, aſſerentis, Satyros præter Effigiem nihil humani retinere; Melamque dicentem tale quid, & Solinũ aſſeuerare, non video Cl. viri dicto reſpondere. Arguit etiam h Plinij dictum, *Satyris, præter figuram, nihil moris humani*; niſi morum nomine ciuilem vitam hominum, ac virtutes indicet. Quinetiam conſtat ex allato Eudemi Ariſtotelici loco, nedum Satyros, verum etiam homines, qua ſunt intellectu præditi, nuncupari a Philoſopho nomine Dæmonis, dũ eos appellat ærumnoſi Dæmonis genituram ephimeram. Homines item ac Satyros Ariſtoteles appellauit alibi Dæmonis nomine dicẽs, i *Dæmonium nihil eſt aliud niſi Deus, aut Dei opus:* nimirum illi gentilium more Satyrus eſt Deus minor ſiluarum,

g *dier. canic. coll. Homo.*

h *l. 5. c. 8.*

i *a. rhet. c. 24*

k 12. *meta. t.24.* homo eſt ſummi Dei opus; cui k *homo hominē generat, præter hæc autem id quod eſt omnium primum omnia mouens Deus.*
l 3. *rhet. c.18* Immo vero collaudat infra l Socratem dicentem; *Dæmones eſſe Deorum filios, vel ſaltem diuinum quoddam.* Quam doctrinam hauſiſſe videtur Ariſtoteles a Platone dicente; m in *Timæo* m *Deprę ſtantiſſima igitur animæ noſtræ ſpeciē ita eſt ſentiendum; nempe hanc Deus vt Dæmonem noſtrum cuique tribuit; hanc in ſumma corporis arce ſedem habere dicimus, atque ad cæli cognationem a terra nos tollere, tanquam animalia cæleſti potius quam terreno ſemine nata.* Vt reuera natura Dæmonia, non Diuina quibuſdam animalibus, & hominibus tam prudentibus, & optimis ingerens, quam ignaris & a virtute alienis inſomnia vera concilians nihil aliud ſit quam intellectus, & anima rationalis phantaſię diſtinctę copulatus, qui Satyris ęque ac hominibus ineſſe dicitur atque conſetur ab Ariſtotele. Qui magis id explicans
n *de diuin. per ſom. c.2.* addit; n *Signum autem, valde enim degeneres homines prauidentes ſunt, & recte ſomniantes, tanquam Deo non mittente: ſed quorumcumq. quaſi loquax natura eſt & melancholica, multimodas viſiones vident.* Certe præter hominem & Satyrum, nihil habet Ariſtoteli naturam loquacem; quod ſermo nonniſi competat intellectum & rationalem naturam habenti, vti nec
o 1. *periher. init.* animi conceptus, qui o ſermone ſignificatur. Itaque natura Dæmonia, non Diuina, ſomniorum verorum effectrix, atque futurorum diuinatrix, Ariſtoteli nihil eſt aliud quam anima rationalis infra Deū phantaſiæ copulata in corpore mortali, multas in ſe gerens rerum antea cognitarū notiones ac imagines, atque adeo intellectus in habitu, præditus nimirum multis formis rerum antea ſenſu perceptarum; cui nomen Dęmonis antiqui tribuere ſolebant; vti conſtat ex Platone in Cratylo dicente, Heſiodum homines prudētes ac ſapientes recte nuncupaſſe Dæmones, δαίμονας, quaſi δαήμονας. Quam ſententiam
p *l.2.cap.2. loc.19.* recepit Ariſtoteles etiam in Topicis, inquiens; p *Itemque εὐδαίμονα eum eſſe, cui dæmon ſit bonus; quemadmodum Xenocrates εὐδαίμονα ait eſſe eum, cui animus bonus datus ſit; eum*
q *dæmonem.* *enim* q *δαίμονα eſſe cuiq.* Sic igitur de anima tractat r Ari-
r *de diuin. per ſom. c. 2.* ſtot. dum agit de cauſſa ſomniorum verorum effectrice in hominibus non ſolum probis & doctis, verum etiam improbis,

&

& non ita prudentibus, quin & in quibuſdam alijs animalibus, futurorum, atq; valde diſtantium per ſomnia cognitionem habentibus; difficillimorumque, ac vtilium ignotorum, quorum acri ſtudio vigilantes cauſſam inuenire non potuerant; etenim D. Auguſt. inſit, s *Nobis apud Mediolanum conſtitutis, Carthaginis rhetor Eulogius, qui meus in eadem arte diſcipulus fuit, ſicut mihi ipſe poſteaquam in Africam remeauimus retulit, quum rethoricos Ciceronis libros diſcipulis ſuis traderet, recenſens lectionem, quam poſtridie fuerat traditurus, quemdam locum offendit obſcurum: quo non intellecto, vix potuit dormire ſolicitus: qua nocte ſomnianti ego illi quod nõ intelligebat expoſui: immo non ego, ſed imago mea neſciente me, & tam longe trans mare aliquid aliud ſiue agente, ſiue ſomniante, & nihil de illius curis omnino curante: quomodo fiant iſta, neſcio.* Galenus etiã ait, t *Sane linguam ita tumefactam cuidam vidimus, vt ore hominis contineri non poſſet. Ac viſus mihi eſt vſitatis pilulis, quæ ex aloe, ſcammonea, & colocynthide conſtant, veſpere datis purgandus; ipſi tamen particulæ afflictæ ſuaſi refrigerantium aliquid imponere, ſaltem in initio: poſt enim, inquam, applicabimus, prout ſuadebit euentus: verum id vni Medicorum non placebat: ac propterea pilulas quidem ſumpſit; de locali tamen remedio deliberatio in diem poſterum eſt dilata. Ceterum ea nocte euidentiſſimum per quietem inſomnium, noſtrum homini conſilium approbauit, ac materiam ipſam medicamenti definiuit, lactucæ ſucco colluí iubens: quo ille ſolo vſus, prorſus eſt ſanatus, nullius alterius egens.* Itaque mens humana dormientis inſomniorum effectrix dæmonia dicitur ob multas rerum imagines, quas in ſe u conſeruans actu ſciens, prudens, atque ſapiens dicitur; quod nomen dæmonis prudentem, ac ſapientem deſignet. Verum nec omittendum eſt, alia ratione mentem humanam in dormiente ſomniorũ effectricem dęmoniam dici; ſiquidem vulgatum fuit apud antiquos, animas humanas per ſeparationem a corpore mortuis hominibus tranſire in naturam Dęmonum; ita Maximus x Tyrius definit dęmonem eſſe nudum animum corpore depoſito: ſic Apuleius agens de Genio Socratis, *Eſt*, inquit, *& ſecundo ſignificatu ſpecies Dæmonũ, animus humanus emeritus ſtipendijs vitæ corpore ſuo abiunctus: hũc vetere Latina lingua reperio Lemurem dictitatum.* Non aliter Sextus Empiricus

s de cur. ag. pro mor. c. 11

t 14. meth. cap. 8.

u 3. de an. t. 6. 8. 38.

x ſerm. 27.

y l.8.c.1. ricus, y inquit, ***Si ergo permanent animæ, fiunt eademque dæmones.*** Sed & animam adhuc in corpore degentem a priſcis appellari nomine dæmonis, tum paullo antea dixerat Apuleius hiſce verbis in eodem opere, ***Nam quodam ſignificatu & animus humanus, etiam nunc in corpore ſitus*** δαίμων ***nuncupatur,***

z Virgil.9. Aeneid. z ***Dij ne hunc ardorem mentibus addunt***
Euriale? an ſua cuique Deus ſit dira Cupido?

Igitur & bona Cupido animi, bonus Deus eſt: vnde nonnulli arbitrantur εὐδαίμονας ***dici beatos, quorũ dæmon bonus, ideſt, animus virtute perfectus eſt: quem noſtra lingua, vt ego interpretor, haud ſciam an bono, certe quidem meo periculo, poteris Genium, vocare; quod is Deus, qui eſt animus ſuus cuique, quamquam ſit immortalis, tamen quodammodo cum homine gignitur.***

a Ariſtot.2. top.c.2. loc. 29. Et reuera dixerat in hanc ſententiam a Ariſtoteles, ***Itemque*** εὐδαίμονα ***eum eſſe, cui dæmon ſit bonus: quemadmodum Xenocrates*** εὐδαίμονα ***ait eſſe eum, cui animus bonus datus ſit; eum enim*** δαίμονα ***eſſe cuique.*** Tum etiam id obſeruat Euſtratius nobilis Ariſtotelis Interpres aſſerens,

b 1.eth. in proæ. f. b ***Felicitas vero, quæ*** εὐδαιμονία ***a Græcis dicitur, a Latinis, ſi verbum ex verbo exprimamus, bonigenia appellari poſſet, inde nomen habuit, quod in perfectione conſtituti hominis Dæmon, ſeu Genius bene affectus ſit: Dæmonem enim veteres intellectiualem animæ noſtræ partem vocare conſueuerant; quemadmodum Plutarchus Cheroneus aſſeuerat in lib. quem de Dæmone Socratis inſcribit, vbi inquit Socratis Dæmoniũ nihil aliud, quam ſapientis hominis mentem præſeferre; quæ pura quum ſit, atque exacto ac prope certo in rebus cernendis iudicio prædita, poterat ex qualibet vel parua occaſione etiam futura prænoſcere.*** Sic igitur anima rationalis a corpore vtcumque ſecreta, dæmonia dicitur: Quum autem ſomnus ideo mortis imago vel etiam frater nuncupetur, quod per eum anima velut a corpore ſeparetur, nullam ferme curam illius habens, quod non mouet, ſed fine ſenſuum vſu iacere

c 3. de cauſ. pulſ.c.9. ſinit veluti cadauer, vt obſeruat etiam c Galenus; quumque morituri vim habeant vtcumque vaticinatricem; quod præter

d 1.de an.t. 23.4.met. t.10. d Ariſtotelem ex Homero, ſatis in Apologia Socratis Plato decernit: iam Ariſtoteles apte per naturam Dæmoniam, non Diuinam, quę procreatrix eſt in hominibus dormiẽtibus vero-

rum

Digitized by Google

rum ſomniorum, ſignificat nihil aliud quam animam hominis rationalem plurimum a corporis cura ſecretam, cognitionum officio ſoli vacantem. Hæc habui, quæ reſponderem ad arduum pariter ac nobile tuum quæſitum, Vir Cl. tu ea boni conſule, ac me ama. Vale. Bononiæ. Idib. Auguſti M DC XXXVII.

Inclyti Viri N. N. Ad Fortunium Licetum Epiſtola XXXV.

MOlt'Ill. &c. A V. S. viene la relatione del moſtruoſo inneſto di Spini in petto humano, nel quale doue per prima ſi ſentiua, che ſolo per opra del penſiere ſi poteſſe fare vna così fatta traſpiantatione; hora ſi vede (forſe in ſimbolo della miſeria del ſecolo, e del tempo corrotto) che non più immaginariamente, ma *vere & realiter* germogliano, e vi trouano ſuſſiſtenza. Non me ne faccia però mai autore di queſta notitia, perche ſe bene hò hauuto vn germoglio di detto Spino, che era ſtato inuiato a quello, a chi vedrà diretta la relatione, non voglio eſſer tenuto, ſe fuſſe bugia, o ſe per la nouità inaudita non trouaſſe fede, anzi repugnanza. Il germoglio detto era della longhezza di mezo dito, di groſſezza e qualità come vn filo di cauda equina: è ben vero, che nel ſuo eſtremo haueua vn poco più di groſſezza; e ſi vedeua quel ſmoſcio, che ſi vede in vn ramoſcello diuelto da ramo maggiore, e pareua tinto in eſſo di ſangue. L'ho mandato a donare al Sig. di Peyreſc, Conſigliero della Maeſtà Chriſtianiſſima in Aix metropoli di Prouenza. Mi rallegro de gli honori conceſſi &c. Di . . . 5. Aprile 1636.

Copia del Capitulo de vna Carta del Licenciado Franceſco Lazcano, Eſcrita al Sennor D. Diego Yague Malo Canonico de Leon de Molina Seguntin. Dioc. en 29. de Marzo 1635.

En eſta Tierra ay la coſa mas nueua que ha ſuccedido en el mundo aſta oy. Vn Mozo de Orea llamado Roque Martinez, aurà quatro años, cayò de vn arbol, y diò ſobre vn Endrino, y ſe metiò por junto ala boca del eſtomago algunas Eſpinas del Endrino, y aunque entonces le ſacaron algunas, por la quenta ſe le quedaron dentro otras, e ſtuuo dos años que non ſintiò

ſintiò peſadumbre de conſideracion, y al cauo dellos empezò à ſentir peſadumbre de modo, que le abrieron para ſacarle ſi tenia algo dentro, y le ſacaron tallos de Endrino, que las rayces hauien prendido en el cuerpo, no ha ſido poſible ſacarle todas las rayces, que eſto no podia ſer ſin matarle. Por la parte de la rotura, que, como digo, eſta punto a la boca del eſtomago, le quedò vn a gugerico, y por alli echa mucha cantitad de tallos de Endrino, de la longitud, y mas de eſſe que embio, y ſuelenle ſalir cada dia ſeis, y ſiete, y otras veces menos, y ſuele eſtar ocho dias ſin que le ſalga: es el Mozo de aſta 18. años, eſtà de buen color, come, bebe, y duerme, y no dice le da mucha peſadumbre, ſi no es quando le nacen, los quales le arrancan quando eſtan del largo deſſe que ayba, y ſi los dejaſſen crecer, me parece a mi que en vn mes le ſaldrian tantos, y ſe harian tan grandes, que fuera impoſible llevarlos, por que como Notario doy fee, que eſtando le mirando, y deteniendome a hablar con el, eſpacio de dos Credos cantados, de dos tallos que tenia Empezados a nacer, le creſcio el vno mas del ——— largo de eſſa raya, y la noche de antes le auian ſacado tres tallos, y la mañana dos, y a medio dia le ſacaron los dos, que yo le vi nacer. y eſto es tanta verdad, que no tiene genero de duda, por que eſta a qui en Molina el Mozo, y lo ven quantos quieren, y ſe lo eſcribo a V. Merced por coſa particolar, y para che pregunte por alla, ſi es coſa nueua en el Mundo, que a ca lo ha parecido à todos quantos en Eſpaña lo han eſcritto y no lo creen.

Copia de otro Capitulo de vna Carta del Miſmo y para el Miſmo de 17. Mayo 1635.

A l'ombre, que eſcribi a V. Merced le nacia vn Arbol, ſe le ha nacido eſte Mayo y Abril con ojas y flor, que es coſa prodigioſa.

Quæ ſic Italica fecit erudiriſſimus Noghera ex Hiſpano, hoc eſt, patrio idiomate transferens.

» Stratto d'vna lettera del Licentiato Franceſco Lazcano ſcritta al Sig. Dottor Diego Iague Malo Canonico di Leon de Molina Seguntinæ Diœcoſeos 29. Marzo 1635.

» In queſto paeſe ſucceſſe la coſa più nuoua, che fuſſe mai al » mondo. Vn giouane d'Orea, chiamato Rocco Martino, ſarano

no hormai quatro anni, che caſcò d'vn albero ſopra vn'altro de Prugne: e ſe gli meſſero quaſi giunto alla bocca dello ſtomaco, alcune ſpine del Prugno, che all'hora gli furono cauate: ma pare, che non tutte, ſecōdo il ſucceſſo ſeguente; cioè, che eſſendo paſſati duoi anni ſenza patir faſtidio, al fine di eſſi cominciò a ſentirlo tanto grande, che l'aprirono per cauargli ſe haueua qualche coſa dentro, e gli cauarono getti (*o germi, cioè ramuſcelli di quelli, che naſcono ſubito, che qualche ſeme germogli*) di prugno, le cui radici haueano attacatoſi nel corpo; nè fù poſſibile cauargli tutte le radici, perche ciò non poteua farſi ſenza ammazzarlo. Per la rottura, che, come hò detto, è vicino alla bocca dello ſtomaco, gli reſtò vn picciolo buco, per il quale butta grande numero di getti o germi di prugno, di quella longhezza, che quì inuio, & ancora più grandi: & è ſolito ad vſcirgli ogni giorno ſei, e ſette, alcune volte manco: Taluolta paſſano otto giorni ſenza vſcirgliene neſſuna. Il giouane ſarà di 18. anni; hà buon colore, beue, e mangia, e dorme, e dice non patir molto faſtidio, ſe non è, quando gli naſcono; li quali ſe gli ſuellono quando arriuano ad eſſer della longhezza dell'inchiuſo. E ſe ſe gli laſciaſſero creſcere, mi pare a me, che in vn meſe gli vſciriano tanti, e ſi ſarebbero tanto grandi, che ſarebbe impoſſibile tolerargli: perche come Notario fò fede, che ſtando io riguardandolo, e trattenendomi a diſcorrer con lui, lo ſpatio di tempo, che ſi canterebbono duoi Credi, di duoi germi, che gli erano cominciati a naſcere, gli crebbe l'vno più del ——— longo di queſta linea; e la notte inanzi gli haueano cauati tre germi, e alla mattina duoi, e à mezo giorno gli cauarono gli duoi, che io gli vidi naſcer. Et ciò è tanto vero, che non hà dubio di ſorte alcuna; perche è quì in Molina il giouane, & lo veggono quanti vogliono: & lo ſcriuo a V.S. accioche domandi per là, ſe è coſa nuoua nel mondo; che quì lo hà parſo à quanti in Iſpagna ſi è ſcritto, e nol credono.

Stratto d'altra lettera del medeſimo per il medeſimo de 17. di Maggio 1635.

All'huomo, che ſcriſſi a V.S. gli naſceua vn Albero, gli nacque queſto Maggio, & Aprile con foglie, & fiori, che è coſa prodigioſa.

Digitized by Google

Illuſtriſ. Viro N. N. Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

LA relatione mādatami da V.S.Illuſt.delli Spinoſi germogli di Prugno, che giornalmēte ſpuntauano dal petto di quel giouane Spagnuolo, è veramente di coſa tanto marauiglioſa, ed inſolita nel mondo, che tiene molto del fauoloſo; & non ſenza ragione, come li Spagnuoli, che con li proprij occhi non l'hāno veduta, nō gli preſtano fede alcuna; così V.S.Illuſt.nō hà per bene di eſſere fatto l'autore, che m'habbia mandato cotale notitia. Alla quale anch'io dubito ſe deuo dar fede; non vedendone altro riſcontro in tanti anni, che della ſemplice atteſtatione del Licentiato Lazcano; parendomi veriſimile, che di coſa così notabile altri ancora doueſſe far mētione: tuttauia vedendo la replicata atteſtatione di vn publico Notaio, ſcritta ad vn Dottore Canonico inſigne, ſenza hauer timore di eſſere conuinto di falſo, ſcriuendo di coſa preſente, che ogn'vno per molti meſi hà potuto vedere, e toccar con mano; & hauendoſi arriſchiato di mandare ad huomini grandi, e letterati, li ſteſſi germogli di ſpine; anzi vedendo, che coſa ſimile altre volte fù anche da graui Scrittori teſtificato, non poſſo totalmente giudicar fauola queſta narratione. Che dal corpo de gli animali viuenti, & che nel corpo humano viuo ſijno più d'vna volta germogliate varie ſorti di piante, nō è difficile a prouare; poiche ſi hà, che dalle Corna delli Cerui naſceſſe la pianta dell'Edera; così ſcriue primieramente Ariſtotele, mentre diſſe, *a Captus iam Ceruus eſt, Ederam in ſuis enatā cornibus gerens viridem; quæ cornu adhuc tenello ſorte inſerta, quaſi ligno viridi coaluerit:* la quale origine *per quamdam inſitionis ſpeciem* tiene molta ſomiglianza con la narratione delli ſpinoſi ramuſcelli del prugno inſerito nello Sterno del giouine d'Orea. Et queſto non vna volta ſola, nè in vn ſolo ceruo, ma in molti, & molte volte eſſerſi oſſeruato teſtifica lo ſteſſo Ariſtotele in altro luoco, doue ſcriue, *b Plurimæ quoque viſa ſunt etiam Ceruæ, quæ cornibus enatam Ederam gerunt.* Lo ſteſſo conferma Theofraſto, mentre trattando delle cagioni delle piante, diſſe, *c Immo vero non eſt nouum, aliquid in multis creari, vt Ederam: &* quod

a *9. de hiſt. an. c. 5.*
b *de admir. aud. c. 5.*
c *2. de cau. plan. c. 23.*

quod mirabilius, viſam eſſe in cornibus etiam cerui aliquando. Plinio parimente ſcriſſe in tale propoſito, d *Captiq. Cerui iam ſunt, edera in cornibus viridante, ex attritu arborum, vt in aliquo ligno teneris, dum experiuntur, innata.* Lo Scaligero ſimilmente ſopra Theophraſto dice, e *Commouit virum accuratum Cerui cornibus hærens Edera. quod enim eo ſeminium detulit? nihil tamen attulit cauſſæ; ſed elapſus nos ſub cultro reliquit. Sane videtur in eruptione cornuum affricatum Ederæ ceruum abrupiſſe nonnihil cum radicula, quæ aliquam in partem molliorem ſe induerit.* A queſti diede il conſenſo il Taſſo nella ſua Diuina ſettimana, quando f cantò delle corna de' Cerui, d l. 8. c. 32. e cem in l. 2. c. 23. de cauſ. pl. f giorn. 6.

Da le quali anco germogliò taluolta
L'Edra tenace frondeggiando in alto.

Ma più rara molto, & più merauiglioſa coſa mi pare quella, che ſcriue Plutarco nelle ſue Queſtioni Simpoſiace, dicendo di vn certo huomo, g *Quidam quum diu laboraſſet vrinæ difficultate, tandem culmum hordeaceum geniculatum excreuit:* poiche dallo ſtomaco alla veſica la ſtrada neceſſariamente facendoſi per le ſottiliſſime vene Meſaraiche, & per la denſa ſoſtanza delle reni; conſta chiaramente, che vn granello d'horzo, non che vna molto più groſſa gamba ripiena di nodi, nõ vi può paſſare; ſi che detta gamba d'horzo ſi douette generare nella veſica di quell'huomo, che la mandò fuori coll'vrina finalmente. g l. 8 q. 9.

Merauiglioſiſſimo fra tutti mi pare quello, che ſcriue Giouanni Gualtherio nella ſua Cronica politica, h riferito anche da Lycoſthene in quelle parole, *Arretij mulieri e naſo ſpica farris nata: eadem farris grana vomuit, Vrbe luſtrata, anno Mundi octingenteſimo ſexageſimo nono ſupra tria millia, ante Chriſtum natum nonageſimo quarto; quo tempore Ptolemæus Rex Aegypti Cyrenis mortuus Senatum Populumque Romanum hæredem reliquit.* Di minor merauiglia è quello, che ſpeſſe volte ſi oſſerua da' Medici, naſcere nell'eſtremità delle palpebre d'huomo viuente, quel grano, che ſi chiama Hordeolo. Speſſiſſimo ſi vede, che ſopra le Oſtriche, & altri peſci coperti di dura ſcorza naſcono l'herbe, cioè l'alga, il muſchio marino, & altre ſi fatte. Si che non ſi deue totalmente dire coſa impoſſibile, nè nuoua nel mondo, il germogliare vna pianta dal corpo humano viuente. Tanto più, che ſendo la pianta molto meno diſſi- h to. 2. pag. 115.

mile dalla natura dell'huomo, che non è la pietra; mentre ſi
vede, che ogni giorno ſi generano le pietre nel corpo humano,
come nella veſica, nelle reni, nel ceruello, nel fegato, ne gli in-
teſtini, & in ciaſcuna parte; il che volgatiſſimo ſi legge ne' ſcritti
i Scalig. ſubt. 108. 3. de' Medici *i* Claſſici; non ſi deue per impoſſibile tenere, che
vna particella di ſpinoſo Prugno impiãtata nel corpo humano,
vi habbia fatto le radici, & germogliato, come teſtifica il No-
taio Lazcano. E tanto più, che veriſimile mi pare, che cotale
pezzetto di ſpino ſi ſia piãtato nell'oſſo dello Sterno, così chia-
mato da' Medici, il quale è viciniſſimo alla bocca dello ſtoma-
co; e che per ciò nõ ſi poteſſe cauare la prima volta cõ gli altri
ſpini, che rimaſti erano nella carne de' muſcoli vicini; poiche
k *Gal. 1. de elem. c. 5.* ſendo l'oſſa tutte di natura terrea, k fredda, ſecca, dura, &
denſa, come ſono li arbori, & la terra ſteſſa; può lo ſpino ha-
uer meſſe le radici nella ſoſtanza di quell'oſſo, & quindi conti-
nuamente cauarne il nodrimento alla ſua natura cõforme, cioè
terreſtre, & eſcrementoſo all'animale; come altre piante lo ca-
uano dalla terra, & altre da gli alberi di diuerſa ſpetie, in cui ſi
inſeriſcono, de' quali chiaramente ſcriue Theofraſto dicendo,
l *2. de cauſ. plan. c. 23.* *l Nam quod humi gignitur, in arboribus etiam plantiſque alijs
idem poſſe gigni, abſurdum non eſt: Immo vero non eſt nouum,
aliquid in multis creari, vt Ederam: & quod mirabilius, viſum
eſſe in cornibus etiam Cerui aliquando; & terebinthum in olea,
& polypodium vocitatum in quibuſdam arboribus: & quæ rario-
ra, & pro oſtentis potius ſumenda videntur; vt laurum aliquan-
do ortam in platano, & quercu; & reliqua, quæ tanquam oſten-
ta interpretantur. Quum enim in partem arboris conuerſam
pene in terram præ putredine, ſemen deciderit, pullulat, viuitq.
ſubinde alimentum ex ſubiecta ſumens arbore. Quod etiam de
Edera, quam in cornibus proueniſſe aiunt, ſi verum ſit, non te-
mere dixeris.* Il che ſimilmente ſi può dire di quello ſpino di
Prugno inſerito nell'oſſo Sterno preſſo la bocca dello ſtomaco
del giouane Spagnuolo, che tirãdo a ſe parte del ſucco terreſtre
di cui ſi nodriſcono l'oſſa, ſi nutriſſe, creſceſſe, & germogliaſſe;
poiche Galeno ſteſſo comparò l'oſſa de gli animali alle piante,
ed alle legna nell'eſſere di natura terrena prædominante a gli
m *3. de nat. facul.* altri elemẽti, mentre diſſe, trattãdo *m De terra differentijs, De
terra vtique & ego nunc ſtatui differentias exponere, id modo
præ-*

præfatus, quod propoſita ſectio corporum terrenorum in lapides, metallica, & terram quæ colitur, abſque corporibus quæ proprie phyſica ſeu naturalia nominantur; dicta eſt: nam ſi ea accedãt, tum ligna omnia, & fructuum partes complures, veluti etiam & animalium, eſſentia eſſe terrena dicentur: fructuum quidem partes, vt nuclei oliuarum, & vinacei vuarum, putamina nucum, & conorum, & eius generis multa alia: animalium vero oſſa, cornua, dentes. Verum de plantarum partibus, quæ terrenæ vtiquę ſunt, & duræ. &c. Per la ſteſſa ragione adunque, per la quale fregandoſi le corna il Ceruo ad vn tronco d'Edera, potè quindi ſuellerne vna ſcheggia, che penetrando nella ſoſtanza del corno del Ceruo, potette quindi cauarne ſucco terreno per ſuo nodrimento; & creſcere, e metter le frondi; poſſibile fù, che vno ſpino di Prugno ficcato nell'oſſo dello Sterno dell'huomo Spagnuolo, quindi traheſſe ſucco nutritiuo conforme alla natura ſua, & germogliaſſe, & creſceſſe, come teſtifica il Notaio Lazcano, non altrimente, che ſe fuſſe piantato in terra, od in altr'arbore; poi che l'oſſo gli può ſeruire per terra, dicendo Ariſtotele, n *Os autem omne, & quicquid ſpeciem gerit oſſis, terrenum eſt.* Tanto mi occorre per hora dire delli germogli dello ſpino di Prugno dal petto humano, hauendo conſimile materia trattata nel volume o *De Spontaneo Viuentium Ortu.* Con qual fine rendendole molte gratie del &c. Padoua 3. Maggio 1636.

n *3. de part. cap. 2.*

o *l. 3. c. 25. & ſeqq.*

De Auerrois Morte, an fuerit Rotæ affixus iuſſu Auicennæ Cl. Viri Franciſci Rotæ ad Fortunium Licetum Epiſtola XXXVI.

LA fama della molta e non volgare dottrina, & eruditione di V.S. Eccellentiſs. m'aſſicura di chiederle coſa, che da molti ſin hora non hò potuto ſapere, ancorche con grandi inſtanze ricercata, cioè della morte d'Auerroe. Il Marini nella ſua Galeria pone, che eſſo foſſe fatto morire ſopra d'vna Rota; e che Auicenna foſſe l'ordinatore di ſimil morte, pare che alcuni affermino. Ma eſſendo ſtato Auerroè Cordubeſe, ed Auicenna Perſiano, non sò come ſi poſſa ciò affermare. Ricorro per tanto al purgato giudicio di V.S. Eccellentiſs. e la prego, che

che per innata gentilezza & humanità ſi degni ſopra ciò auiſarmi quello che ſente; che oltre farà coſa grata a perſona affettionatiſſima al ſuo valore, e virtù, mi darà anche adito alla ſeruitù ſua, quale molto ambiſco. Ceſena li 12. di Decemb. 1638. Di V.S. molt'Ill. & Eccell. Diuotiſs. Seru. Franceſco Rota.

Cl. Viro Franciſco Rota Fortunius Licetus B.A. Reſponſ.

RIceuo a fauore, che V.S. mi giudichi atto a poterle ſpianare quella difficoltà, che non le hanno potuto eſplicar altri; & mi terrei molto fortunato, s'io la poteſſi ſeruire, come deſidera; la ſeruirò dunque con vbidirla, di farle parte del mio ſenſo nella propoſta Quiſtione, che a me non par meno difficile, che paia a V.S. che però ſi appagherà del mio buon volere, doue non arriuerà la mia debolezza. Della morte d'Auerroe io non hò per ancora veduto fra gli Scrittori Claſſici chi ne renda teſtimonio: ben hò ſentito da non sò chi volgarmente dire, che per ordine di Auicenna foſſe fatto morire in sù la Rota, come dice il Marini: il quale mentre non allega teſtimonio d'Autori Claſſici, non mi perſuade a preſtargli fede. Che Auicenna, & Auerroe fuſſero coetanei, viene oſſeruato dal P. Torſellini nella ſua Storia *a* compendiata, ponendo che ambidue fioriſſero in Iſpagna, quando vi commandaua il Miramamolino Rè de' Mori, al tempo di Corrado Terzo Imperatore: del quale Corrado parlando, dice, *Eodem regnante, literæ, quæ a barbaris conculcatæ iacuerant, oculos aliquando tollere cœperunt: itaque in Græcia Euſtratius Interpres Homeri; in Hiſpania Auerroes, Auicenna, & Rabbi Moſes*. Lo ſteſſo prima diſſe il *b* Patritio. Anzi Auerroe medeſimo nel principio del ſuo *Colliget*, afferma di hauer compoſto tale opera di ordine del Miramamolino, in queſte parole, *c* *Quando ventilata fuit ſuper me voluntas per nobile præceptum ex parte nobilis Domini Audelah Chempſe a Mirelmomini de Marocho, pro conſilio ſuorum Philoſophorum Auoſait, & Auenchalit, & præcepit mihi compilare vnum librum, in quo contineretur tota ſcientia Medicinalis in Arabico, quæ affirmaret &c.* Et come che non

a lib. 8. p. 402.

b diſq. Perip. to. 1. lib. 11.

c 1. coll. init.

non fuſſero molto concordi di opinione, ma ſpeſſo Auerroe contradiceſſe a gli ſcritti di Auicenna, & con ragioni tentaſſe in molti luochi di confutare li ſuoi dogmi; non crrdo però, che da Auicenna fuſſe fatto morire Auerroe ſopra la Rota, sì perche tale ſupplicio era dato a i malfattori; & Miramamolino fautore grãdiſſimo de' Letterati, non hauerebbe permeſſo vna tal perdita di coſi grand'huomo per lieue cagione di riſſa litteraria: come anche perche non conſta, che Auicenna (ſe bene ſe gli dà cõmunemente il titolo di Prencipe fra' Medici) foſſe realmente Prencipe, o Gouernatore di Città; perilche haueſſe *ius necis in aliquem*: ma principalmente perche ſendo Auicenna più vecchio di Auerroe, & hauendo Auerroe campato vecchiſſimo, forſe più di cent'anni; molto veriſimile è, che Auicenna moriſſe prima di lui; & che Auerroe non foſſe fatto morire di morte violenta vituperoſamente, come malfattore, per ordine di Auicenna. La qual vltima ragione ſi raccoglie molto euidentemente da due luochi di Auerroe, conſiderati anche dal Patritio, mentre dice, d *Erectaque ſunt publica Gymnaſia in Aphrica multis in locis Tuneti, Tripolis, Conſtantina, Marocci, & Feſſæ. Hinc ſimul cum eorum imperio litterarum & Philoſophiæ ſtudia in Hiſpaniam, poſt annum DCC XL. transfretarunt: Cordubæque celebre Gymnaſium conſtitutum; in quibus omnibus innumeri, memorabileſque viri eluxerunt; quorum nomina, Auenatam, Abnabed, Abnabacher, Tophaid, Abumazar, Abuhabat, Abualchaſis, Albumazar, Auenatbas, Abucali, Abencini, Albagiag, Adadas, Auoſait, Auenchelit, Auempace, Alpharabius, Algazel, Albeſagar, AlKindus Iſaac, Alzarcalam, & multa alia audimus, pauciorum libros legimus: Inter quos præcipui Auicenna & Philoſophus, & Medicus Maximus; & iunior eo Auen-Rois. Is floruit Cordubæ anno Æræ Maurorum DX. vſque ad annum DVC, quod patet in fine Paraphraſeos Rhetoricæ, vbi ſic ſcribit, Hicque completa eſt huius libri expoſitio tertio menſe DX. anni Æræ Maurorum, ad laudem Dei, cui nihil eſt occultum. amen. Alterum ex fine comment. in lib. quintum de Generatione animal. Hic eſt finis huius libri, & expoſitionis omnium librorum rationalium huius operis. Laus Deo Domino ſeculorum: & qui hunc librum viderit, excuſet me, quoniam ipſum edidi anguſto tempore: adde etiam nos multos habere*

d loc. cit.

„ bere labores, quos patimur his temporibus: ſunt quoque magni
„ errores in libro, ex quo tranſtuli, nullumque expoſitorem vidi-
„ mus hunc librum expoſuiſſe. Quod ſi Deus dabit mihi tempus, co-
„ nabor iterum ſcrutari ipſum. Quem librum perfeci in menſe O-
„ ctobri in Ciuitate Sibyllia, poſtquam fui egreſſus de Corduba
„ Anno D V C. Albageræ, ideſt, diſceſſus Mohamad ex Mecha.
Id autem fuit anno Chriſti M CC XVI. nam Æra Mahometi cœpit Chriſti anno DC XXI. videtur autem impoſſibile vt poſt D X. annum, quo Rhetoricen expoſuit, annis LXXXV. expoſuiſſe libros de Generatione animaliũ, quibus ſi anni quindecim addantur, qua ætate ad minimum fuiſſe neceſſe eſt, quum Rhetoricam expoſuit, centeſimo ætatis anno libros de generatione expoſuit. Sperat tamen adhuc ſe viuere, & iterum librum ſcrutari. Multos ab eo citatos inuenimus, Auicennam, cuius totam Philoſophiam & Medicinam habemus; Alpharabium, cuius librum de Intellectu; & quos ſupra commemorauimus. Dalle quali coſe ſi può con molta probabilità dire, che Auerroe ſoprauiueſſe ad Auicenna, & che non fuſſe fatto morire di ordine d'Auicenna ſopra vna Rota. Ma al Marini, come a Poeta, fù permeſſo di prendere quello, che faceua al ſuo propoſito, mentre ciò fuſſe conualidato da qualche fama popolare, vera o falſa, che ſi fuſſe: Ne (come V.S. oſſerua beniſſimo) ſi vede, che nel ſuo Madrigale il Marini faccia mentione alcuna di Auicenna, dicendo ſolamente così,

Ne la Rota del Sole
Seder, qual nouo Sol, che l'ombra oſcura
Riſchiarò di Natura,
Era degno l'Autor del gran Commento,
Non in Rota di pena, e di tormento,
Doue, nouo Iſſion, s'affligge, e dole,
Verſar morendo l'vltimo ſoſpiro.
Ma così rota il giro
De lo Stato mortal ſotto la Luna
La Rota di Fortuna.

Fù veramente Auicenna Perſiano, nato nella Città di Bactra, che hoggidì ſi chiama Bochara, come oſſeruò anche il Magini; ma non è però impoſſibile, che Miramamolino, Prencipe, che molto fauorì le lettere, conduceſſe all'Academia di Cordoua

in Iſpagna Auicenna, Medico e Filoſofo di quei tempi principaliſſimo. Tuttauia mi accoſterei più volontieri all'opinione di Andrea Alpago Belluneſe, il quale nel ſuo Compendio ***De Arabicorum nominum ſignificatione*** ſcriue in queſta forma. *Conſiderandum vlterius, quod ille terminus Alraÿs apud Arabes importat primarium in gradu dignitatis, & honoris, & ſtirpis: Auicenna autē fuit dictus Alraÿs, ideſt princeps, ſeu primarius in dignitate, & honore, non ſolum quia fuit excellentiſſimus in ſcientijs, ſed etiam quia fuit Vzir Regis Perſiæ, ideſt primarius & honoratior ſecretarius Regis Perſiæ. Notandum igitur, quod Auicenna non fuit Hiſpanus, ſicut aliqui de ipſo ſcribunt; immo fuit Perſicus ex ciuitate Bochara; ſicut in Hiſtoria Arabica de Vitis Philoſophorum & Medicorum Arabum & Græcorum, & per me ex Arabica in linguam Latinam traducta, apparet. Quod etiam poteſt colligi 2. fen. 1. Can. c. 3. de naturis temporum, & 2. Can. Cap. de Terenʒabin, & multis alijs locis.* Dal che ſi caua, che Auicenna haueſſe la dignità di comandare (ſe il Secretario l'hà) preſſo il Rè di Perſia, & in Perſia, non in Iſpagna preſſo Miramamolino; ſotto cui viſſe Auerroe Cordubeſe, ilquale nõ ſi sà, che mai fuſſe in Perſia. Ma ſe ſi poteſſe hauere l'Iſtoria *De Vitis Philoſophorum, & Medicorum Arabum*, tradotta dall'Alpagʒo, ſpererei, che V. Signoria potrebbe quiui ritrouare quanto deſidera, leggendo la Vita di Auicenna, e d'Auerroe: A mè non è venuto fatto di poterla vedere. Hò bene vltimamente letto nella Storia Vniuerſale di Hartmanno Scheus le ſeguenti coſe, *Auicennas Medicus omniũ clariſs: eminentiſsimi ingenij vir, his temporibus Vniuerſo Orbi Vir Clariſs: habetur, qui, vt fertur, Dominus Cordubæ & Princeps Vrbis eius, dedit tamen magnam operam exercitio Medicinæ, faciendo, vt a patribus intellexi, in ſua Vrbe cõſtrui Hoſpitale habitaculum, vbi innumeri ponebantur infirmi, quos ipſe viſitabat: homo fuit colore brunus, & iucundus, qui pulſando & cantando librum fecit Canticorum; &, vt fertur, ſatis iuuenis mortuus eſt; non enim attigit quinquageſimum annum: ſcripſit tamen vltra Medicinam in omni genere diſciplinæ, in naturalibus, & Mathematicis, & moralibus, & dialecticis. Fuit ergo dominio Princeps, practicus in Medicina, & in omni genere diſciplinæ eruditus. Quo autem tempore fuerit, quum multi nil certum ſcribant; hoc tamen*

certum eſt, quod temporibus B. Auguſtini nõ fuit, nec eſſe potuit, vt aliqui ſomniant; mille enim & decem anni ſunt ferme, ex quo beatiſſimus Auguſtinus fuit; quo tempore Auicennas eſſe non potuit; Dicunt autem reperiri epiſtolas mutuas inter vtroſque quod abſurdum eſt: mirabile enim eſſet, quum in volumine epiſtolarum Auguſtini ad viles perſonas Epiſtolæ ſcriptæ ſunt, & Epiſtolæ ad Principem habitæ non nominantur. Auicenna quoque conchulas aſportatas de Sancto Iacobo nominat, qui tempore Auguſtini non erat vbi nunc eſt. Chriſtianos item nominat, & eorum conſuetudines de Carne & Corallo; quum Chriſtiani pauci nominis erant, & non manifeſtos ritus obſeruantes tempore Auguſtini. Creditur igitur fuiſſe tempore Auerrois, aut parum ante. Algazel etiam, & Alpharabius videntur fuiße contemporanei Auicennæ, qui fuerunt tempore Auerrois. Declinante ergo Imperio Romano, & Arabibus Hiſpaniam occupantibus, floruit. Qui quum in omni doctrina eruditiſſimus eſſet, librum excellentiſſimum compoſuit; Metaphyſicam deinde eruditiſſime enucleauit; diſtinctius ac clarius præ ceteris Medicis in lingua Arabica Medicinam omnem in quinque libris deſcripſit. Scripſit quoque de Viribus Cordis, & plura alia. Auerroes quoque Medicus, cognomento Commentator. Philoſophus quidem, & ipſe apud Cordubam Hiſpaniæ vrbem hoc tempore, vt ex libro eius, qui de cælo tractat, habetur, floruit: fuit enim a Natiuitate Chriſti MCL. vt aſſerit Conciliator, & Egidius Romanus in ſuis Quodlibetis, qui de vnit. Intell. Dicit ſe vidiſſe filios Auerrois in Curia Friderici Imperatoris. Multa autem compoſuit, & adeo excellenter in omnes Ariſt. libros ſcripſit, vt Commentatoris cognomentũ promeruerit: Deinde de ſubſtantia orbis, de Theriaca, librum quampulchrum de Medicina, Colliget *appellatum, ac alia multa edidit.* Se dunque Auerroe morì vecchiſſimo, & Auicenna per il contrario giouane prima di cinquant'anni dell'età ſua, non è veriſimile, che Auicenna lo faceſſe morire sù la Rota; & tanto più che ſi può cauare facilmente, che Auerroe anche naſceſſe dopo la morte di Auicenna; poi che ſcriuendo in molti luoghi Auerroe contra la dottrina di Auicenna, non ſi vede, che Auicenna faceſſe mai mentione di Auerroe, nè ſi difendeſſe dalle ſue obiettioni, ò tentaſſe di riſpondergli, con iſciogliere li ſuoi argomenti. Queſto è quanto mi occorre di ſcriuere a V. Si-

gnoria nella propoſta materia. Mi honori de' ſuoi comādi,ſe in altro mi conoſce atto a poterla ſeruire. Bolog. 20. Decēb. 1638
Di V.S. molt'Ill. & Eccellentiſs. Deuotiſ. Seru. Fortunio Liceti.

Viro Maximo Fortunio Liceto Gabriel Naudæus S. P. D.
Epiſtola XXXVII.

CVm perendie quæſtionem abſoluere conſtituerim, quā de Vitæ hominum termino, certis de cauſis tractandā ſuſcepi: non poſſum ea de cauſſa pro more ac inſtituto meo de multis tecum agere, Cl. Licete. Sed quicquid habebam tibi ſcribere, totum illud in ſequentem tabellarium reijciendū eſt; niſi forſan & ipſe multo magis occupatum me offendat in eiuſdē quæſtionis deſcriptione, quæ typis Ioſephi Nerij Bibliopolę Cęſenatis fieri debet, promouenda. verumtamen cū ex faſciculo Cardinalis mei literæ quædā mihi heſterna die redditæ fuerint, in quib. iubet me eruditiſſimus noſter Leo Allatius, quęrere a te rationem pulcherrimi problematis, quod nuper ſapientes Romanos maiorē in modū exercuit; viſum eſt mihi rebus meis, & tēporis anguſtijs quib. in præſentia diſtineor, longe melius cōſultū iri, ſi ipſaſmet Allatij literas ad te mitterē, quā ſi in meas, quicquid ad genus iſtud quęſtionis attinet, tranſcribi curarem: pręſertim cum maximā inſuper voluptatē capere poſſis ex naturali illo, nō autē fucato nitore ſermonis, quo vir optimus, nō ſolū ingentem doctrinæ reconditioris copiā explicuit, ſed vtriuſq; noſtrū cōmendationē tam amanter proſecutus eſt, vt licet in me nihil eorū quæ mihi affingit ſimile reperiā, non poſſim tamē illū de hac egregia in me voluntate, non amare plurimū. Sed penè iam me fugerat quod in primis tibi ſcribendū eſſe duxi, nimirū vt Allatio, non autē mihi de hac quæſtione reſpōdeas: ſimulq. excuſatum me apud illum habeas, quod ego nihildum ei reſcripſerim, propter meas, & quidē probe tibi cognitas occupationes, quibus me ſtatim atq; paulū laxaro, tū ſane non cōmittā, vt me negligētiæ, atq; adeo tarditatis, ſiue tu, V. Cl. ſiue Leo noſter accuſare merito poſſitis. Vale. Slingelandus e Puteani Schola & familia, Aulicus noſter valde diſertus, interuenit cū epiſtolā hanc obſignare vellem, tibiq. ſalutem vt ſcriberem ſuis verbis, plurimum rogauit. Dabam Ceruiæ XVIII Kal. Ian. M DC XXXIII.

Digitized by Google

Viro Cl. Gabrieli Naudæo Pariſino Leo Allatius S.

LIcetus noſter, vt ſcribis, Doſiadæ Aram commentario illuſtratam propędiem euulgabit. Mihi gaudeo, tibi gratulor: vniuerſæ Literatorum cohorti exoptatum nuncium affers. Fiet id neque Pallade, neque Muſis inuitis. Salebroſa illa, & ni præter Auctoris mentem, præter tamen hominum expectationem ingenijs inacceſſa, vni eius ingenio peruia conſpiciuntur: quæ in ijs vel aſpera, vel caligine inuoluta, molli Liceciani calami perpolitione, horrore, quem præ ſe ferunt, abiecto, ſuo nitori reddita ſplendeſcent, & priori obſcuritate pauidos animos, ac pene reluctantes, ſua mox volentes attrahent claritate. Aqua hæc e Caballino fonte limpidiſſima effluit. Inter Muſarum Choros præeunte Apolline fabrefacta myſteria ex Heliconis adytis egrediuntur. Senſus in ipſo Iouis capite latentes per Palladem referantur. Haud nunc primum in hoc literario certamine, quaſi nouus Athleta, ſed vetus ac victor Pancratiaſtes Licetus edicitur. Grauis eſt coronis, & victorijs conſpicuus, veteranus atque emeritus miles. Iam Momus mordendo dentem fregit; & Zoilus lapidem feriens perdidit manum; occluſus eſt iam calumnijs locus. Leui etenim orationis ſtructura ſententias, ac rerum acumina moderatur adeo, vt omnes hæreant, ſtudiumne, diligentiam, & antiquitatis arcana, an orationis vires, & lumina magis probent. Sed probant omnia, & in omnibus præſtantiam admirantur. Fruſtra hic reliqua ipſius Opera Orbi nota recenſeam. Hoc vel ſolo nomine, quod Doſiadæ Aram præfert, in qua alij laterem lauiſſe viſi ſunt, hæreo admiratione defixus, & robuſtæ doctrinæ nemos reuereor. Scis, mi Naudęe, fecundas ſegetes inimicis herbis intermixtis interitum ſuo robore afferre. Sic agrũ hunc ad vberiores fruges afferendas nunquam quieſcere. Nulla maior illi quies, quam labor in ſtudijs, qui fœtuum copioſa, ſpiſſaque multitudinẽ, & ſenecta ipſa ſterili obrepente, æque fœcundior fit. Viuat diu, ſcribat multa, edat plurima, quando ætate prouectior, monumentis onuſtior, & typis abundantior tibi, mihi, & omnibus, & viuidior, & ingenioſior, & ſemper ornatior

Digitized by Google

natior venit. Iudicium præterea meum de Codice illo vetuſto, ex quo Aram hanc primus omnium Salmaſius vulgauit, expoſcis. Codex eſt vetus ſane, haud nimis eleganti charactere cõſcriptus, ſed qualis a non cunctabũda ſcriptoris dextra exarari potuit, ita vt, velocis manus contentione, dimidiatæ literæ, parte alia in calamo remanente, multis in locis conſpiciuntur. Plurimæ vetuſtate exeſæ ſunt, aliæq. etiam literis fugientibus, literas tantum in ijs fuiſſe, at non quænam illæ fuerint, cõmonſtrant. Sapit tamen antiquitatem tota ſcriptio, quæ ſubalbido atramento vaneſcit: palamque teſtatur, integrum, & incorruptum Codicem, non ſtudium ac diligentiã exſcriptori defuiſſe: ſcatet enim erroribus non perraro, ac ſæpenumero dictionum monſtra propinat, Delio etiam natatori incomprehẽſa. Codex epigrammata antiquorum Poetarum, & medij temporis (quales multos fuiſſe, dum Poeſis ipſa floreret, priſco æuo non dubito) complectitur. Poemata ſiquidem illa ob ſui molem exigua, ideoq. in contemptu habita, dum facili negotio deperdi poterant, ingeniores homines, & in alienas laudes, ac labores propenſi in vnum veluti faſcem collecta, ſiue confuſa, ſiue in materias digeſta, conſeruarunt. Hinc apud Auctores ſolemne illud ſæpius repetitur, *Vt in epigrammate*, in Collectione ſcilicet epigrammatum teſtimonium illud, ſiue ſententiam adductam cõtineri. Quis huius Collectionis primus Auctor fuerit non auſerim dicere. Quod ex iſto Codice didici proferam in apertum. Primus omnium, quod ego ſciam, Meleager Phœnix, ex Palæſtina Gadarenus ſub poſtremo Seleuco opus aggreſſus, ex vetuſtioribus Poetis epigrammata ſuo iudicio meliora collegit, & CORONAM inſcripta, Diocli nuncupauit: idque ex eiuſdem Meleagri elegia, quam libro præfixit, habeo. Eam ſic exorditur (vt habeas etiam, mi Naudæe, aliquid, quod deguſtes ex eodem Meleagro non iniucundum)

Μȣ̃σα φίλα, τίνι τάνδε φέρεις πάγκαρπον ἀοιδὰν;
ἢ τίς ὁ καὶ τεύξας ὑμνοθέταν ϛέφανον;
Ἄνυσε μὲν Μελέαγρος. ἀριζάλῳ δὲ Διοκλεῖ
μναμόσυνον ταῦταν ἐξεπόνησε χάριν. &c. & claudit
Ἀλλὰ φίλοις μὲν ἐμοῖσι φέρω χάριν. ἐϛι δὲ μύϛαις
κοινὸς ὁ τῶν μȣσέων ἡδυεπὴς ΣΤΕΦΑΝΟΣ.

Amica

Amica Muſa, cuinam affers omni-fructuarium carmen?
Aut quis fabricatus eſt poeticam Coronam?
Perfecit quidem Meleager: præclaro autem Diocli
Monumentum, hoc elaborauit donum.
Sed amicis quidem meis habeo gratiam. Eſt autem initiatis
Communis Muſarum ſuauiloqua CORONA.

Epigrammatum autores illi præcipue fuere, Simonides, Rhianus, Alcæus, Leonides, Anyte, Myro, Sappho, Melampus, Noſſis, Herinna, Sammias, Mnaſalcus, Pamphilus, Pancrates, Tymnes, Nicias, Euphemus, Damagetus, Callimachus, Euphorion, Hegeſippus, Perſeus, Diotimus, Menecrates, Nicænetus, Simmias, Parthenis, Bachylides, Anacreon, Anthemius, Archilochus, Polycretus, Antipater, Poſidippus, Hedylus, Sicelidas, Magnus Plato, Aratus, Chęremon, Phędimus, Antagoras, Theodoridas, Planias, & ipſe Meleager, qui in Co inſula diem obijt extremum. Poſt Meleagrum Philippus Theſſalonicenſis, vt Poetis, qui poſt Meleagrum vixerant nouo labore opem ferret, nouam confecit epigrammatum CORONAM ad Camillum. Poetarum illa fuere nomina, Antipater, Crinagoras, Antiphilus, Tyllias, Philodemus, Parmenion, Antiphanes, Automedon, Zonas, Bianor, Antigonus, Diodorus, Euenus. Sed erit operæ pretium ipſius Philippi præſcripta ad Coronam carmina referre,

ἄνθεά τοι δρέψας ἑλικώνια, καὶ κλυτοδένδρου
Πιερίης κείρας πρωτοφύτους κάλυκας.
καὶ σελίδος νεαρῆς θερίσας στάχυν ἀντανέπλεξα
τοῖς Μελεαγρείοις ὡς ἴκελον στεφάνοις
ἀλλὰ παλαιοτέρων εἰδὼς κλέος ἐσθλὲ Κάμιλλε
γνῶθι καὶ ὁπλοτέρων τὴν ὀλιγοστιχίην.
Ἀντίπατρος πρέψει στεφάνῳ χάρις, ὡς δὲ κόρυμβος
Κριναγόρας, λάμψει δ᾽ ὡς βότρυς ἀντίφιλος,
Τυλλίας ὡς μελίλωτον, ἀμάρακον ὡς φιλόδημος.
μύρτα δ᾽ ὁ παρμενίων, ὡς ῥόδον ἀντιφάνης.
κισσὸς δ᾽ αὐτομέδων, ζωνᾶς κρίνα, δρῦς δὲ βιάνωρ,
ἀντίγονος δ᾽ ἐλαίη, καὶ διόδωρος ἴον.

Εὐηνῷ

Ευνῷ δάφνην συνεωίπλωκα. τὰς δὲ περισσὰς
  ἔικασον οἷς ἐθέλεις, ἄνθεσιν ἀρτιφύτοις.

Flores cum colligerem Heliconios, & celebris-arboribus
  Pierij tonderem recens-enatas paruas-roſas,
Et paginæ recentis meterem ſpicam, annexui
  Meleagrijs valde ſimilem Coronis.
Igitur Antiquorum Tu *ſciens gloriam, optime Camille,*
  Scito & Iuniorum exigua-poemata.
Antipater erit decens Corona gratia, ſed veluti Corymbus
  Crinagoras, ſplendebit autem vt Vuæ-racemus Antiphilus,
Tyllias vt melilotus, vt amaracus Philodemus,
  Myrtus autem Parmenion, vt roſa Antiphanes,
Hedera vero Automedon, Zonas lilium, quercus autē Bianor,
  Sed Antigonus oliua, & Diodorus viola,
Eueno laurum concinna; reliquos autem
  Apta quibus volueris floribus nuper-ortis.

Tertius poſt hos epigrammata collegit Agathias Scholaſticus ſub Iuſtiniano Imperatore ad Theodorum Decurionem, laboremque ſuum, non vt alij Coronam, ſed aptiore titulo, recentiorum epigrammatum Collectionē, vel, vt Suidas tradit, Circulum appellauit. Idque ipſe in principio ſuæ hiſtoriæ inſinuat, ἔδοξε δέ μοι πρότερον ἀξίεπαινόν τι ἄναι καὶ οὐκ ἄχαρι, εἴγε τῶν ἐπιγραμμάτων τὰ ἀρτιγεννῆ, καὶ νεώτερα διαλανθάνοντα ἔτι, καὶ χύδην οὕτωσὶ παρ' ἐνίοις ὑποψιθυριζόμενος ἀγείραιμί τε, ὡς ὄιοντα εἰς ταὐτὸ, καὶ ἀναγράψαιμι ἑκάστα ἐν κόσμῳ ἀποκεκριμένα. καὶ οὖν δὴ καὶ τόδε μοι ἐκτετέλεσας. *Viſum eſt autem mihi prius illud laude dignum eſſe, & non ingratum, ſi epigrammata recentia & poſteriora, latentia adhuc & confuſa ſic apud quoſdam clanculum ſuſurrantia, coniungerem pro viribus in vnum; & componerem ſingula concinne diſtincta, quod quidem a me iam eſt effectum.* Tandem Conſtantius quidam cognomento Cephalas, cum nihil addidiſſet, omnia Auctorum epigrammata in vnum confudit, & in capita diuerſa, ex materia, de qua agebant, diuiſa; ſeparatim enim omnia a ἐρωτικὰ, & b ἀναθηματικὰ, & c ἐπιτύμβια, & d ἐπιδεικτικὰ ea ratione, qua in hoc Codice digeſta

a *amatoria.*
b *votiua.*
c *ſepulchralia.*
d *laudatoria.*

geſta ſunt, concinnauit; vt etiam ab alio adnotatum animaduerti. Et hic eſt Codex vetuſtus, ex quo Doſiadæ Aram ſe deſcripſiſſe Salmaſius, eumq. aſſeruari in Bibliotheca Heidelbergenſi Palatina fatetur; tum ſcilicet, cum ſcriberet. Sed hic nunc Ducis Bauari munificentia, & labore, atque induſtria tui Leonis cum reliquis illius inſtructiſſimæ ſane Bibliothecæ, Græcis, Latinis, Hebraicis, Arabicis, & aliarum linguarum manuſcriptis codicibus omnibus, & typis exaratis, præſtantioribus tamen, & quos dignos aere Romano idem ipſe exiſtimaui, Ciuitate Romana donatis, inter alios Pontificios, nondum dimiſſo Palatino nomine, vt a Vaticanis diſcernãtur, in ipſo Vaticano, cura tanto theſauro non impari conſeruantur. Habes hic, vt vt eſt, Codicem Palatinum, & illius nomine, Epigrammatũ Collectorum hiſtoriam haud ingratam; &, ni me fallo, tot Auctores cum antiquitate, & blattis certãtes gratias tibi merito magnas habebunt, quod tua poſtulatione hac mea epiſtola reuiuiſcant, & ad conuictum eorũ redeant, cum quibus viuere poſſe equidem maxime vellent. Nimis nota ſunt, quã hic dici debeant, quæ de Maximo Planude, poſtremo epigrammatum amputatore, inter viros eruditos circumferuntur. In eo omnes viri probi & ingenium, & iudicium deſiderant: Multa ex illis, melius feciſſet, ſi omiſiſſet; omiſſa multa piaculum fuit, appoſita non fuiſſe cum alijs legenda: quod illi non placuit, alijs etiam non arriſurum exiſtimauit; ſuo genio reliquorum hominum voluptatem commenſus. Sed de Planude ſatis. Bibliographia tua iucundiſſime legitur, habetque hic æquos ſuæ laudis æſtimatores, non quidem illos e grege, aut literati nominis plagiarios, ſed ſolidæ doctrinæ, atque eruditionis gloria præſtantiſſimos; inter quos ſcis ipſe, quam ſe laudandum, ac ſuſpiciendum præbeat vir doctiſſimus Gaſpar de Simeonibus; is ſane, qui te, tuumque nomen in ore ſemper, atque oculis gerit. Opus eo argumento inſtitutum apprime commendat, vocatque Politices ſcriptorum Coloniam a te ſplendidiſſime deductam; criticum de ſingulis iudiciũ magnopere laudat, quod vel ita feras, vt cenſeat, non lædat; immo vt quiſque ductore te, politicum ſtadium percurrat inoffenſo pede; ſententias probat, ac nitorem elocutionis; nec in eo quicquam videt, quod luculentiſſimæ cuiquam politicæ ſcriptioni non putet comparandum.

Hanc

Hanc tibi laudem, mi Naudæe, impenſe gratulor a viro laudatiſſimo profectam, cuius ſummi ingenij in ſeuerioribus diſciplinis præſtantiam, ipſamque *e* ἐγκυκλοπαιδίαν, cum ſingulari eloquentia coniunctam, non ſemel ipſe in hoc Orbis theatro, inter ſapientum plauſus, admiratus es; quique ſpectata morum ſuauitate, præclara inter amicos fide, ceteriſq. magni animi ornamentis probe oſtendit, quam generi vim, ac ſanguini virtus Maiorum tranſmittat. Nos interim quid agimus? multa molimur, conamur plurima, & in ipſa parturiēdi ſpe vel fœtum informem perdimus, vel monſtrum gignimus. Illud me ſummopere delectat, dum etiam hos abortus faciens, contabeſcere Zoilum videam, & maligne etiam, ſi quid laudabile eſt, calumniari. Qui nos ambos norunt, rident, & digito veſanum illud, & inſolens ingenium commonſtrāt; at, cum nec iurato credant, velim ſemper male, ſed ſummo dolore, diceret. Ceterum toti ſumus in tractatu de Libris Apocryphis: argumētum eſt varium, ac plenum cenſoriæ trutinæ. Vale, & *f* τῷ πολυμαθεστάτῳ Liceto ſalutem plurimam meo nomine dicas: quē plane hic Romæ pleno literatorum cōgreſſu diebus elapſis ſummopere deſiderauimus: propoſitū fuerat dubium, *Cur alba corpora non ita facile caleſcant, aut vrantur a radijs Solis, vt atro colore prædita, cum tamē ab igne vulgari ſimiliter vtraq. patiantur æqualiter.* Multa in eo diſſoluendo ab eruditiſſimis, elegantiſſimiſq. viris allata ſunt, quæ ſatisfacere dubio ab omnibus iudicabantur: tuus Allatius nimium ſemper moroſus, & amicorū ſuorū excellentia fretus in rei Philoſophicæ tractatione, Vbi nā modo, exclamat, Liceti ana facundia, & acumen extra Theatra Romana peregrinaris? Et hæc quidē ex parergis, quæ tanquam minutiora præterijſſem, niſi tamen nimis in iſtis extorquendis contentioſus, minutiſſima quæque tibi tradi velles. Romæ, die Nicolao Myrhenſi Sacro. M DC XXXIII.

e Sphærain- diſciplinarũ.

f multi-ſcientiſſimo.

Cl. Eruditiſſimoque Viro Leoni Allatio
Fortunius Licetus B. A. Reſpon.

A Naudæo noſtro nuper habui ſuauiſſimas litteras tuas, V. Cl. mira ſane tum elegantia, tum eruditione conſpicuas. Gratiſſima mihi fuit hiſtoria de Codice Doſiadæam Arā

 deſcri-

deſcriptam habente; ob cuius inconcinnam ſcriptionem male litteras exprimentem, & ob vetuſtatem pleraſque ſcriptas obliterantem, agnoſco multiplicem ac variam lectionem in compluribus verſiculis habitam a Cantero, Scaligero, & Salmaſio: plurimum ideo tibi debere meam Encyclopędiam ad hoc poematium ſcias. Vt plurimum tibi debet orbis eruditorum, ſi quando publici iuris effeceris, quæ de Collectoribus Græcorũ epigrammatum priuatim ad Naudęum ſcripſiſti, de vetuſto codice deſumpta. Sane quot, quique fuerint, quo tempore ſibi ſucceſſerint illi Collectores, tu primus omnium eruditis aperuiſti; Meleagrum referens, Philippum, Agathiam, Conſtantium; proboque iudicium tuũ de Planude, qui non Collector, ſed amputator malus epigrammatũ dici meretur; quum multa bona poematia derelinquat, & multa non bona nobis legenda relinquat, inter quæ Palladę nuncupata pleraque ſunt adeo ieiuna, vt in ijs non modo frigeant omnes Veneres, at planè mortuę ſint ibi veneres. Verũ enimvero ſicut a ſummo tuo iudicio prodeunt laudes noſtro Naudęo tributæ, ita quibus me cohoneſtare voluiſti, V.Cl. maximam tuam erga me beneuolentiam matrem agnoſcunt: illas ego genis rubentibus audio, attamen libẽter audio, quoniam a viro laudatiſſimo mihi proueniunt; atvero ſcito ſimiles eas eſſe radijs Solaribus, qui in opacum corpus incidentes, ipſum quidem illuminant, ſed illico reflexione retrocedunt in iubar, vnde venerunt. Quod autem ex me noſſe cupis quid ſentiam de cauſſa cur alba corpora non ita calefiant, aut vrantur a radijs Solaribus vehementioribus vt nigra corpora; quum tamẽ æqualiter ab igne vulgari tam alba, quam nigra ſoleant affici; problema pulchrum eſt, quod viros pleroſque doctos aliquando multum exercuit. Dicam ingenue quid mihi dudum in mentem venerit hac in re, vt tibi morem geram: tu mea cogitata boni conſule. Profecto cauſſam admirabilis huius euentus non aliunde quam e rei natura deſumendam arbitror, nimirum ex interna ſubiecti patientis eſſentia. Verum in primis conſtituendus nobis eſt ſenſus quæſtionis. Dicimus ergo, ſi ſumantur duo corpora eiuſdẽ ſpeciei, ac magnitudinis, vt duo lapides, vel duæ tabulæ, vel duo lintea, & vnius color ſit candidus, & alterius ater (ſiue colorem hunc vtrique ſuum a natura contigiſſe velis ex internis principijs, ſiue forin-

forinſecus ab arte poſueris impactum, nihil refert) & exponantur ſimul ijſdem radijs æſtiui Solis potentioribus, vel incidentibus, vel reflexis, refractiſve; ſemper id eueniet vt corpus nigrū citius, & magis incaleſcat quam album; at ſi ad ignem ac flammas apponantur, nullo iam diſcrimine tam cito, tamque facile calefiet album, quam nigrum corpus: Immo vero ſi eiuſdem corporis planam ſuperficiem, vt lapidis, aut lateris, aut ligni, aut alicuius alterius, ſecundum medietatem atramēto denigraueris, & ſecundum alterum dimidium candidiſſimæ calcis lacte dealbaueris; vbi Solis ardētibus radijs tota ſuperficies obuerſa fuerit, & ita expoſita vt æqualiter tam alba medietas, quam nigra ſimul percutiatur ab ijſdem radijs, nigra medietas multo citius, multoq. magis incaleſcet quam alba; quod certis experimentis comprobatum eſt: at idem corpus igni, flammiſve comburentibus proximis expoſitum, ſimiliter alba medietate, nigraq. calefiet; ac in tempore prorſus æquali gradū æqualem caloris induet alba medietas, & atra. Cuius quidem rei cauſſa petenda mihi videtur, quoad primam partem problematis de radijs Solaribus agētis, ex interno ac eſſentiali diſcrimine, quo nigrum ab albo ſecernitur, quove ſeorſum vterq. color extremus in eſſe conſtituitur, atque definitur. Profecto differentias huiuſcemodi colorum nobis propoſuit Ariſtoteles, apertis verbis inquiens, a *Quod ſi media in eodem genere ſunt, vt oſtenſum eſt; & contrariorum media neceſſe eſt ipſa ex his contrarijs componi: aut enim erit aliquod genus eorum, aut nullum: & ſi genus quidem ita erit, vt aliquid prius contrarijs ſit, differentiæ priores contrariæ erunt, quæ faciunt contrarias ſpecies, tanquam generis; ex genere namque & differentia ſpecies ſunt. vt puta ſi album & nigrum contraria ſunt; eſt autem illud ſegregatiuus color, hoc vero congregatiuus; hæ differentiæ, congregatiuum & ſegregatiuum, priores: quare priora inuicem contraria ſunt: Cetera quoque & media ex genere & differentijs erunt; vt puta quicunque colores medij inter album & nigrum ſunt, hos oportet vt & ex genere dicantur (eſt autem genus color) & ex quibuſdā differentijs: hæ vero non erunt prima contraria: Quod ſi ſecus, vnumquodque aut album, aut nigrum erit; ergo aliæ: mediæ igitur primorum contrariorum hæ erunt; primæ vero differentiæ ſegregatiuum & congregatiuum.* Sic itaque color albus a ni-

a 10. met. t.23.

gro diſſidet eſſentiali differētia, quod ille diſgregatiuus eſt, iſte congregatiuus. Non adiecit autem Ariſtoteles, cuiuſnam rei nigrum ſit congregatiuum, & album diſgregatiuum; quia non vnius tantum generis eſt, quod ab albo diſgregatur, & a nigro congregatur; ac proinde non poteſt vnico nomine ſignificari. Reor autem inter alia, quæ diſgregationem & congregationem patiuntur ab hiſce coloribus extremis, duo eſſe potiſſima; quorum vnum eſt oculus; qui nimio diuturnoque cōſpectu rei candidioris adeo diſgregatur, vt diu per niues iter facientium doleant oculi non leuiter; dolor autem Medicis eſt ex continui ſolutione, proptereaque ex diſgregatione non ſolum partium
b *1. de ſym. cau. c. 6.* ſolidarum ac ſentientium oculos conſtituentium, vt ait *b* Galenus; ſed etiam ſpirituum, oculis ad viſionem famulantium; quibus a nigro prouenit congregatio: licet ſpirituum diſgregatione ab albo laſſitudo potius quam dolor poſitiuus in oculo gignatur. Alterum autem eſt obiecti ſimulachrum in medio, ſpecieſq. viſibilis omnis; inter quas præcipuum locum obtinet radius, ac lumen; quod eſt imago lucidi corporis, a quo prouenit, ac eius ſpecies viſibilis. Quare color albus aptus natus eſt diſgregare radios, ac lumen; e contra niger color aptus natus eſt congregare radios & lumen. Ceterum radios, & lumen, quo maiorem congregationem habuerint, eo magis aerem calefacere, ac incendere ſolidiora corpora, quæ feriunt; quo vero diſgregatione maiori diſperguntur, eo minus calefacere; certiſſimis iam conſtat experimentis; etenim vſtoria ſpecula concaua mire calefaciunt, & ignem procreant oppoſita lumini, iubarique Solari, non niſi quia radios & lumen Solis in arctum cogunt & congregant; plana vero ſpecula radios non congregantia non adeo calefaciunt, vt vrere poſſint reuibratis radijs. Huiuſmodi plurimorũ Solis radiorum congregatione per concaua ſpecula pridem Archimedem hoſtium triremibus ignem incuſſiſſe, claſſemque Marcelli totam ad Syracuſas combuſſiſſe
c *3. de temp. c. 2.* *c* Galenus teſtatur; ſed, vt noſti, luculentiſſime Tzetzes in
d *Chil. 3. hiſt. 35.* *d* Chiliadibus: Zonaram etiam facile notaſti, pariter in Anaſtaſio referētem, a Proclo Mathematico ſpeculis ex ære fabricatis, & Soli oppoſitis radios in eorum cauitate congregatos, ac inde reuibratos fuiſſe fulminis inſtar in hoſtiles naues, quas vna cum claſſiarijs ignito radiorum telo deuſſit poſt Archimedem:

Digitized by Google

dem: cuius inuentum nobili conatu tentauit illuſtrare Bonauẽtura Cauallerius Mathematicus inſignis agens de ſectionibus conicis. Plinio conſimiliter, e *Specula concaua, aduerſa Solis radijs facilius accendunt quam vllus alius ignis.* Plutarcho pariter agenti de facie in orbe Lunæ, *Caua ſpeculorum validius reflectunt Solis radios, ita quidem, vt flammas quoque ſæpenumero edant.* Verum & præter ſpecula, concauitate ſua radios iubaris vnientia & in arctum cogentia, vitreæ quoque pilæ globoſæ aqua plenæ Soli oppoſitæ vi refractionis cogentes cõgregranteſque ſimiliter lumen & radios in parte a Sole auerſa, ponc ſe radijs vnitis fomitem incendunt facilime, ni candor fomitis obſtiterit, vtcumque coactos radios apud ſe diſgregans; cuius rei ſæpe nos habuimus experimentum, vidimuſque meridie phialam vitream aqua plenam medij denſitate diſpari congregaſſe multos radios oppoſiti Solis in anguſtum poſt ſe locum, vbi lintea candidiora difficilius ac tardius calefierent; lanea colore alio prædita, mappæ ſordidiores, & alia tomenta citius vrerentur; vt pote quæ lumen congregatum minime diſpergerent. De propoſito quoque Lactantius experimentum habuit, dicit enim, f *Orbem vitreum plenum aqua ſi tenueris in Sole, de lumine, quod ab aqua refulget, ignis accenditur etiam in dariſſimo frigore.* Hanc eamdem doctrinam & experientiam confirmant Opticorum Anteſignani; quod obſeruauit etiam Cl. Maginus Præceptor agens de ſpeculo concauo g ſphærico, *Primum igitur, ait, Speculum concauum ſphæricum Soli directe oppoſitum proprietatem habet congregandi radios illius ante ſe tantæ vehementiæ, vt apti ſint ad combuſendum quicquid eis exponatur; immo colliquant plumbum, & argentum, & aurum, ſed in exigua quantitate, vt vnius monetæ, quam tenacula firmam quis detineat in loco apto. Veteres omnes vnanimes exiſtimarunt ac pro certo habuerunt, punctum accenſionis eſſe centrum ſpeculi, vel ſphæræ, vel globi, cuius ipſum eſt portio, velut Euclides, Vitellio, Alhazen, & alij.* Quos inter euidentiſſime Cantuarienſis Epiſcopus in Optica ſua talia fatur in propoſito, h *Lumen reflexum euadit validius ob aggregationem luminis, quod cadit in ipſum; quia virtus omnis vnita validior eſt, quam diſperſa: ſimiliter radij, quando ſunt diſperſi, debilitantur, quando ſunt vniti, fortiores fiunt. Quare radij reflexi adunati, ſunt*

e l. 2. c. 107.

f de Ira Dei c. 10.

g cap. 5.

h l. 2. prop. 17.

validiores ad producendum aliquem effectum, quam directi, dum ſunt diſperſi. Hinc fit, vt ignis accendatur a ſpeculis concauis ſphæricis ad Solem poſitis; quia oppoſito ſpeculo radijs Solaribus, neceſſe eſt vt cadant omnes partim ſuper vnum punctum, partim ſuper vnam lineam; quia omnes radij reflexi ab eodē circulo cadunt in vnum punctum; quum enim æquales ſint anguli incidentiæ illorum, ſunt etiam reflexi ad angulos æquales: Lumen vero directum ideo non generat ignem, quia radij Solis non
i prop. 55. poſſunt concurrere niſi recti reflexi. Et adhuc infra, i In ſpeculis concauis Soli oppoſitis generatur ignis. Si ſpeculum eſt pars ſphæræ, ignis generatur in ſuo centro, ob concurſum radiorum reflexorum cum radio cadente in ſpeculum, quādo Soli opponitur e diametro. In ſpeculis poſtea cōcauis, de quibus in libro Artis ſpeculorum vſtoriorum, res aliter ſe habet; quia in illis omnes radij reflectuntur extra locum, in quem cadunt in ſpeculo radij prope, vel procul, pro maiori, vel minori concauitate ſpeculi. Modo omnes radij reflexi a tali ſpeculo concurrunt in vnum ſolum punctum ad diſgregandum, & inflammandum aerem. Sed quando in ſpeculo cōcauo figuræ ſphæricæ non fit reflexio radiorum omnium ad vnum ſolum punctum, ſed ad aliquem circulum, ab his accenditur ignis debiliter. Quin & orbem vitreum pone ſe radjs refractione congregatis ignem producere confirmat
k l.3.pr.16. poſtea dicens, k Fieri poteſt, vt ignis generetur ex concurſu radiorum fractorum. Radios quidē reflexos poſſe generare ignē, clare videtur per xvij. & penultimam ſecundi libri huius. Accidit etiam idem in corporibus diaphanis rotundis, quando ſunt expoſita radijs Solaribus. Attamen inter corpora diaphana, & ſpecula diſcrimen hoc intereſt, quia ſpeculis generatur ignis inter ſpeculum, & Solem; in diaphanis generatur e contra, quia inter ignem & Solem mediat corpus diaphanum. Sit Cryſtallus orbicularis, cuius diameter ſit A Z, & a Sole cadant in O, radij OC, OS, OI, OP, OQ. certum eſt radium OI, ſolum cadere in centrum A, qui recta tendit, non fractus, vſque in H. alij ergo franguntur ad perpendicularem, & cadunt a C, in B, ab S, ad G, ab F, ad M, a Q, ad N. veniens ergo radius C B, ad ſuperficiem concauam aeris, non procedit directe in E, ſed frangitur ad perpendicularem B K, vſque in H. & ita de alijs dictum ſit; quibus radijs vnitis ſimul, aer rarefit vltra terminos ſuæ ſpeciei, & efficitur

citur

Digitized by Google

citur ignis. Huius doctrinæ gnarus & ipſe Cardanus, propoſitum problema reſoluere videtur inquiens in Subtilitatibus, *l Ignis in cauis ſpeculis accenditur, quoniam in paruum ſpatium radij plurimi coeunt: non tamen in candida materia; quia rationem tollit, qua accendere poſſunt; poſſunt enim, quia coeunt; at candidum diſſipat, & ſeparat: Ob hoc ab igne candida tela facile vritur, immo a ſcintilla; a ſpeculi concaui Solaribus radijs non vritur. Eadem ratio ad vnguem eſt in ſphærula cryſtalli, & rotunda amphora vitrea aqua plena: ſed vt in his radij ex aduerſo coeunt, ita in cauis ſpeculis ante: verum vrendi, & non vrendi par ratio in vtriſque: quum enim rem candidam ſubieceris, conus ille manifeſte dilatatur; & ideo vrere non poteſt: hoc autem, quod dilatetur, oculo etiam deprehenditur*. Quam ſententiã licet ea ex parte non probemus, qua negat albam telam a radijs vnitis in conum abſolute non vri; reclamantibus experimentis; quum vratur tandem; ſed tardius ac difficilius, quam alio colore tincta; dum tamen abſolute falſam eſſe contendit oſtendere contradicens Cardano, *m* Scaliger eius opinionem non euertit, ſed vel inuitus vtcumque confirmare videtur in parte nobis accepta, ſcribit enim pariter in ſuis ſubtilitatibus,

l l. 4. init.

m exer. 73.

[1. Haud negamus propter naturæ affinitatem, diffundi radios in candida ſuperficie: quamobrem ignis quoque in caſtrenſibus coquinis, ſi Solis radijs feriatur, minus validus; diſſipatur enim in aere ſimiliore, atque tenuiore.] Licet ego propoſitum euentum oriri cenſeam non tam ex naturæ ſimilitudine, quam ex virtute caloris in aere radijs viuidioribus oppleto vigentis, adeoque materiam flammarum, ac ignium rarefacientis, qui noui ab *n* Ariſtotele, proprium caloris eſſe rarefacere; atque ab experimento, in materia rariori accẽſum ignem imbecillius vrere, debilioremque vim obtinere, qui ſtupas ardentes impune tracto, non item prunas. Quod & Plutarchus aſſeruit agens de oraculorum defectu in hæc verba, *Iam enim audiui qui de igne dicerent, hieme eum melius ardere, pluſque habere virium, frigore in ſe ſe coactum ac ſtipatum; in æſtu autem raritate contracta imbecillum reddi atq; languidum: & ſub Sole accenſum remiſſius agere, materiamque molliter inuadere, ac tardius conſumere*. Sic & lumen a candore diſgregatum minus calfacere; magis e contra calfacere, ſi congregatum

n 2. de gen. c. 8.

tum coactumque fuerit a nigrore. Neque mihi ſimilitudo naturæ videtur vires eneruare poſſe, ſed potius roborare: quum contrariorum ſit infringere debileſque reddere contrarij vires; e contra ſimilia ſimilium acceſſu perficiantur, ac roborentur. Quare ſuſcipienda Scaligeriana eſt experientia; ratio vero experientiæ ab eo lata ſuſcipienda non eſt; addit autem Scaliger,

[2. At a cauo ſpeculo conceptis ignibus ex aduerſo Sole, vidimus nos vri pileum eius, qui illa venalia habebat, ex candida factum palea: telam vero candidam quum haberet in manibus, eius aduſtione alliciebat ſpectatores ad indicaturas.] Verum Cardanus mecum diceret, non ſolum pileum ex paleis confectum, eſſe non abſolute cādidum, ſed luteum, vel flauum, pallidumve; telamque illam ruſticis venalem, fuiſſe non eximij cādoris; quem ſolum radijs vſtorijs indomitū, ait, & impaſſibile vltima ſignificatione *o* Ariſtotelica. Sed etiam intelligere potuit incombuſtibilem a radijs eſſe candidam materiam comparate ad alio colore affectam; quoniam a quibus radijs, & quo temporis interuallo ſubſtantia non alba deuritur, ab iiſdem eo temporis tractu candida materies illæſa permaneat; et ſi perſeuerante radiorum actione tandem & alba ſubſtantia ſupercalefacta comburatur: ſin autem Cardanus opinatus eſt, candorem a radijs vſtorijs omnino illæſum permanere, nos illi minime ſubſcribimus; adijcit ipſe Scaliger immediate,

o 1. cæl. t. 111.

[3. Lædunt autem rerum candidarum ſpecies viſum, propterea quod multa cum luce viſui offeruntur, mediocritatem ſuperant, quæ ſenſui debetur.] Ceterum a proprijs, non a cōmunibus ducenda Scaligero fuit in ſubtilitatibus ratio: Commune eſt omni *p* ſenſui, lædi ab excellenti obiecto; ſed proprium viſus eſt ab albore magis quā a nigrore lędi, vbi ſit vterq. vehemens, vel duratione, vel alia ratione. Sed illa læſio, quam contrahunt oculi ex aſpectu nimij candoris, eſt dolor, vel coniunctum dolorem habet ſpirituum viſoriorum diſgregatio diſſipatioque nimia: dolor autem fit a ſolutione continui *q* Galeno, Mediciſque fere cunctis: continui vero ſolutio eſt pura diſgregatio: candor autem definitus eſt eſſentiali differentia color diſgregatiuus ab *r* Ariſtotele: quare color albus, quatenus albus eſt, radios ac lumen diſgregare poteſt; talique diſgregatione radiorum & luminis vſtoriam vim eneruat, & calorificam;

p 2. de an. t. 143.

q 2. de cōm. med. ſ. loc. 2. de lo. aff. c. 5.

r 10. meta. t. 23.

rificā; a qua propterea ſe tuetur immune cādidū corpus omne.

[4. Fit autem læſio, repentina illata luce ijs, qui diu in tenebris commorati ſunt; ſubdit, quia inaſſuetis nonæ ſunt ſpecies; omne autem nouum valde mutat: ſicuti deſides atque longo marcidos otio, ſi quod eis datur opus laborioſum perficiendum.] Verum nouitas per ſe nihil affert læſionis; at ſi repentinam habeat mutationem ad ſtatum nō naturalem; nam repētina mutatio ad naturalem affectionem nouiter receptam non eſt vllius cauſſa doloris, at voluptatis; audi Platonem in Timæo, *Paſſio*, inquit, *violenter præterque naturam, abunde ſimulque nobis illata, moleſta fit: rurſus quæ in naturam abunde ſimulque reuertitur, dulcis: quæ contra fit, contra.* Quam ſententiam comprobat, & ex Hippocratica doctrina confirmat aperte *s* Galenus, & experimentum; nam e nimia luce repēte coniectus oculis dolens in obſcuriſſimas tenebras non læditur, neque dolet inde; ſed potius congregatione viſus offenſam a nimia luce conceptam ſibi leniri ſentit: & e laborioſo nimium diuturnoque fatigatus opere repente deſcendens in altam quietem, ab iſta nouitate nihil omnino damni, ſed plurimum emolumenti nanciſcitur: e tenebris tamen repente tranſlatos ad lucem intenſiorem lædit, non quidem nouitas, ſed intenſio vigorque lucis nimium diſgregantis oculos & oculorum ſpiritus; etenim ad imbecillam lucem ſi ducantur, nihil inde noxæ, ſed auxilium ſibi ſentient: & qui ſenſim ac lente ducuntur ad iubaris intenſiſſimam lucem inconniuentibus oculis inſpiciendam, mire miſereque cruciantur, ac tandem excęcantur, vbi fieri cogantur aquilarum imitatores. Non aliter ex otio diuturno coacti laborioſum opus aggredi, ſiue id repente fiat, ſiue ſenſim ac lente ducantur ad illud obeundum, ab eo tamen affliguntur, atque læduntur, non quia nouus illis labor adueniat, ſed quia magnus ſaltem diuturnitate, multorum ſpirituum e corpore laborantis excuſſionem diſſolutionemque moliatur, eneruetque virtutem operantis ijs ſpiritibus innixam; ſubnectit V. Clar.

[5. Quod vero tela candida, quam colorata, celerius igni abſumatur, cauſſa eſt tincturæ ſubſtantia, nō color; propterea quod in ea quippiam terreſtre ſit, ac fortaſſe etiam aqueum: & magna ex parte ſunt candidæ, quam fuſcæ, aut nigræ tenuiores.] Quæ tamen nobis non officiunt; etenim ſi primis,

s 1. *de ſym. cauſ. c.* 6.

Cardanus non comparauit candidam telam cum alio colore affecta in paſſione combuſtionis facilius ab igne ſubeunda; ſed comparauit eamdem telam albam in relatione ad radios Solis vſtorios per ſpeculum concauum, cum ſemetipſa in habitudine ad ignem, non lumine, ſed calore comburentem; & recte dixit, albam telam, quæ ab ignis ſcintilla vel in tenebris facilime comburitur, a radijs vſtorij ſpeculi viuidiſſimis non comburi; quia quæ candore ſuo poteſt radios illos diſgregare, ac ita virtutem illorum, quæ ſola vnione nitebatur, eneruare; non poteſt tamen ignis calorem eludere; contra primæ qualitatis violentiam nihil habens virium, aut reſiſtentiæ. Deinde terreum admiſtum facilitatem accenſionis non tollit, quum facile terra vertatur in ignem *t* Ariſtoteli, propter cognationem ſymbolæ qualitatis; & experimento docente nigerrimum pyrium puluerem, in quo multum terræ degit, facilime rerum omnium inflammari. Dein omnes alios colores ab albo magis participes aqueæ ſubſtantiæ, non gratis aſſumendum, ſed a Scaligero probandum fuerat; quum atramentum ex vino generoſo, gallas & vitriolo romano confectum, quo tingitur altera pars *laterculi*, minus aquæ particeps dicendum ſit, quam linimentum ex aqua & calce conſtitutum, quo dealbatur altera portio lateris, qui ad Solem expoſitus magis caleſit in atrata, quam in alba particula. Quin etiam nec a maiori tenuitate candida tela id habet, vt ſit inflammatu facilior quam alio colore tincta; nam eiuſdem tenuitatis candida ſemper difficilius accenditur a radijs Solaribus reflexione, refractioneve vnitis in conum vſtorium; quia candoris eſt diſgregare, proindeque vim retundere illorum, quæ congregata ſolum operantur: Neque nigræ telæ ſericeæ, quas Ermeſini nomine vocamus, albis craſſiores vllo modo ſunt: neque a recepta ſcintilla difficilius ardorem, & ignem concipiunt, quam candidæ. Sequitur V. doctus,

[6. Quod vero pone ſpeculum pice poſita conus fiat exilior, obducta ceruſſa latior, cauſſa abſque Subtilitatum architecto afferenda fuit.] Cauſſam Cardanus attulit perpulchre, dicens ab atra pice congregari radios, a candida ceruſſa diſgregari; quod *u* Ariſtoteli nigrum ſit color congregatiuus, album ex aduerſo ſegregatiuus. Addit Scaliger,

[7. Eſt igitur hæc: Quoniam nigrum contrarij habet rationem

t 2. de gen. tex. 5.

u 10. meta. t. 23.

tionem; iccirco delati in cauum radij, ab extremis in medium contrahuntur.] Sed in propoſitis a Scaligero plane falſam rationem audio; nam radijs, qui lumen ſunt, nihil aliud contrarium dedit Ariſtoteles quam *x* tenebras; & recte, quoniam lumen eſt actus ac forma; formæ vero, & actui nihil aliud opponitur quam *y* priuatio, non *z* materia, non *a* compoſitum; niger vero color, vt & alius quilibet ad lumen ſe ſe habet aut veluti materies ad formam, aut veluti compoſitum ad formam; nam ſi color omnis eſt eſſentia conſtituta ex perſpicuo, & opaco; quum lumen ſit actus *b* perſpicui ſecundum quod perſpicuum; iam lumen erit actus, & forma nigri coloris, non autem quid illi contrarium. Si vero color dicatur quippiam conſtitutum ex lumine & opaco; iam lumen erit nihilominus forma, & actus, perfectioque coloris abſolute, proindeque nigri non minus quam albi; quare nigrum non habebit rationem contrarij comparatum ad radios & lumen. Deinde vero, ſi diſputationi dedero, nigrum habere quoquopacto contrarij rationem, ſubtiliori doctrina Cardanus aſſerere poſſet, Vt frigus ambiens in antiperiſtaſi caliditatem vndique comprehenſam cogit in arctum, & vegetiorem reddit; ita nigro colore radios veluti ſibi contrarios intra cauitatem ſpeculi picati comprehenſos in anguſtum concentrari, congregari, & roborari; proindeque lumen a colore nigro cogi, viribuſque reddi pollentioribus ad calefaciendum, & adurendum, aeris eſſentia per attritionem in ignem verſa; adiungit Scaliger,

x 2. de an. t. 70.
y 1. phy. t. 64
z tex. 67.
a tex. 69.
b 2. de an. t. 69.

[8. Candidum vero, & lux, vti dicebamus, affines ſunt; ideo radij minus abſiſtunt.] Si propterea radij ad affinem colorem explicantur, & expanduntur; hoc reipſa eſt, lumen à colore candido diſgregari; proindeque viribus debilitari, ac eneruari; quod vna mecum ſentit Cardanus, nil obſiſtente Scaligero. Dein ſi ideo radij ad albũ vniuntur, à nigro refugiunt: ergo candidum pluribus abundans radijs deberet intenſius calere, nigrum pauciores radios habens, minus calere; contra tamen oſtendit experientia lapidis calidiorem habentis partem atratam candida.

[9. Propter ſoliditatem, atque opacitatem, reflectuntur; quia eorum natura eſt perſiſtere vſque, & vſque in diaphano; vbi terminantur, reflecti: vnde fiunt coloris ſpecies: propter

nigredinem, auferunt ſe ſe, tanquam a contrario: propter albedinem, non amouentur, quia ſubeſt proportio.] Ceterum in primis nihilominus a candido, quam a nigro pariete reflectuntur radij & lumen, vt experimento conſtat; reflecti quoque a candido perſpicuo denſiori, vt a vitro, & cryſtallo, ceruſſa, vel argentea bractea pone incruſtato, manifeſtiſſimum eſt. Deinde nigredinem refugi a radijs, voluntarie dicitur; a nigredine cogi, congregarique radios & lumen, conſtat ex eo, quod nigri natura eſt congregatiua. Neque proprie nigrum eſt contrarium radio, ſeu lumini, ſed albo ſoli, vt ait c Ariſtoteles; apud quem legimus naturam vni duo contraria non dediſſe, ſed d vnicum. Quare melius cum Cardano, & e Ariſtotele dixerim, lumen a nigro congregari, ab albo diſgregari. Deinceps non probo lumen ac radios a nigro refugere velut a contrario, & ad album accurrere, ſeſeque expandere velut ad affinem ſimilemque naturam; quia ſic experimentum lateris ſemicandidi & ſeminigri, qui ad eoſdem Solis radios expoſitus calidiorem ſui partem atram ſentit, minus longe calidam albicantem, aperte monſtrat radios ad candidum vt ad ſimile non accurrere, nec a nigro velut a contrario refugere; nam quo magis radijs perfunditur quidpiam, id ab eis magis incaleſcit, & quo quid magis priuatur radiorum conſortio, minus id calore participat; quum radij calefactorij ſint. Hinc iam euidentem habeas Cl. Vir cauſſam problematis, quod nobiles philoſophos adeo cruciauit; Cur alba minus incaleſcant a Solis radijs quam atra corpora; immo cur eiuſdem lateris facies ſecundum medietatem atramento nigrata, & ſecundum alterum dimidium albore candidiſſimæ calcis illita, Solis radijs expoſita, magis incaluerit in atro dimidio, quam in albo; nimirum, quia nigredo radios congregans, lumen validius ad calefaciendum, & ad vrendum reddere poteſt; e contra candor diſgregans radios, luminis vires calefactorias, & vſtorias eneruare ſolet. De alia parte problematis, cur alba pariter & nigra calefiant ab igne in tempore prorſus æquali, dixerim, albedinem non eneruare vim calefacientis ignis, quia nihil habet iurium in primas qualitates, vt adnotauimus, albedo. Hæc ea ſunt, inclyte vir, quæ mihi de propoſito problemate dicenda videntur. Vale, meque tibi addictiſſimum cogita. Naudæumq. no-

c 1. phy. t. 42 & ſeqq.
d 1. cal. t. 10 & alibi paſſim.
e 10. meta. t. 23.

noſtrum excuſatum habeas, ſi maximis occupationibus diſtri-ctus ad te nunc litteras dare non poteſt. Patauij. ex meo Scalumnæ Muſeo. M DC XXXIII.

PERORATIO.

HIc iam eſto finis huic primo Volumini mearum Reſponſionum de Quæſitis per Epiſtolas a Claris Viris quas e ſupellectili mea papyracea primas excerpſi, vt ſe ſe mihi dedere promptiores ad manum. Complurium enim doctrina præſtantium hominum de rebus alijs arduis pulcherrima Quęſita reperiuntur adhuc in meo chartario penu, quæ digne lucem aſpicerent in litterario Mundo: Ceterum quum hactenus propoſita iam texuerint opus iuſtæ magnitudinis, hæc ſolum in præſentia ſatis ſit inuulgaſſe. Reliqua fortaſſe promam aliquando fauore Numinis; Cui laus & honor ſit in æternum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

V.D. Ludouicus Modronus in Metropol. Bonon. Pœnitentiarius pro Eminentiſs. ac Reuerendiſs. D.D. Card. Archiepiſcop.

Imprimatur

Fr. Hieron. Onuphr. pro Reuerendiſs. P. Inq. Bonon.

Digitized by Google

pag.	lin.	*Erratum*	*Correctio*
1	14	mondacitas	mordacitas
40	4	lateribus	latebris
	25	ante	arte
	32	Phengice	Phengite
78	4	Veſlingnius	Veſlingius
	20	thorum	torum
94	2	duinis	diuinis
99	27	ocido	occido
109	10	prę ecturam	pręfecturam
115	17	quæ	quos
120	31	faboloſis	fabuloſis
149	3	omnis	omnes
153	24	*συναιλίαν*	*συναυλίαν*
183	34	ſyuis	ſiluis
191	3	quos	quod
198	3	femina,	femina
212	18	*γὰς*	*γὰρ*
213	11	interuenta	interuentu
229	13	*ἄϊξε*	*ἀΐξε*
	14	*λέχεριον*	*λέχριον*
232	36	*λέχροιον*	*λέχριον*
	36	*ἄιολας*	*ἄιολαις*
240	32	repulſit	repulit
156	28	Baldium	Morçum, Baldium
287	32	ſæuam.ſ.vt	ſæuam ſcilicet, ac
295	6	*deeſt in rubrica*	De monſtroſa ſpinarũ pruni inſitione ac pullulatione in humano pectore.
310	16	extremum *adde*	Meleagri quoq; meminit Michael Pſellus in oratione in Conſtantinum Monachum nondum edita. *Μελίχιόν τι φθέγγα καὶ προσηνὲς, οἷον οὔτε μελοποιὸς ᾖσε Σαπφὼ, οὔτε ἡ θυμβόθεν Σειρὴν, οὔθ' ἡ Ἀνακρέοντος μοῦσα, οὔτε ἡ ὀρφικὴ λύρα, οὔθ', ὁ στεφανοφόρος Μελέαγρος.* ideſt. *Suaue quiddam, & mite verbum, quale neque cecinit poetria Sappho, neque demulcens Siren, neque Anacreontis muſa; neque Orphei lyra, neque Coroniferus Meleager.*
317	27	combulendum	comburendum



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE
Digitized by Google



[illegible]

[illegible]

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google